84

M. T. C.
TVSCVLANARVM QVAESTIONVM APHORISMI,

HOC EST,


Separatæ selectæq; sententiæ: cum explicatione

HIERONYMI VVOLFII:

In qua non tam grammatica & historica tractantur: quàm qua ratione Philosophica scripta legenda sint, illustribus exemplis propositis, indicatur.

Index cuiq; libello suus adijcitur: quem post impressionem obseruata præcedunt.

Alia quæ accesserunt, uide post Epistolam dedicatoriam.



BASILEAE.

Ex Officina Heruagiana, per Eusebium Episcopium, M. D. LXXX.

AD NOBILES, GENEROSOS ET MAGNIFICOS uiros, prudentia, uirtute & autoritate præstantes, Christophorum Antonium Rechlingerum, Marcum Fuggerum, Kirchpergæ & Vueissenhorni Comitem, Duumuiros: & ad consules ac senatum inclytæ Augustanæ Reipublicæ: dominos ac patronos summa obseruantia colendos,

HIERONYMI VVOLFII PRAEFATIO.

DECREVERAM equidē, edito tandē Demosthene Græcolatino, nihil amplius rei habere cum typographijs: quòd is labor & maximus esset, & parum fructuosus, atq; etiā apud plerosq; inuidiosior q̃ gratiosior:

tiosior: cùm præsertim negligentia atque temeritas operariorum, mendis libros replentium, & audacissimè, quæ non satis intelligerent, peruertentium, famam scriptorum con taminaret potius quàm illustraret. Eò accedebat & ætas ingrauescens, & afflictissima ualetudo, quietem & ocium non postulans, sed flagitans. Sed cùm post crudelem lithiaseos curationem, non bene, sed minus ma lè habere cæpissem (ut & nunc, quar to post sectionem anno, magno in periculo uersor recrudescentis mali ueteris) neque docendi munus intermisi: & cum Musis meis in gratiam redij: & quæ superiori tempore in schola uestra dictaueram, collegi, emendaui, auxi, ornaui, quantum po tui. In quo non tam INSANABILE SCRIBENDI CACOETHES apud me

me ualuit (etsi id quoque fortassis) quàm patronorũ & amicorum quorundam, atque etiam ueterum auditorum meorum cohortationes & preces: admonitiones item, ut cauerem, ne ea quæ ego nunc negligerem, me uel uiuente uel defuncto, mendosissimè, cum iniuria mei nominis, publicarentur. Neque enim celari posse & latere, quæ amplius triginta exemplis scripta extarent. Quæ sanè ratio plurimum apud me ualuit: qui non ignorem, quæ sit nõnullorum in ueditandis doctorum uirorum nugis, quarum eos, si uiuerent, uehementer & puderet & pigeret, audacia atq; impudentia. Cuius enim uæcordiæ est, ea quæ apud amicos per ludum & iocum, aut inter epulas & pocula familiariùs & liberiùs dicta fuerint, contra illud: Odi

memorem compotorem, in totius orbis theatrum producere? ac præstantes uiros aliis quasi deridendos propinare? Eadem ratio est & eorum quæ in scholis docentur: ubi se præceptor auditoribus, plerunque rudibus, tardis, negligentibus, ineptis accommodare necesse habet, eáque sæpè repetere, quæ in cœtu doctorum ualde uel semel dicere erubesceret. Idem ergo ne & meis Manibus accideret: selegi hoc tempore commentariolos meos in Tusculanas Ciceronis quæstiones, sic (absit dicto inuidia) elaboratos: ut post tres Homeros, Vallam, Beroaldum, Camerarium, præceptorem olim meum & amicum obseruandum, non quidem Iliada scripsisse: sed doctrinam Ciceronis accuratiùs expendisse uidear. Nam illi

quidem

quidem & grammatica & historica pereruditè & copiosè tractarunt: ea quę ad institutum maximè pertinẽt, certo consilio aut breuiter attigerunt, aut planè prӕterierunt. In quibus ego explicandis & iudicandis plurimum olei atq; operӕ (ut aiunt) non fortasse perdidi, sed absumpsi: & philosophica dogmata ad amussim sacrarum literarum reuocaui: id'que ubique egi, ut MVLIER IN ECCLESIA TACERET, hoc est, ne philosophia de rebus diuinis iudicium sibi sumeret sed à Patriarchis, Prophetis, ipsoq; Christo & Apostolis ueritatẽ edoceri se pateretur, uagariq; inanibus coniecturis, & mutuò se elidentibus ratiunculis, niti, tandem desineret. Quod etsi non ignoro nasutis quibusdam, non confundendas esse disciplinas

iactantibus, ualde improbari: ut qui Hermetem & Pythagoram, Moysi: Platonem & Epicurum, prophetis: Aristotelem, Auerroem, Apolloniũ Christo (quod dictu nefas est) Porphyrium, Iamblichum, Hieroclem & alios id genus philosophastros Apostolis anteponant: non tamen idcirco ab instituto meo recessi. Nego enim cõfundi & permisceri disciplinas, cùm alia ad aliam declarãdam adhibetur: imò id munus est earum proprium, ut mutuas inter se tradant operas, & aliarum copia penuriam expleat aliarum: & hinc est encyclopædiæ nomen, καὶ τῆς ἀλληλουχίας τῶν ἐπιστημῶν καὶ τεχνῶν: quòd orbem solidæ doctrinæ, non nisi inter se coniunctæ, absoluant, & alia aliam contineat & amplectatur. Deinde philosophia (quæ nihil aliud est,

nisi

niſi mentis & rationis diuinitus inſita & adhuc reliqua uis, diligenti meditatione, collatione uariarũ ſententiarũ & obſeruatione eorũ quæ in Mundo & uita humana fiũt, expolita & inſtructa) quid eſt (ſi quis uerè æſtimet) quod ad controuerſias quidem maximi momenti rerum attinet: niſi mirabilium & diſsidentium opinionum inextricabilis error, & irremeabilis (ut poeticè loquar) quidam Labyrinthus? Ex eo igitur nos, non ut Theſeum Ariadnes filum, ſed Ieſu Chriſti euangelium educit, & ueris firmisq́ ſententijs eruditos, & ad uitam piè modeſteq́ tranſigendam inſtructos, in cœleſtem patriam, poſt ærumnoſum huius uitæ exilium, reducit. Quem ſibi ſcopum qui non proponunt: næ infeliciter illi philoſophantur: nec tandem quicquam

quam aliud consequuntur, nisi ut fal
sæ doctrinæ titulis ornata diaboli
mancipia euadant. Sed istos ego an-
cipitem istam aleam: in qua salus ani
morum agitur: iacere nõ prohibeo,
& magnificis suis cogitationibus be
atos esse, facilè patior: nec eis inuideo
sapientiam eam: quæ, si eos decepe-
rit, omnium mortalium miserrimi fu
turi sunt. Sinant & illi me delirare
(si ita uidebitur) & somniare: si id
delirare & somniare est, sanctissi-
morum hominum, qui ab exor-
dio Mundi ad hanc usque ætatem
extiterunt, & ipsius filij Dei au-
toritare traditas sententias, & indu-
bitata oracula retinere: ijs'que du-
cibus, totius uitæ cursum (quantum
fert humana fragilitas) gubernare.
Sed ualeant isti censores, sua'que sa-
pientia absque me socio fruantur:

quos

quos ſtudioſè contradicentes, nullo modo quiſquam uitauerit, niſi qui nihil omnino ſcripſerit. Quod haud ſcio an hoc tempore fuerit longè optimum in tanta copia ſcriptorum ueterum. Mihi certè quidem ocioſè philoſophari magis expediſſet. Aliorum uerò, ingenio doctrinâque præſtantium uirorum, induſtriæ, qui & deprauata corrigunt, & rudia atque inchoata expoliunt, perficiunt, exornant, neminem puto obſtare oportere. Quos ego pro tenuitate mea imitatus, hos Tuſculanarum commentariolos, decimum iam annum preſſos, imprimendos cùm dediſſem: cui rectiùs eos inſcriberem, quàm ueſtræ Amplitudini, ne quærendum quidem mihi exiſtimaui. Nam quia me iam annum ſecundum & uigeſimum in

uestra schola docentem alitis: & cùm sæpè aliàs, tum nuper ab inclyto senatu Noribergensi, ueteribus dominis & patronis meis, gratiꝗ animi memoria perpetuò colendis, honorificè & liberaliter, ad regendum Altòrfense illustre gymnasium, expetitum, retinendum censueritis: cuius persona uobis probaretur, eius etiam opera uos non aspernaturos esse existimaui: præsertim duobus illustribus experimentis edoctus. Nam Officiorum Ciceronis declarationem meam, & Demosthenis ultimam exornationem, non modò candidè laudastis: sed & liberaliter remunerati estis. Confido autem, eam in hisce siue commentariolis siue annotationibus concinnandis me nauasse operam: ut neque uestram Amplitudinem patro-
ciniꝫ

cinij ſui pudere: neque uel me ſcriptionis, uel ſtudioſos homines lectionis pigere ac pœnitere debeat. Valete & bene rem gerite, ut facitis, uiri amplißimi, domini & patroni perpetuò colendi. Auguſtæ Vindelicorum. Idibus Martij. Anno ſalutis M. D. LXXIX.

Amplitudinis & clementiæ ueſtræ

Seruus dedi-tißimus

Hieronymus Vuolfius, utriuſq; linguæ in ſchola ueſtra profeſſor.

ACCESSIONES AD I. Tusculanam.

I. Quæstiones breues, summam horum librorum complexæ.

II. Epitome disputationis Demetrij Cydonij de contemnenda morte.

L E C T O R I.

Nullius addictus iurare in uerba magistri:
Quo me cunq; uocat Ratio sequor, & Deus autor.
Lubricus incautum sed si deceperit Error:
Emendent docti: conuicia tetra facessant.

Eidem ex Q. Horatio.

Viue, uale. Si quid nouisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

M. T. CICERONIS TVSCVLANARVM QVAESTIONVM, SIVE DIsputationum, ad M. Brutum, liber primus: qui est de contemnenda morte.

EXPLICATIO.



HOC est, ὅτι δεῖ καταφρονεῖν τοῦ θανάτου, καὶ πῶς, καὶ διὰ τί; Esse contemnendam mortem: & cur? & qua ratione id cõsequi liceat? Quis uerò eum contemnat hostem, qui sit inuictus & insuperabilis? à quo superatum iri sese certò sciat? Sed ab hoc hoste uinci, Cicero negat esse malũ: quòd aut inferi nulli sint: aut, si sint, quòd animorum uel ignea uel aëria natura sursum non deorsum feratur. Quo in loco absurditatem (ut uideri uult) poëticarum & uulgarium opinionum deridet. Si ergò, inquit, animus relicto corpore cœlum repetit (quod probatur autoritate & consensu nationum atq; gentium: qua tamen eâdem inferi etiam probari queant) beatus & æternus est. Sin unà cum

Ipsa inscriptio uidetur esse παράδοξον, id est, admirabilis & absurda.

corpore extinguitur: ei qui non eſt, malum nihil eſſe poteſt. Eiuſdem argumẽti libellus Demetrij Cydonij, Græcè Latineq́;, annis abhinc 24, ab Oporino noſtro, meo impulſu primùm eſt editus: & anno ſuperiore unà cum Axiocho, Plethone, & alijs, longè ſecus atq́; iuſsi, & res ipſa poſtulabat, mendosè recuſus: inuerſo libellorum ordine. Nam cùm inſcriptio ſit: ars rectè uiuendi & bene moriendi: δοξόσοφος *quiſpiam (quod genus hominum & in Græcolatino meo Demoſthene, contra autoritatem meam, multa omiſit, multa peruertit, & Vlpiani commentarios turpiſsimè deformauit) quiſpiam igitur, inquam, nimium ſuo iudicio ſapiens, cùm uitam morte priorem eſſe, rectè exiſtimaret, profanorum hominum, Platonis & Ariſtotelis libellos initio collocauit) quos ego tantùm collationis cauſa adiunxeram, &,* ἐν παρενθήκης μέρει, *poſtremum locum occupare uolueram) Chriſtianos autores, Plethonem & Cydonium, ſubiecit. Ex illius igitur nimia ſapientia hunc ego fructum fero: ut & profanus philoſophaſter potius, quàm Chriſtianus homo uidear nonnullis: &, ut opuſcula peruulgata, cæteris etiam nouitatis opinionem atq́; gratiam ademerint: ne quid de offenſa patronorum*

Querela autoris de deprauatione ſuarum lucubrationũ.

rum

rum dicam. Præfatio certè ad Maximilianum II. *Imperatorem, siue obliuione, siue errore Oporini nostri, in editione Græcolatina Isocratis cum commentarijs, prætermissa, me penè in crimen læsæ maiestatis coniecisset. Titulus porrò ita barbarus est additus, ut ualde gaudeam, nomen meum esse dißimulatum. Cui enim homini polito non bilem aut nauseam moueant isti barbarismi?* ad linguæ utriusque exercitia iuuenibus potissimùm conducens. *Quid enim ab hoc exordio nisi barbarum & sordidum expectes? Ego uerò Typographos etiam atque etiam oratos uolo (si qui fortè libellos istos recusuri sunt: quod me uiuo fore non auguror) ut cùm emendatius eos exprimant: tum hanc inscriptionem addant:* doctrina rectè uiuendi, & bene moriendi, Græcè Latineque conscripta: cuius autores uersa pagella indicabit. *In altera (ut uocant) facie, hic sit ordo (qui & in collocatione libellorum obseruabitur.)*

Admonitio typographorum.

I. Georgius Gemistus Pletho, de uirtutibus, Adolfo Occone, Augustano Physico, interprete: cum Anonymi annotationibus.

II. DEMETRIVS CYDONIVS *de contemnenda morte: Raphaële Seilero, I C. Ampictione, interprete,*

III. His (ut sacra cum profanis collata magis elucescerent) adiunximus Platonis locum de moribus germani Philosophi, et Axiochũ, Anonymo interprete: & Aristotelem de uirtutibus, Iusto Velsio interprete, cum utilibus appendicibus.

In Proœmium primæ Tusculanæ.

Eadẽ proœmiorum ratio, quæ exordiorum.

Quæ in exordijs siue principijs orationum præstanda sunt: ut auditor beneuolus reddatur, attentus atq; docilis: eadem ferè & in librorum proœmijs, prologis, siue præfationibus obseruantur. Cicero itaq; hic & Brutum sibi conciliat, significatione sui præclari de illo iudicij: & populum Romanum, cuius ingenia & uirtutes Græcis anteponit. Idq; fieri uidetur προκαταληπτικῶς καὶ προτρεπτικῶς: *ne qui dicant, sibi philosophandum non esse, quòd dissimiles sint Græcis, qui & ingenijs & ocio abundarint. Verùm hic existit* ἀνθυποφορὰ, *quam (quia aliam commodam uocem non habemus) obiectionem uulgò, nonnulli oppositionẽ uocant: quæ est huiusmodi: Græci uarietate omnium artium superant Romanos. Ergò ingenijs & eruditione sunt superiores. Argumentum ab effectis ad causam effectricem,*

Beneuolentia.

Anthypophora.

ctricem. Respõdet Cicero κατὰ συνδρομὴν ἢ συγχώρησιν, id est, concessione: esse quidem id ex parte uerum: sed addit causæ inficiationem. Non fit, inquit, hoc culpa ingenij Romani: sed uel certo iudicio: quòd non omnes artes suo studio dignas esse iudicarunt: uel maiorum & meliorum rerum occupatione. Quantum autem etiam in artibus ualeant: è poësi & eloquentia cõstare potest: quibus aut pares Græcis sunt, aut etiam superiores. Et hic beneuolentiæ locus est. Attentio autem & docilitas plerunq; cohærent: quas Cicero hîc captat, laudanda Philosophiæ præstantia (quæ profectò uel maximis occupationibus anteponenda est: si modò uerum de rebus iudicium, & animus uirtute ornatus, dicendiq; facultate instructus, summa huius breuis & fragilis uitæ bona sunt) & suo scribendi genere uerecundè commendando: idq; per contentionem cum scriptoribus & Græcis & Latinis, quibus se, alteris dissimulanter, alteris apertè, anteponit. Sed quia hoc libro de contemnenda morte potissimùm agitur: operæ precium uidetur, antequam ad eius explicationem ueniamus, de morte, methodo quadã, quid sentiendum sit, & quid sentire plerique soleant, exponere.

Attentio & docilitas. Philosophia.

Notæ quæstionum methodi de morte.

Dialecticæ quęstiones oratorijs ornamentis illustrãtur.

Quæstiones & disputationes omnes ad genus διδασκαλικὸν pertinent: definitionibus, diuisionibus, & argumentationibus explicandæ. Huic Dialecticæ methodo adhiberi solent à disertis scriptoribus, ornamenta oratoria, tanquã nudo corpori uestes, et rudi adumbrationi uiui colores. Tractantur autem plerunque coniunctæ quæstiones: cuiusmodi hæc est: sit'ne mors malum? sit'ne mors contemnenda? *quæ resoluendæ sunt in prædicatum & subiectum (receptis enim scholarũ uerbis in scholis uti, non est mihi religio) & utrunq; horum per quæstiones simplicis methodi ducendum: ut perspiciatur, qua ratione inter sese cohæreant? &, uerâne an falsa sit propositio? Quæritur autem hoc primo libro, sit'ne mors malum? Auditor (adolescẽs quispiam generosus & doctus, non Atticus senex) affirmat, Cicero negat. Vt autem intelligatur, uter rectiùs sentiat: explicandum est & quid sit mors? &, quid sit malum? Etsi autẽ tota res à uera definitione potissimùm pendet: tamen quia hanc numeris omnibus absolutam, atq; omnibus ex æquo probatam, paucis cõstituere uerbis, difficilimum est: adhibentur,*

Cum definitione ferè aliæ decem quæstiones cõjungũtur.

hibentur, perspicuitatis gratia, etiam aliæ quæstiones, numero ferè undecim, quas ordine uidebimus. Quamuis enim omnes loci inuentionis & Dialecticæ & Rhetoricæ, etiam simplicibus quæstionibus tractandis posse adhiberi uideantur: nos tamen uulgo receptis, hoc tempore, cõtenti erimus: quorum primus est ἐτυμολογία, id est, origo uerbi, quæ ad cognitionem rei ueram sæpè conducit, & eam aliquando sic declarat, ut pluribus ferè nõ sit opus: aliquando etiam obscura & controuersa est, ut in hac nostra quæstione. Dubitatur enim, MORS *fiat ne à mordeo? quòd lædat omnes animantes: an à uerbo morior? Sæpe enim ambigitur, Prisciano teste, uerbáne à nominibus, an hæc ab illis deducantur? Etsi autem & primitiua deriuatis, & simplicia compositis ὀλιγοσυλλαβώτερα esse, plerunque apparet: nõ tamẽ id est perpetuũ, & sæpè obscurũ. An à Græco nomine μόρος; quod fatũ & mortẽ significat: ductũ παρὰ τὸ μέρος ἢ μερίζειν: unde etiam diminutiuum est μόριον particula: quòd diuidat animal mors, & animam à corpore separet. Græci quidem piè admodum τὸν θάνατον dici uolunt, ὡς εἰς τὰ ἄνω ἄγοντα: quòd animos in sublime subuehat: sicut è contrario, γένεσιν, ὡς ἐπὶ γῆν νεῦσιν, natiuita-*

Prima quæstio, Ratio nominis.

tem, tanquam propensionem ad terram.

Secunda quæstio methodi simplicis, an sit?

Quæstio hæc non tantùm est status coniecturalis apud Rhetores, cùm de facto dubitatur: sed in genere ad ea omnia solet accommodari, de quibus controuersia est, sint'ne res? & in rerum natura uersentur? an uerò nuda nomina sine re, ut νεφελοκοκκυγία *(id est, cuculi nidus in nubibus) Aristophanis, & cōmenta humani ingenij? cuius tanta est licentia, ut non monstra modò absurda & admirabilia, & abhorrentes ab omni ratione opiniones, sed & mundos innumerabiles comminiscatur. Sic dubitatur, sint'ne Hippocentauri? sit'ne Minotaurus? sint'ne* τραγέλαφος *&* ὀδοντοτύραννος*, quē tantæ uastitatis draconem apud Brachmanas Indos esse perhibent, ut integrum elephantum deglutiat. Sic dubitatū fuit aliquando, an essent* ἀντίποδες*? Et nonnulli hæreseos quendam accusarunt: quòd eos esse affirmasset: existimantes, Christo seruatori nouum supplicium pro illis quoque esse luendum. In hoc genere magna est audacia & poetarum, & erronum: historicorum quoq; fortasse quorundam. Ac de poetis notum est illud Homeri:*

Licētia humani ingenij.

Antipodes.

— πολλὰ

—πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

—*Mentitur plurima uates.*

Et Ouidius:

Exit in immensum fœcunda licētia uatum:
Obligat historica nec sua uerba fide.

È contrario etiam homines imperiti, temere negare & deridere solent, quicquid aut ipsi non uiderunt, aut ex iis, quibus fidem habent, non audiuerunt: quasi uerò ipsi mensura sint naturæ rerum infinitæ. Esse autem mortem, nemo dubitat: nihilo magis, quàm esse natiuitatem: cum nascentium & morientium exempla quotidie incurrant in oculos. Illud haud iniuria mireris: plerosq; aut ita securè licenterq; uiuere, quasi nunquam morituri essent: aut, cùm mortem singulis horis, ac potius momentis, impendêre sibi intelligant: non se uera pietate, & uitæ sanctitate atque innocentia, ad eam, quocunque tempore, quocunque modo Deo Optimo Maximo uisum fuerit, alacri animo oppetendam, maturè præparare. Imperitia incredula. Securitas humana.

Tertius locus. Definitio rei.

Quid autem mors sit, ualdè dubitatur: magnáque est & Philosophorum & Theologorum, ipsorúmque Philosophorum inter sese dissensio. Theologica porrò descriptio mortis, Mortis Theologica definitio.

talis posse constitui uidetur. MORS *est priuatio uitæ, orta ex uiolatione diuini interdicti: ac animi à corpore separatio temporaria, & ueluti somnus quidam corporis: cui quidem corpori idem animus, interim uel in sinu Abrahæ acquiescens, uel apud Inferos excruciandus, in nouissimo die aut ad beatam immortalitatem, aut ad miseriam sempiternam diuina uirtute restituetur. Ex hac definitione cõstat, mortẽ piis summũ bonum, impiis summũ malum esse: nec longiore opus est disputatione. Sed quia Philosophi plus suis ratiunculis, quàm sacræ scripturæ autoritati tribuunt: eorũ quoq; opiniones, quò magis elucescat ueritas, excutiemus.*

Philosophica definitio Ciceronis.

Mors est animi discessus à corpore.

Platonica.

Ὁ θάνατος, μὴ ἄλλο τί ἐστιν, ἢ ἡ τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγή; *Mors nunquid est aliud, nisi animi à corpore discessus?*

Aliter.

Ὁ θάνατος, ἐστὶ λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος: τὸ μελέτημα τῶν ὀρθῶς φιλοσοφούντων. *Mors, solutio & separatio animi à corpore, illud est, quod ueri philosophi*

phi meditantur. Intelligitur autem per mortem philosophicam, abductio mentis & auocatio à sensibus corporis: & reuocatio ad contemplationem rerum æternarum, & omnis materiæ expertium. Etsi omnino affirmat apud Platonē in Phædone Socrates: hominem aut nunquam, aut post mortem demum, ueræ sapientiæ fore compotem. Itaque philosophos mortem imprimis optare, magnoq́ cum desiderio expectare.

Aliter.

Ὁ θάνατος, ἐστὶν ἀποδημία ἐκεῖσε (εἰς ᾅδου) παρ' ἀγαθοὺς δεσπότας τοὺς θεούς: τῆς ψυχῆς εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ, τὸ θεῖον, ἀπερχομένης, καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον. *Mors est peregrinatio illuc (scilicet ad inferos, ubi, ut in Axiocho disputat Socrates, locus est amœnißimus uiris bonis præparatus) suscepta, ad bonos dominos Deos: animo ad sui simile, quod diuinum est, & immortale, & sapiēs, discedente.*

Epicurea definitio mortis.

Mors est extinctio uitæ, id est, & mentis, & sensuum, & totius hominis interitus: ut, quemadmodum nihil fuit, antequam nasceretur: ita etiam nihil sit mortuus. Non dißimilis huic est Euripidea mortis descriptio: Resolutio Euripidea.

Ὁ θε

Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο
Ἐκεῖσ' ἀπῆλθε: πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν. Οὐδὲ γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτό, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον.

Id eſt, Vnde unumquodque in corpus peruenit, eodem reuertitur: ſpiritus quidem ad ætherem, corpus uerò in terram. Neque enim id, tanquam noſtrum, poßidemus, ſed tantùm commorandi uelut diuerſorium quoddam habemus. Ambiguum autem eſt, utrum ſentiat, animam exhalari in aerem: an uerò animum, id eſt, mentem redire ad Deos in cœlum: quæ uox etiam apud Latinos ſæpe pro aere ponitur. De corpore quidem non dubitant Phyſici, quin id in ſua elementa reſoluatur: & (ut Simplicius ait) εἰς τὰς ἰδίας ὁλότητας *reuertatur. Similis & Epicharmi ſententia citatur:* καὶ ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθεν, πάλιν: γᾶ μὲν ἐς γᾶν: πνεῦμα δ' ἄνω, *id eſt, reuertitur unde uenerat: terra in terram: ſpiritus uerò ſurſum.*

Reſolutio corporis.

Pythagorica deſcriptio.

Mors eſt diſceſſus animi à corpore: &, uel reditus ad Deos (qui non patet, niſi uirtute & ſapientia ornatißimis) uel tranſitus in alia corpora, ſiue hominum, ſiue animantium utriuſque ſexus, ſiue ſtirpium, pro ſtultitia &

pro-

improbitate cuiusque, dignitate imminuta. Hæc est illa siue μετεμψύχωσις, siue μετενσωμάτωσις, nonnulli etiam μεταγγισμὸν, quasi transuasationem dicas, appellant. Neq; uerò Pythagoras opinionis huius autor est: sed longè illo antiquior Hermes Trismegistus: si modò ea scripta, quæ eo nomine circumferuntur, illius sunt. Tradit enim Goropius, apud Thraces Orpheo, apud Aegyptios Hermeti pleraque scripta posteriorum esse tributa.

Quartus locus. Partes.

Partes mortis nullæ statui possunt, cùm sit priuatio, quemadmodum cæcitas.

Quintus locus. Species.

Ne hæ quidem propriè tribui morti possunt: cùm sit uniformis quædam uitæ priuatio. Licet tamen eam distinguere accidentibus quibusdã, ut alia sit naturalis, cõsumpto humore, & extincto calore natura insito: quod à Græcis τὸ ἔμφυτον θερμὸν dicitur: sicut lucerna oleo deficiente, extinguitur. (Humidum radicale Medicorum uulgus appellat, quod ego me nomen apud probatos autores legisse non memini.) Calorem, suum habere pabulum, sicut ignem, idq; humidum, est consentaneum. Sed hæc disceptẽt Medici: quos non impedio, quò minus arbitratu suo Græcas uo- Mors naturalis.

Violenta. *ces & barbaras distinguant.) Alia uiolenta, ex intemperie qualitatum & humorum, siue ex intemperantia & uinolentia (quod plerunq; fit, præsertim ab ociosis diuitibus) siue ex corruptione aeris (ut in morbis, quæ Græci ἐπιδήμια νοσήματα uocant) orta: siue alia quapiam externa ui importata. Huius porrò genera infinita possent enumerari. Sed*

Volũtaria. *nos dicamus, aliam esse uoluntariã: cùm homo quibuscunq; de causis (quæ plurimæ esse possunt) uitæ pertæsus, necem sibi uel inedia, ut Isocrates & Atticus: uel ueneno, ut Demosthenes et Hannibal: uel laqueo, ut Iudas & Bonosus Imperator: uel ferro, ut Cato & percussores Cæsaris: uel similibus rebus, consciscit. Et hanc moriendi, cum libitum fuerit, potestatem, Plinius summũ esse bonum*

Fortuita. *hominis censet. Aliam fortuitam, cuiusmodi est præcipitium, conflagratio, suffocatio*

Coacta. *in aquis, & alia complura: aliam coactam,*

Legitima. *eámque uel legitimam, cuiusmodi sunt carnificinæ omnes: item mortes oppetitæ in bel-*

Tyrãnica. *lis: uel Tyrannicam, cùm homo innocens siue à latrone, siue à potente & scelerato homine, uel aperta ui, uel occulta fraude interficitur. Sed hæc parùm faciunt ad disputationem Philosophicã: illa instituto nostro propiora*

piora sunt, quæ Plato passim, et ex Platone Cicero prima Tusculana, & libro sexto de Republica tradidit: duplices esse uias & cursus animorum à corpore exeūtium, & reliqua. Plato aūt paucis uerbis hoc perstringens in Phædone ait: ταῖς μὲν ἀγαθαῖς ψυχαῖς ἄμεινον ἔσται: ταῖς δὲ κακαῖς κάκιον: id est: cū bonis animis melius, cū malis peius (scilicet quàm in hac uita fit: ubi sæpe boni excarnificātur, improbi uerò florēt) agetur. Theologi allegorικῶς diuidūt in mortē corporis, uiuēte animo: & mortē animi uiuente corpore: & mortē utriusq;, quæ est æternæ cōdemnationis cōciliatrix. Prior uerò illa de duabus, est piorū: posterior (nisi per pœnitentiā, id est, nō modò μεταμέλειαν, sed etiam μετάνοιαν, reuixerit animus) germana mortis æternæ soror: quā à nobis auertat diuina clementia. Quod ut rectius intelligatur: sic habendum est: improbos homines desinere peccare, δι' ἀδυναμίαν: quia libidinibus amplius seruire non possunt: pios uerò & ingenti affici dolore, quòd deliquerint & peccarint: & ex animo precari, ut Deus mentem sibi det meliorem. Teneatur hîc præclara D. Augustini sententia: mors, inquit, naturalis, est separatio animæ à corpore: æterna autem, separatio

Diuersa cōditio morientium.

Mors allegorica.

Destitutio, nō odium peccati.

Pœnitētia.

D. Augustinus.

paratio animæ & corporis à Deo.

Sextus locus. Causæ.

Effectrix Theologica. *In his prima spectatur effectrix: eaq́ θεολογικῶς statuetur contumacia primorum parentum: cui occasionem præbuerunt insidiæ & inuidia Diaboli: & hanc consecuta iusta ira Dei.* φιλοσοφικῶς *autem uaria commemorari possunt.*

Platonica. *Plato ait* καθάπερ οὐρανοῦ, οὕτω καὶ φύσεως ἁπάσης, κυκλοφορία τίς ἐστι. *Id est: omnia orta occidunt, totius naturæ quadam, perinde atq́ cœli, conuersione, in orbem redeunte. Corpora enim aut destituta calore & humore naturali: aut oppressa alieno & contrario naturæ, occidunt. Materia priuationis nulla est, nisi quis* καταχρηστικῶς *uaria instrumenta mortis, ut* κακοχυμίαν καὶ πληθώραν, *id est, redundantiam malorum humorum, aut* ἔνδειαν, *id est, penuriam bonorum; ferrum item & uenenum, & id genus alia, mortis materiam uelit appellare.*

Instrumenta mortis.

Forma.

Cadauer immobile, omnis sensus expers, fœtidum, ore hianti, extentis pedibus, fractis (oculis.

Finis.

Θεολόγως. *Vltio uiolati mandati diuini, &, uel ex desperatione pœnæ inferorum, uel, ob diuinæ misericordiæ fiduciam, & propter agnū Dei, tollen-*

tollentem peccata Mundi, beata immortalitas: quam recentiores quidã Theologi paucißimis patere: plerisq; tum demum contingere, etiam piis & sanctis contendunt, cùm ab omni labe uitiorum, instar auri septies excocti, apud inferos, per sæuißimos cruciatus perpurgati fuerint & expiati. Nituntur autem illi partim ratiunculis humanis: nefas esse, hominem multis flagitiis & sceleribus opertum, ob breue suspirium ad Deum, statim fieri beatum: partim autoritatibus sacrarum literarum, perperam accommodatis: partim apparitionibus spectrorum. Sed nos, istis omißis, sacras literas sequamur: quæ omni pœnitentiam agenti ueniam pollicentur: & Iesu Christi sanguinem nos mundare ab omnibus peccatis, testantur. Neque uerò quisquã propterea libidinosè sceleratéq; debet uiuere, aut ruere contra conscientiã. Vera enim pœnitentia (quæ est hominis conuersio ad Deum) & fidem, & nouã obediẽtiam complectitur. Estq; Dei donum, neque est in hominis potestate. Quare unusquisq; uigilet, sibiq; uideat, ne securitate & licentia sua ruat in æternum exitium. Et hic quidẽ Theologicus mortis finis est. Philosophicus aũt, ut singulæ partes animãtis, ad sua principia &

Purgatio animorũ.

Spe ueniæ nõ indulgẽdum libidinibus.

Φιλοσόφως.

integra redeant: atq; diuinitus, motu astrorum materiam agitante & animante, aliæ inde formæ oriantur. Materiam enim dicũt esse instabilem & fluxã, nouarumq; formarum, ut mulieres uirorum, subinde appetentem. Posset etiam ceræ cõparari materia aut argillæ: de quibus plastæ & figuli suo arbitratu, uarias effigies efformant.

Septimus locus. Effectus mortis.

Vitæ, & omnium æquè bonorũ ac malorum uitæ huius, quam in terris agimus, ereptio atq; amißio: felicitas piorum (μακάριοι γὰρ οἱ ἀποθνήσκοντες ἐν τῷ κυρίῳ) & miseria impiorum. Mors enim peccatorum peßima est. Huc adiici possunt & consequentia mortem aliquorum: cuiusmodi sunt, memoria uel obliuio, gloria uel infamia. (Neq; ferè aliã immortalitatem profani homines expectarũt, nisi τὴν ἀείμνηστον δόξαν.) Felicitas aut infelicitas siue publica siue priuata. Sæpe enim unius alicuius uiri præstantis obitus, perniciosus est toti Reipublicæ: sicuti scribunt, Thebarum gloriam cum Epaminonda & ortam esse & concidisse. Eadem est & tyrannorum, & priuatarum familiarum aliquando ratio.

Consequẽtia mortẽ.

Octauus locus. Adiuncta.

Mortem timeri, negligi, contemni, appeti, & si qua sunt similia. Hinc potissimùm pleraq; nascũtur quæstiones, ut, sit'ne malum mors? sit'ne uiuentib. & morituris, an moriẽtib. & mortuis malum? Possunt item huc adiungi, discrimina ætatum, ualetudinum, fortunarum, conditionum: ut, sit'ne infanti, puero, iuueni, seni decrepito, sano, ualetudinario, pauperi, diuiti, fortunato, ærumnoso, plebeio, Principi, patri, orbo, uiduo, cælibi, marito, bonum uel malum emori? Circũstantiæ multas gignunt disputationes.

Nonus locus. Cognata mortis.

Somnus, qui definitur breuis & reciproca mors: & Homerus, ὕπνον καὶ θάνατον δύ' ἀδελφεὼ *uocat: ut è contrario mors, diuturnu uel potius perpetuus somnus,* καὶ σιδήρεος ὕπνος, *& profundum suauissimũq; somnum morti facit simillimum:* Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. λειποθυμία, *quod deliquium animi uocant.* Λήθαργος, *id est, ueternus, stupor animi & corporis, id est,* ἀναισθησία.

Decimus locus. Pugnantia siue contraria.

Vita, id est, integritàs mẽtis et corporis, omni-

umq́; sensuum, tam interiorũ quàm exteriorũ. Cùm aũt contrariorũ eadẽ doctrina sit: non difficile cuiuis fuerit, ac potius perutile, VITAM *per has easdẽ ducere quæstiones.*

Vndecimus locus. Exempla mortis.

Hæc cõquirere stultum fuerit & ridiculum: nisi habeant aliquid rarũ, insigne, admirabile: cuiusmodi reperiuntur in iis, qui omnis generis uirtutũ, uitiorum, euentuũ exempla ex historiis collegerunt, ut Valerius Maximus, Plutarchus, Sabellicus, Egnatius, Fulgosius, Brusonius, Eborensis, Rauisius, Amantius, Polyanthea. Item Gnomologi plerią; & historici: è quibus omnibus conflatũ est præclarum illud opus amici mei D. Theodori Zuuingeri, Basiliensis Philosophi & Medici excellẽtis: quod theatrũ uitæ humanæ inscribitur: omnib. omniũ Romanorũ procerũ & Cæsarũ Amphitheatris anteponẽdum. Nam illa quidem ad ostentationem magnificẽtiæ, & inanem plebeculæ delinitionem ac uoluptatem comparata, ætatem ferre non potuerunt: hoc, uberiores animi fructus lectori studioso allaturum, immortalitatem consequetur. Atq; hæc de morte.

Theatrum uitæ humanæ.

Altera propositionis uox est MALVM, *cui bonum*

bonum opponitur: quod ex quo appellatum ſit, ſe neſcire fatetur Cicero. Mihi uerò & MALI (hoc eſt, uocis huius. Mala enim longè plura quàm uellem, etſi multò pauciora meritis meis, intra LXIII annos ſum expertus) origo æquè ignota eſt. Boni autem deſcriptiones huiuſmodi ſunt apud eundem Ciceronem. Bonum eſt, quicquid eſt ſecundum naturam: quod contra, malum: uel id quod eſt natura abſolutũ: uel quicquid aſciſcit natura, in bonis: quicquid aſpernatur, in malis eſt. Ea quæ ſequũtur Stoica ſunt: bonũ quod nemini malo eſt: quod eũ, qui poſſidet, meliorẽ facit, id eſt, quod rectũ, honeſtũ, laudabile, et cũ uirtute eſt. Hinc MALVM *quid ſit, facilè intelligitur: quicquid aſperũ alienũq́; à natura ſit. Tria porrò genera eſſe bonorum & malorum ſecundum Peripateticos, ſatis notũ eſt: à quibus Stoici diſſentientes, & ea quæ ad corpus & res externas attinẽt diſtinguentes, non ἀγαθὰ ἢ καλὰ καὶ κακὰ: ſed προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα (etſi è Diogene Laertio, qui uerbo ἀπροῆχθαι utitur, ἀπροηγμένα rectius legi uidetur) id eſt, præpoſita et reiecta appellãda cẽſuerũt. Reliquis quæſtionib. breuitatis cauſa ſuperſedeo: præſertim cùm minus neceſſariæ ſint. Illud tamẽ*

Bonum. Malum. Προηγμένα. Ἀπροηγμένα. Bona per ſe.

tenẽdum est, bona & mala dici aliâs absolutè: ut, cùm Moses tradit, omnia cõdita diuinitus, esse in suo genere ualdè bona: contraq́; mala statuunt esse Theologi per sese, quæcunq; Diaboli fraude & contumacia hominũ, non quidem uolente, sed nec prohibẽte Deo (qui geniis & hominibus liberum arbitrium dederit) in mundum inuecta sunt: ut peccatum, quod & summũ malum est, & omnis mali fons perennis, calamitates omnis generis, deniq; mors: non ultima linea rerum (ut scribit Horatius) sed uel initium felicitatis æternæ (de qua nunc non agimus) uel miseriæ nunquam terminandæ. Aliàs πρός τι, id est, respectu aliquo ad certas personas, loca, tempora, & alias conditiones, bona & mala pleraq; dicuntur. Qua de re præclarè disputat, cùm alibi, tũ in Panathenaico Isocrates. Hîc aũt quæritur utrunq;: &, nũ mors p sese malum sit? &, num malum sit uel uiuentibus & morituris, uel morientibus & mortuis? Cicero autem utroque modo malum esse negat. Per se (inquit) mors malum nõ est: quia aut omni sensu caret, aut sensum affert meliorem. Nam inferos fundamentum Christianæ religionis (quod quidem ad impios attinet. Piis enim beata immortalitas proposi-

Mala per se.

Bona, quæ ad aliud aliquid referuntur.

Argutiȩ Ciceronianȩ.

ta

ta est) tanquã anile deliramentũ, deridet. Iam ne uiuẽtibus quidẽ, inquit, malum esse põt mors, quos nõdum attigit: moriẽdi aũt si quis sensus est: is ad exiguũ & breue tempus durat. Quòd si mortuis ea nihil incõmodat: quãtò minus nocere põt morituris? unde conficitur, nihil esse in morte mali: ac potius eã habere plurimũ boni, si animi post mortem sint immortales & beati: id qđ multis argumẽtis ita ꝓbare conatur, ut subinde dubitationẽ suam nõ dissimulet, & tanquã Sisyphi saxũ, à summo cacumine mõtis ad imas radices: sic ipse de stelliferi orbis celsissimo fastigio ad omniũ ãbiectissimũ τὸ τῆς ἀναισθησίας ἀλεξιφάρμακον, *reuoluatur: et hominis uniuersi interitu, ueluti sacra ancora, nitatur. Principio aũt* εἰρωνικῶς, *id est, per dissimulationẽ, incõstantiã, non tã auditoris sui (nã hũc q-dem, ut qui Platonẽ legerit, doctũ fuisse adolescentẽ apparet) quàm uulgi rudis & imperiti, illius nomine, exagitat: quòd pugnãtia dicat: & eos miseros esse affirmet, q in rerum natura nõ sint. Mortui, inqt, nõ sunt, id est, nihil sunt. Ergo neq; beati, neq; miseri esse possunt. Negata enim & sublata substantia (quæ sedes & fundamentũ est accidentium) hæc cõstare nullo modo possũt. Nã primũ hoc*

Dubitationes Academicæ.

Auditor, uulgi personam sustinet.

agit, mortem tametsi ἀναισθησία sit, omneq́ sensum tam boni quàm mali tollat: non esse malum. Quod ut ratum fixumq́ esset: necessariò utiq́ tollendi fuerũt inferi. Deinde spẽ æternæ felicitatis facit. Nobis uerò locus hic de morte è sacrarum literarum autoritate, non è uolatica siue Ciceronis siue Socratis Academia est petendus: atq́ inde cõquirenda, contra metũ mortis & inferorũ, præsidia, remedia, & consolationes certissimæ. Neq́ tamẽ interim Ciceroniana hæc nullum usum habent. Præter enim exercitationẽ artiũ dicẽdi (quã is autor præclarissimã suppeditat: studiosis adolescẽtibus nunquã negligẽdam) proponit nobis ἀπάθειαν ψυχῆς καὶ αὐτάρκειαν ἀρετῆς, hoc est animũ trãquillũ, suaq́ uirtute contentũ. Quos scopos etsi humana infirmitas attingere nõ põt: tamẽ qui moderatis ingeniis sunt, et se dociles rectæ rationi præbẽt, id assequi possũt, ut prauos affectus reprimãt, et uanas cupiditates coherceant, et maiore studio uirtutis & sapiẽtiæ inflãmentur: horũ præceptorũ per omnẽ ætatẽ memores & studiosi. Quæ mihi causæ fuerũt, hoc Philosophicũ opus potius, quã cõtentiones forenses (in quibus tam multũ tẽporis consumpsimus) auditoribus proponendi.

De morte [illegible] candũ è sacris literis.

[illegible]hilosophiæ Ciceronianæ fi[illegible], Ani[illegible] tran[illegible]llus, & forte [illegible]ntẽcus.

VERBA

VERBA CICERONIS.

CVM defensionum laboribus, Senatorijsq́; muneribus, aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus: retuli me, Brute (te hortante maximè) ad ea studia, quæ, retenta animo, remissa temporibus, longo interuallo intermissa, reuocaui: &, cùm artium, quæ ad rectã uiuendi uiam pertinerent, ratio & disciplina studio sapientiæ (quæ Philosophia dicitur) contineretur: hoc mihi Latinis literis illustrandum putaui.

SENTENTIA PRIMA.

Defensionũ labores, & senatoria munera, sunt carcer quidam: ac dura & diuturna seruitus.

EXPLICATIO.

Ambitio tamen & auaricia in hanc plerosq; coniÿciunt: officio & Reipublicæ studio (id quod omnibus præstandum erat) perpauci mouentur. Illis enim demptis, malunt plerique aut indulgere genio, aut suum agere negocium, quàm cum domesticis curis coniungere publicas, et ingrati populi ferre intemperias. Sed splendor consularis, & emolumenta pro- (Ambitio & auaricia plures mouẽt, quàm patriæ amor.)

Defensionum labores. *uinciarum plerosq; incitabant. Defensionum porrò labores maximi sunt & difficilimi, si malam causam susceperis, patrocinio (ut Ouidius loquitur) maiorem: non tantùm ob uictoriæ desperationem: sed etiam propter conscientiam & famam. Nec abs re monet Isocrates Demonicum suum: ne ullius improbi negocij uel patronus uel adiutor esse uelit. Sed pragmatici è malis diuitum causis nostro seculo messem metunt uberrimam. Aequè difficile, ac potius multò difficilius est, uel in optima causa, sed iniquis præiudicijs oppressa, hominem quamuis innocentem, ac potius uirũ optimum, inuisum tamen atq; inopem, præsertim contra potentes & gratiosos aduersarios, apud Tyrannicos, aut largitionibus corruptos, aut affectibus suis seruientes, aut imperitos iudices, tueri. Eadem est & accusationum ratio: quas ita Cicero uelare ac dissimulare studuit, ut actiones Verrinas, sociorum, Antonianas, Reipublicæ defensiones, uideri uellet. Senatoria uerò munera præcipua sunt, saluti, tranquillitati, dignitati Reipublicæ (quam sincera religio, & honesta ciuiũ disciplina cumprimis continent) consulere. Quod qua ratione fieri & possit & debeat: uiri prudentes è conditione temporum, suæq;*

Accusationes dissimulatæ.

Senatoria munera.

ciuitatis

ciuitatis statu, facile perspicient. Alijs enim alia conueniunt: nec in genere describi satis possunt omnia: neque adeò huius instituti sunt.

SENTENTIA SECVNDA.

Ciceroni seruitus Reipublicæ, libertatem & ocium philosophandi peperit.

EXPLICATIO.

Appendix è tertio de officijs. Ad hanc scribendi operam omne studium operamq́ conuertimus, & plura breui tempore euersa, quàm multis annis, stante Republica scripsimus.

Ciceroni propositum fuit, ingrauescente ætate, cum dignitate ocium. Sed is Philosophus fuit Cicero (ut è multis eius querelis apparet) qui dignitatem publicam huic ocio Philosophiæ longè anteponeret: τῇ φύσει πρακτικώτερος ὢν, ἢ θεωρητικώτερος: & (si uerum sine inuidia dicere liceat) φιλοτιμώτερος ἢ φιλοσοφώτερος: ut qui τὰ φιλοσοφούμενα, quæ tractauit, ἀπόγραφα, quasi descripta à Græcis, appellarit. Fuit ergo illi τὸ μὲν πολιτεύεσθαι ἔργον: τὸ δὲ φιλοσοφεῖν, πάρεργον, καὶ λόγων ἐπίδειξις, καὶ ῥητόρων ἀγών. Hæc tantùm abest, ut ad eleuandam Ciceronis autoritatem pertinere uelim: ut &

Cicero agẽdi quàm scribendi studiosior.

Ciceronẽ magni faciendũ esse.

ut & tot eius lucubrationes intercidisse doleam: & C. Iulio Cæsari penè gratias agam, quòd illi, oppressa Republica, philosophandi ocium fecit: & M. Antonio, qui eam inchoata perficere non siuit: ut nec Cæsarem coniurati ea exequi paßi sunt, quæ splendidißimè & magnificentißimè in oratione pro M. Marcello exponuntur, uehementer irascar. Sed ille meam indignationem non pluris facit scilicet, quàm ego illorum obtrectationes, οἵτινες κορύζης τὴν ῥῖνα μεστοὶ ὄντες, nec philosophicã in autoribus interpretandis libertatem ferre possunt: & mancipati præceptis opinionibus, sine iudicio quiduis & probant & improbãt: ἄδρηστα ἀνδράποδα μᾶλλον ὄντες ἢ φιλόσοφοι.

Obtrectatores contemnendi.

TERTIA SENTENTIA.

Aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus.

EXPLICATIO.

Hac disiunctione Cicero prudenter cauet ansam reprehensionis. Nam & curia illi patuit: etsi non placuit inter eos sententiam dicere, qui uiam ad curiam ignorarent: & regem Deiotarum, M. Marcellum, Q. Ligariũ, aliosq́; fortasse plures, non quidem dignitate consulari, sed gratia potius ipsius Cæsaris &

amicorum fretus, defendit. Significat etiam, hanc à se liberationem esse desideratam. Deferbuerat utiq; nonnihil in eo ambitionis, æstus: & imminuta erat, non restincta gloriolæ sitis: cùm (ut consentaneum est) prospiceret, se ex illustrata Philosophia maiorē, quàm è gesto consulatu laudem apud posteros consecuturum. Scripta Cicerōis gloriosa.

IIII. SENTENTIA.

Retulí me Brute (te hortante maximè) ad ea studía, &c.

EXPLICATIO.

Quanti M. Brutum, ob summum eius ingenium & singularem uirtutem morumq; suauitatē, Cicero fecerit: nemini, qui uel Epistolas eius, uel Fines, Oratorem, Claros oratores, Paradoxa, & has ipsas Tusculanas legerit, est obscurum. Ac philosophicæ lectionis ultrò studiosissimum fuisse Ciceronem, quis est qui nesciat? Ac ne ab illustranda quidem ea Latinis literis, abhorruisse, æquè constat. Multum tamen ualent approbationes et incitationes eruditorum amicorum: fitq; in hominibus etiam, quod Ouidius scribit: Adhortationes amicorum, studia incitát.

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.

Me

Me quoq; D. Georgij Henischij, uiri doctissimi, Medici & Mathematici huius urbis, collegæ mei, ut hæc ederem (cùm iam ualedixissem Typographijs) uel cumprimis impulit autoritas. Accessit & Scholarcharum nostrorum approbatio.

V. SENTENTIA.

Studia Philosophiæ & eloquẽtiæ retinenda sunt animo: &, quamuis remissa temporibus, longo interuallo intermissa, reuocãda. Vel, referre nos per ocium ad bona studia debemus.

EXPLICATIO.

Appendix è primo de officijs. Ab actione (in qua uirtutis omnis laus consistit) sæpe fit intermissio: multiq; dantur ad studia reditus (scilicet homini Philosophico, discendiq; cupido) cùm agitatio mentis, quæ nunquam acquiescit: possit nos in studijs cognitionis, etiã sine opera nostra, continere.

Diuites ferè studia negligunt.

Hoc diuitum perpauci faciunt: qui, ductis uxoribus, cùm aliquam partem Reipublicæ attigerunt: adeò studia curare desinunt, ut plerisq; paulatim ea excidant, quæ adolescentes non infeliciter didicerunt. Οὕτως ἐπικρατεστέρα γέγονεν ἡ φιληδονία, καὶ φιλοχρηματία, τῆς φιλοσοφίας καὶ φιλολογίας. *Quòd si qui*

fortè

fortè sunt, qui lectioni temporis aliquid impendere non grauentur: uernacula, aut Italica, aut Gallica, aut Hispanica, Latinis & Græcis, fontibus omnis doctrinæ uberrimis & limpidissimis, ferè anteponunt: κενόδοξοι μᾶλλον ὄντες ἢ φιλόσοφοι. Sic enim doctrinam suam apud plures ostentare possunt. Sed quis hæc miretur? cùm ἡ πενία, ἡ τὴν σοφίαν λαχοῦσα, idem ferè faciat, rei familiaris uel tuendæ uel augendæ necessitatem προφασιζομένη. Sed ita nunc uiuitur: Barbara scripta Latinis & Græcis præferuntur.

Ταὶ ἀρεταὶ καὶ ταὶ σοφίαν νικαῦντι χελῶναι.
Δεινῆς τινὸς μισολογίας, τῆς τῶν ψευδοφιλοσόφων ψυχαῖς ἐμφωλευούσης.

VI. SENTENTIA.

Omnium artium, quæ ad rectam uiuendi uiam pertinent, ratio & disciplina studio sapientiæ, quæ Philosophia dicitur, continetur.

EXPLICATIO.

Appendix è 2 de officijs. Quid est, per Deos, optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? Sapientia autem est, rerum diuinarum & humanarũ, causarumq́, quibus hæ res continentur, scientia. Cuius studium (id est, Philosophiam)

loſophiam) qui uituperat : haud ſanè intelligo, quid nam ſit, quod laudandū putet, &c.

Philoſophia, ſine cēſura theologica, labyrinthus eſt.

Nos Chriſtiani Theologiam laudandam putamus: ſine cuius cenſura & lumine, quid eſt Philoſophia, niſi (ut Socrates aiebat) ambiguum quoddam ſomnium, et obſcuriſsimus diſcrepantium opinionum Labyrinthus? Vulgus autem hominum (quo nomine non tam agricolas & opifices, quàm purpuratos & torquatos eos complector, qui externum ſplendorem pluris faciūt, quàm internum decus) alto cachinno ſublato, Philoſophiam mendicis nobis (οὕτω γὰρ ἡμᾶς μικροπτώχους τινὰς ὄντας, αὐτοὶ μεγαλόπτωχοι ὑπάρχοντες, προσαγορεύουσι *) laudandam & colendam relinquent: ipſi uoluptates, opes, honores, gratiam principum, & altiorem dignitatis gradum celebrabunt & conſectabuntur. Vtinam uerò qui ſtudioſi appellantur, perſuaſum haberent, quod hîc Cicero dicit:* omnium artium rationem & diſciplinam, ad rectam uiuendi uiam pertinere: non ad ſordidum quæſtum. *Nam & Philoſophiam maiore ſtudio diſcerent: & uitam agerēt modeſtiorem: & ſapientiæ ſtudio nihil anteferrent. Neq; enim humana ſapientia (ut in Epicteto & alijs noſtris lucubrationibus oſtēdimus) intra*

ſuos

ſuos ſe fines continens, neq; arcanis æternitatis impudenter ſe ingerens, aſpernanda eſt. Quam qui contemnit, quid niſi mentem ſuã contemnit? qua nihil maius & melius homini, Dei immortalis munere, datum eſt.

VII. SENTENTIA.

Sapientiæ ſtudium ſibi Cicero Latinis literis illuſtrandum putauit.

EXPLICATIO.

Appendix è prima Academica. Nunc ſum ingreſſus res eas, quas didici, mandare monumentis: Philoſophiamq; ueterem illam, à Socrate ortam, Latinis literis illuſtrare. È primo libro de Finibus. Quæ ſummis ingenijs exquiſitaq; doctrina Philoſophi Græco ſermone tractarunt: ea Latinis literis mandamus. È primo de natura Deorum. Ipſius Reipublicæ cauſa, Philoſophiam Romanis hominibus explicandam putaui: magni exiſtimans intereſſe ad decus & laudem ciuitatis, res tam graues tamq; præclaras Latinis etiam literis contineri. È ſecundo de officijs. Maximis in malis hoc tamen aſſecuti uidemur: ut ea literis mandaremus: quæ nec erant nota noſtris: & erant cognitione digniſſima.

Reipublicæ intereſt, ciues erudiri.

VIII. SENTENTIA.

Non quia Philosophia Græcis & lite ris & doctoribus percipi non posset.

EXPLICATIO.

Græca lingua cõtra Ciceronis iudiciũ cõ temnitur ab ijs, qui ipsum etiã Ciceronẽ cõtemnũt.

At has nunc pleriq;, ut superuacaneas, siue ob Latina scripta (quibus se cõtentos esse dicunt) siue ob interpretum (etsi sæpe non optimorum) copiam: quos nec ipsos legunt, suis quibusdam practicis methodis contenti, καὶ ὡς μηδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα facientes, aspernantur: repudiata Ciceronis autoritate: qui semper Latina cum Græcis, ad suam utilitatem (id est, utiliter & magno cum fructu sapientis eloquentiæ) se coniunxisse, uir consularis, exacta ætate, gloriatur. Sed fruantur homines ignaui suo ocio: ambitiosi, uanitate: auari, pecunia: indigni Philosophiæ thesauris: quibus eos Theologiam anteponere laudandum esset, si & theologicè uiuerent. Historiam uerò Philosophiæ præferre, est (ne quid grauius dicam) ἀνδρὸς ἀβελτέρου, peruerso iudicio pluris ea facientis, quæ perperam facta narrantur, quàm ea, quæ rectè sapienterq; præcipiuntur. Illud probarem, Theologiæ censuram Philosophiæ adiungere, & exempla poëtarũ & historicorũ copulare cum utraq;.

Theologia & historia cũ philosophia cõiungendæ.

Obiter

Obiter notetur & constructio uerbi ἐλλειπτι-κῇ, Philosophia percipi potest Græcis & literis & doctoribus, id est, è Græcis literis & à doctoribus Græcis. Ita & alibi, nulla, inquit, ars literis percipi sine doctore potest, pro, è libris. E' quibus qui artem aliquã didicerunt, falsò gloriantur, se αὐτοδιδάκτους εἶναι: cùm ipsi libri sint muti quidã doctores. Etsi autem ijs uel industriæ uel laboris laus rectè tribuitur: felicius tamen & facilius discunt plerique, doctis magistris, & studiosis condiscipulis utẽtes. ἡ γὰρ ὁμιλία, secundum Euripidem, πάντων βροτοῖσι γίγνεται διδάσκαλος. Et uulgò negant, sibi quenq̃ bonum esse præceptorẽ. Doctorũ consuetudo, mutæ lectioni præstat.

IX. SENTENTIA.

Sed meum iudicium semper fuit: omnia Romanos aut inuenisse per se sapientiùs, quàm Græcos: aut accepta ab illis fecisse meliora: quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Romanis suis Cicero principatum rerũ omniũ tribuit.

EXPLICATIO.

Hîc notandum est, non tam fortaßis ex arrogantia imperij, aut cæco quodam sui & suorum amore, scribere hæc Ciceronem, aut, quod facile est, ut Athenienses Athenis, ita Romæ Romanos laudare: q̃ attẽtionis ergò, &

ad commendationem ſcriptorum: ne ea propter copiam literarum Græcarum negligantur. Deinde τὴν προκαταληπτικὴν ὑπεξαίρεσιν, *hoc eſt, exceptionem illam, prudenter eſſe additam & cautè, ad auertendam uanitatis ſuſpitionem. Quòd autem hîc Cicero ſuis Romanis: id Plato in Epinomide Græcis tribuit, his uerbis:* λάβωμεν δὴ, ὡς, ὅ, τι περ ἂν ἕλληνες βαρβάρων πάρα λάβωσι: κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται, *hoc eſt, conſtare inter nos debet, quicquid Græci à Barbaris acceperint, id eos perficere & exornare. Eſt autē omnia inuenire per ſe ſapienter, magni & acuti ingenij: ab alijs accepta facere meliora: nec ſocordis nec inertis. Quæ autem digna ſint, in quibus elabores, non ſtatui poteſt, niſi ab homine acri, & prauis affectibus incorrupto. Qui quia pauci ſunt: quàm ſtultè & improbè pleriq; ſtatuant, quis non uidet?*

VERBA CICERONIS.

Enumeratio preſtantiæ Romanorum.

NAm mores & inſtituta uitæ, resq; domeſticas ac familiares nos profectò & melius tuemur & lautius. Rem uerò publicam noſtri maiores certè melioribus temperarunt & inſtitutis & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cùm

cùm uirtute noſtri multum ualuerunt, tum plus etiam diſciplina. Iam illa quæ natura non literis aſſecuti ſunt, neq; cum Græcis neq; ulla cum gente ſunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas? quæ tanta conſtantia? magnitudo animi? probitas? fides? quæ tam excellens in omni genere uirtus in ullis fuit, ut ſit cũ maioribus noſtris comparanda?

EXPLICATIO.

Excellentia illa Romanorum, demonſtratur enumeratione ἀναποδείκτῳ ἢ αὐτοπίστῳ: quòd cùm rerum teſtimonia adſint, non opus ſit uerbis. Potentiam armis partam ignorabat nemo ea ætate: cætera è monumentis hiſtoriarum ſatis erant nota doctis. Ac ipſum urbis conditorem Romulum non minus præſtitiſſe ciuili prudentia, quàm belli armis, in Archæologia ſua docet Dionyſius Halicarnaſſeus. Recenſet autem Cicero 1. *Mores & inſtituta uitæ, id eſt, diſciplinam priuatã, quæ profectò maximi momenti eſt.* 2. *Res domeſticas ac familiares, id eſt,* τὴν οἰκονομίαν: *ad quam etiam ſuperiora pertinent.* ἔστι δὲ ἡ μὲν οἰκονομία, μικρὰ πόλις: ἡ δὲ πόλις, μεγάλη οἰκονομία, *hoc eſt, eſt autem familia, parua*

quædam ciuitas: ciuitas uerò magna quædā familia. Neq; unquam Respublica præclara erit, nisi honesta fuerit priuata disciplina. 3. Reipublicæ instituta & leges, id est, τὰ πολιτικὰ καὶ δικαστικά. 4. Rem militarē, quæ constat uirtute & disciplina: & pars est τῆς πολιτικῆς, sicut & ἡ νομικὴ, καὶ ἡ δικαστικὴ, καὶ ἡ ῥητορικὴ. Est sanè militia nunc honorata, quia perpetua ferè bella geruntur. Sed est inuentum Diaboli, mendacis & homicidæ, & pœna atrocissima superbiæ, auariciæ, libidinum, impietatis. 5. Excellentiam ingeniorū & animorum, id est, sapientiam & uirtutem insignem, quæ cæterarum omnium laudum efficientes causæ statui possunt.

Bellum, inuentū diaboli.

X. SENTENTIA.

Mores & instituta uitæ, resq; domesticæ ac familiares & benè tuendæ sunt & lauté.

XI. SENTENTIA.

Respublicæ optimis temperādæ sunt & institutis & legibus.

EXPLICATIO.

Cicero uitia sui temporis hoc loco dissimulat.

Dissimulat hîc Cicero, quantum à Maiorū institutis posteri degenerarint: quàm exigua legum fuerit autoritas, quàm corrupti mores,

mores, de quibus & Liuius. Nuper, inquit, diuitiæ auariciam: & abundantes uoluptates, desiderium per luxum atq; libidinem pereundi perdendiq; omnia inuexere. Sic

Armis præcipuè Romana potentia creuit
Et cecidit luxu, nequiciaq; malo.

XII. SENTENTIA.

In re militari cùm uirtute Romani multum ualuerunt, tum plus etiã disciplina.

EXPLICATIO.

Non modò bellica uirtus intelligatur; cuius est (ut apud Liuium ait C. Mutius) & ferre & pati fortia: sed & moderatio uictoriæ, & clementia erga uictos, & fides seruata etiam hostibus. Disciplinæ autem seueritas (ne atrocitas dicam) quanta fuerit: ostendunt Manliana imperia, & Appianæ militum decimationes. Quibus rebus magnas non Europæ tantùm, sed & Africæ & Asiæ partes in potestatem suam redegerunt. Obseruentur obiter rerum et personarum collationes: Ea cum nulla gente sunt cõferenda: &, quæ uirtus sit cum Maioribus nostris cõparanda. Sic in Oratore: Maiore mihi ingenio uidetur esse Isocrates, quàm ut cum Orationibus Lysiæ comparetur.

Bellica uirtus.

Disciplina militaris.

XIII. SENTENTIA.

Quædam natura, quædam literis (id eſt, inſtitutione doctrinæ, cum qua imitatio, & exercitatio coniuncta eſt) aſſequimur.

EXPLICATIO.

Tria ad omnem excellentiam neceſſaria.

Notentur diligenter tria illa, quæ ad omnem uirtutis & doctrinæ excellentiam requiruntur: queq; hominem non ſtupidum, & in ſuimetipſius, & in aliorum cognitionem deducunt: ab alijs ſuſcipiendis deterrent: ad alia, bona cum ſpe aggredienda, cõfirmant. Ea

1. Naturę bonitas.

ſunt, α. ἡ φύσις, φυσικὴ δύναμις, τὸ πεφυκέναι πρός τι, εὐμοιρία φύσεως, θεία τις μοῖρα, id eſt, naturæ bonitas, & generoſa indoles, ingenium diuinitus datum, & uoluntate & facultate cognoſcendi agendiq; inſtructum. Huic opponitur ἀδυναμία φυσικὴ, τὸ ἀποπεφυκέναι: quando & uoluntas languet, & torpet ingenium: aut, ut excitata ſit uoluntas rei alicuius ſplendore & dignitate, uires tamen & perficiendi facultas deſunt: exemplo ſint, Homerus & Chærilus, uterque poëta: Achilles & Nireus, uterq; bellator: ſed alteri quidem præſtantes: alteri parùm celebres. Neq; uerò hæc in uirtutibus & artibus tan-

tùm:

tùm: sed etiam in uitiis & ruditate, in commodis corporis & incommodis, in rebus fortuitis quoq; permultum ualent. De quibus sunt sagaces coniecturæ Astrologorum.

Β'. Ἔθος, ἄσκησις, γυμνασία, μελέτη, μίμησις, φιλοπονία, τὸ δ' ἦχθαι, τὸ τέρπεσθαι περί τι, *id est, consuetudo, exercitatio, imitatio, educatio honesta, industria, studiũ, diuturnus usus. Quæ cùm ad naturam accesserũt: gignũt* ἕξιν δυσμετακίνητον, *hoc est, ea quasi uestigia & animis & corporibus imprimũt, quæ non facilè deleri possunt. Huc pertinent* νόμος καὶ χώρα, *leges, mores, & instituta ciuitatũ, sodalitates item & commercia: quæ sunt uel efficacißima disciplina.* II. Assuefactio & exercitatio, & imitatio.

Γ'. Λόγος, παιδεία, διδασκαλία, φιλοσοφία, *id est, ratio, institutio, eruditio, doctrina: quæ & naturam expoliũt, illustrant, augẽt: & exercitationem atq; imitationem ducũt, moderantur, gubernant. His quartum addi potest: quo destituta multa præclara ingenia in obscuro latent,* εὐπορία, *opes tantæ, quæ sumptus, ocium, & instrumẽta, doctrinæ & exercitationi necessaria, suppeditent. Sed multi, in quibus acre ingenium est, & strenuus animus, uel sine his externis adiumentis, altius ascenderunt, etiam iis, quibus ab-* III. Institutionis diligentia. IIII. Mediocres opes.

c s undè

undè ſuppeditata omnia fuerunt: ut naturæ immortali fortuna mortalis ceßiſſe uideatur. Sed rectè eos beatos ferunt, quorum uirtuti fortuna coniuncta eſt.

XIIII. SENTENTIA.

Virtutes principũ. Magna grauitas, magna cõſtantia, magnitudo animi, probitas, fides, excellens in omni genere uirtus in principibus eſſe debet.

EXPLICATIO.

Cùm tantùm ſuis maioribus Cicero tribuat: libet & Liuij teſtimoniũ aſcribere. Is, aut me, inquit, amor negocij ſuſcepti fallit: aut nulla unquam Reſpublica nec maior nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam ſerò auaricia luxuriaq́; immigrauerint: nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parſimoniæ honos fuerit. Adeò quantò rerum minus: tantò minus cupiditatis erat. Si hæc cõſiderarent principes: non tantùm equitare & uenari docerent liberos ſuos. Quæ autem ſit excellens in omni genere uirtus, Philoſophorum ſcripta docent, nec minus Iſocratis & præcepta & laudationes, & conſilia. Iuriſprudentia uerò quid iuſtum, quid iniuſtum ſit, prolixè & accuratè tradit.

XV. SENTENTIA.

Doctrina Græcia nos & omni literarum genere superabat. Doctrinæ palmã Græcis concedit Cicero.

EXPLICATIO.

Hoc quasi totũ seu genus est: cui subijciuntur siue partes siue species: 1. poësis. 2. pictura. 3. Musica. 4. Geometria, & reliquæ Mathematicæ disciplinæ, κατ' ἐξοχὴν sic appellatæ, propter docendi discendiq́; certitudinem. 5. Eloquentia. 6. Philosophia: quæ una reliquarum artium omniũ quasi parens & nutricula est. In hac recensione, poëseos & eloquentiæ laudẽ ita concedit Græcis, ut Romanis utranq; communem esse uelit.

XVI. SENTENTIA.

In quo erat facile uincere non repugnantes. Non uincit, nisi qui certat.

EXPLICATIO.

Hic respondere Græci queãt, facile esse, addere inuentis: sibiq́;, si non perfectionis (quanquam eam quoq; sibi iure uendicare possint) at inuentionis & antiquitatis laudem deberi. Deinde iniquũ esse & stultũ, captare laudẽ ex ignaua cessatiõe. Pugnæ enim & uictoriæ deberi triũphũ, nõ desidiæ & negligentiæ.

VERBA CICERONIS.

Nam cùm apud Græcos antiquissimũ ẽ do-

Antiquitas & eruditio poetarum commendatur.

è doctis genus sit poetarum (siquidem Homerus fuit & Hesiodus ante Romã conditam: & Archilochus regnante Romulo) serius poeticam nos accepimus. Annis enim ferè DX. post Romam conditã Liuius fabulam dedit, Appio Claudio Ceci filio, M Tuditano Consulibus, anno ante natum Enniũ, qui fuit maior natu, quàm Plautus & Næuius. Serò igitur à nostris poetæ uel cogniti uel recepti. Quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum uirtutibus. honorẽ tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis in qua obiecit ut probrũ Marco Nobiliori, quòd is in prouinciã poetas duxisset. Duxerat aũt Consul ille in Aetoliã, ut scimus, Enniũ. Quò minus ergo honoris erat poetis, eò minora studia fuerũt. Nec tamẽ si qui magnis ingeniis in eo genere extiterũt, nõ satis Græcorum gloriæ responderunt.

XVII. SENTENTIA.

Apud Græcos antiquissimum è doctis genus est poetarum,

EXPLICATIO.

Si docti sunt poetæ: non tantùm fabulas & nugas

nugas tractāt. Si antiquissimi: probabile est, eos cōplures sententias à patriarchis & prophetis acceptas uersibus suis esse complexos. Quàm multa præclara præcepta habent Hesiodus, Philolaus, Theognis, Phocylides? Homerum uerò pleriq; docti censent omnē Philosophiam, omnes disciplinas scriptis suis cōprehendisse: & Oceanum quendam esse omnis doctrinæ: unde posteriores non poetæ modò & oratores, sed literati omnes, ipsiq; adeò Philosophi suam eruditionem deriuarint. Est & illud obseruandum, ante Pherecydem Scyrium, Pythagoræ præceptorem, circa tempora septem Græciæ Sapientum, nonnullos existimasse, nullum extitisse scriptum solutæ orationis. Vnde apparet, quanti ueteres numerosam fecerint orationē: ut quæ & delectationē singularē haberet: et memoriā, omnis doctrinæ thesaurū, nō mediocriter adiuuaret. Quapptergo facilè patior, ac poti⁹ probo & laudo eos, qui præcepta artiū uersibus iis, quos res tulit, cōplecti studuerunt.

Pherecydes Scyrius solutæ orationis primus scriptor.

XVIII. SENTENTIA.

Serò à Romanis poetæ sunt uel cogniti uel recepti.

EXPLICATIO.

Ergo antiquissimo è doctis genere ad annos

DX. *ca-*

DX. *caruerunt*, ὀψιμαθεῖς γιγνόμενοι καὶ ἡμιβάρβαροι. *Nostri uerò Germani ita nunc ferè student, ut propediem* ὁλοβάρβαροι καὶ θηριώδεις *fore uideantur.*

XIX. SENTENTIA.

Homerus fuit & Hesiodus ante Romam conditam.

EXPLICATIO.

Chronologiæ. *Præter Eusebij Chronicon, mendosum admodum, Chronologiæ cõplures extãt. E' quibus pleriq; docti Functianam maximè probant: cuius Epitomen confecit Chytræus. Ad rationẽ temporũ, quæ lux est historiæ, multũ faciũt & Genealogiæ Rineccij, & Clementis Schuberti Scrupuli Chronicorum. Eberi uerò & Beutheri Calendaria historica & Fasti, iucundissimã habent, non annorũ modò, sed & mensium & dierum annotationem.*

XX. SENTENTIA.

Apud ueteres, soliti fuerunt, in epulis, canere conuiuæ ad tibicinem, de clarorum hominum uirtutibus.

EXPLICATIO.

Rusticana Musica. *Rudis utiq; fuit illa Musica, qualis fortasse & Germanorũ nostrorum quondam fuit: & adhuc est aliquãdo in conuiuijs rusticorum: quali & ipse in sylua Hercyniæ recessib. semel interfui.*

415

interfui, exorato uicino rustico, cuius uocem & artem laudabã, ne & pro me canere recusaret. Qualiscunq; autẽ ille mos sit: (largiora enim pocula sæpe extra modestiæ limites euagantur) longè certè præstat immanibus poculis, & rixis, & obtrectationibus, & digladiationibus. Quòd si uirtutes non bellicæ tantùm (necessariæ magis quàm optabiles. Nam Et bellica & ciuilis uirtus ornanda est.

— Pax optima rerum

Quas homini nouisse datũ: pax una triũphis

Innumeris potior)

sed etiam pacis artes, probiq; mores celebrantur: ista res exemplo quoq; prodest, & ad imitationem nonnullos incitat.

XXI. SENTENTIA.

Honos poetis non fuit, quos in prouinciam duxisse, ut probrum, obiectum est consuli.

EXPLICATIO.

Solẽt artifices ægrè ferre, sua studia reprehendi: cùm ipsi potius reprehendãtur, sua studia malis moribus deformãtes. Quá de causa & poëtas fuisse Romanis inuisos apparet, ut ebriosos & fanaticos. De Ennio tamẽ miror, quem non tantùm propter ingenium, sed etiam ob morũ probitatẽ, summi uiri magnifecerunt, adeò ut hoc de eo memoretur: Artifices ipsi deformant artes suas malis moribus.

Ennius

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Sed fortasse Cato, ὁ παντδ[αχέτης], accusatorio more, abususq́; ineptis indoctorum iudicum præiudiciis, aduersarium eo nomine reprehendit, quo potius laudandus esset.

XXII. SENTENTIA.

Quò minus honoris erat poetis: eò minora studia fuerunt.

EXPLICATIO.

Linguæ eruditæ, & ingenuæ artes frigẽt hodie apud Germanos.

Sic nostra ætate frigent studia linguarum, Mathematum, ipsius denique Philosophiæ: quia parùm honoris illis est: hoc est, quia harum rerum studiosi, uel contemnuntur, uel negliguntur, uel certè malignis præmiis afficiuntur. In his ergo studiis ij ferè soli elaborant, quos aut natura excelsos quosdam & alta spectantes, humanaq́; contemnentes genuit: aut casus quidam, et angustiæ rei familiaris ineluctabiles, in hoc quasi ergastulum compulerunt.

XXIII. SENTENTIA.

Non, si qui magnis ingeniis in re poetica extiterunt, non satis Græcorum gloriæ responderunt.

EXPLICATIO.

Difficile iudiciũ est de iis, qui ætatem Ciceronis

ronis antecesserunt. Horatio certè nec Lucilius nec Plautus admodum probantur: & Ouidio teste, fuit Comparatio poetarum difficilis.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

De æqualibus Ciceronis, eoq́; posterioribus, extant Quintiliani & aliorũ censuræ. Sed, quicquid illi dicant: subinde personant aures meæ Horatianis illis uersibus:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius auaris.

VERBA CICERONIS.

AN censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datũ esset quòd pingeret: non multos etiã apud nos futuros Polygnotos & Parrhasios fuisse? Honos alit artes, omnesq́; incenduntur ad studia gloria: iacentq́; ea semper, quæ apud quosq́; improbantur. Summam eruditionem Græci sitam censebant in neruorum uocumq́; cantibus. Igitur & Epaminondas (princeps meo iudicio Græciæ) fidib. pręclarè cecinisse dicitur: Themistoclesq́;, aliquot antè annis, cùm in epulis recusasset lyram, est habitus indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt: discebantq́; id oẽs: nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. In summo Honos alit artes: neglectio, famé enecat.

mo apud illos honore Geometria fuit. Itaque nihil Mathematicis illuſtrius. At nos metiendi ratiocinandiq; utilitate huius artis terminauimus modum. At contrà Oratorem celeriter complexi ſumus: nec eum primò eruditum, aptum tamen ad dicendum. pòſt autem etiam eruditum. Nam Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuiſſe memoriȩ traditum eſt: ſtudioſum autem eum, qui hos ætate anteibat, Catonem: pòſt uerò, Lepidum, Carbonem, Gracchos: deinde ita magnos noſtram ad ætatem ut nõ multum aut nihil omninò Græcis cederetur.

Ars oratoria Romanis grata.

XXIIII. SENTENTIA.

Fabio, homini nobiliſsimo, laudi datum non eſt ꝙ pingeret (τὸ ζωγραφεῖν.)

EXPLICATIO.

Etiam aliȩ liberales artes, præter illas ſeptem.

Mercenaria in eo opera potuit reprehẽdi: ſtudiũ uerò ipſum, ad quod naturæ nutu ferretur, quoq; honeſta oblectatione uteretur, uituperare, neſcio cuius ruſticitatis fuerit. Ego picturam, architecturam, τὴν τε πλαστικὴν, καὶ χυμικὴν (τὴν ἰατρικὴν λέγω, ἀλλὰ μὴ τὴν καπνοχρυσοποιητικὴν) καὶ τορευτικὴν, *& ſi quæ ſimiles ſunt. non inuitus in artium*

libe-

liberalium numerum admiserim: cùm plus habeant ingenij, quàm laboris: ea tamẽ adhibita moderatione, ut ne interim officij munus negligatur: atq́ sint ista ἡδύσματα μὲν, οὐχὶ δὲ ἐδέσματα.

XXV. SENTENTIA.

Honos alit artes: omnesq́ incenduntur ad studia gloria: iacentq́ ea semper, quæ apud quosq́ improbantur.

EXPLICATIO.

Sic Plato ἡ πολιτειῶν: ἀσκεῖται δὴ τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Honos aũt intelligatur, non tantùm externa illa significatio uerborum & gestuũ: sed etiã præmia luculenta, & splẽdida remunerationes: quibus Italicæ Academiæ non Iurisconsultos tãtùm & Medicos: sed Mathematicos etiam & Philosophos, atq; adeò Grammaticos (qui per Germaniam passim esuriũt) afficere, atq; ita liberalium ingeniorum studia & uoluntates excitare solent. Quæ tamen importunitate quorundam balatronum & scurrarũ, penitus restingui, non mirũ esset. Italorum erga doctos liberalitas.

XXVI. SENTENTIA.

Summam eruditionem sitam Græci censebant in neruorum uocumque

 canti-

cantibus. Item. In Græcia Musici floruerunt: discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur Et, Themistocles cùm in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior.

EXPLICATIO.

Themistoclea Musica.

Antiquis temporibus ijdem apud Græcos & Musici, & uates, & sapientes iudicabantur. Themistocles autem neque cantare se, neque fidibus didicisse: uerùm amplissimam opulentissimamque Rempublicam sese scire facere iactauit. Magnis uiris Musica (ut de pictura & cæteris dictum est) non ἔργον sed πάρεργον esse debet: ἥδυσμα non ἔδεσμα. Et est ea (ut Homerico uerbo utar) iucundum ἐπίθημα δαιτός. Sed nullum est iucundius, nullum utilius conuiuiorum condimentum, quàm faceti & eruditi sermones. Nam neruorum uocumque cantus, id est, symphoniam & organa, summam eruditionem iudicare: potorum, & muliercularum, & puerorum potius est, quàm grauium uirorum et Philosophorum. Sed uidetur παιδεία hîc ἀδικῶς accipienda, de rebus ad hilaritatem conuiuiorum pertinentibus, καὶ πρὸς τὸν ὁμιλητικὸν τρόπον. Sic & id quod sequitur accipio. Musicam qui nesciebat, non satis excultus

Erudita & iucũda cõuiuiorum colloquia.

cultus doctrina putabatur. Et est sanè uel ignauiæ, uel morositatis, aut inscientiæ cuiusdam, neque fidibus didicisse, neque ex arte posse canere: quo nomine & ipse meæ puerili melancholiæ, libris tantùm dies noctesq; incumbenti, sæpe succenseo. Quanta enim ea nunc esset incommodorum ualetudinis atq; ætatis leuatio? Sunto igitur adolescentes me prudentiores, & maturè discant, quò seueritatem studiorum quasi demulceant & leniorem reddant. Musica studiorum condimentum.

XXVII. SENTENTIA.

Epaminondas, princeps Ciceronis iudicio, Græciæ. Epaminõdas.

EXPLICATIO.

Si uera sunt, quæ de eo scribuntur, omnibus ego quoq; Græcorum imperatoribus eum antepono: ut & in commentariis Officiorum me scripsisse memini.

XXVIII. SENTENTIA.

In summo apud Græcos honore Geometria fuit. Itaque nihil Mathematicis illustrius.

EXPLICATIO.

At iisdem nunc in plerisq; Germaniæ Academiis, nihil obscurius, nihil contemptius. In causa sunt ii, qui rerum ibi potiuntur, pra- Mathematum contemptus.

gmatici, ἀγεωμέτρητοι τάς τε διανοίας καὶ τὰ ἤθη ὑπάρχοντες. Qui adolescentiæ studia adeò non incendunt, ut ea prorsus extincta uelle uideantur.

XXIX. SENTENTIA.

Romani, metiendi ratiocinandiq́ utilitate Mathematicæ artis terminarunt modum.

EXPLICATIO.

Geometria ergo usi sunt ad architecturã, agrorũq́ dimensionẽ, & ad castrametandũ, obseruãdaq́ auguria: Arithmetica ad rẽ familiarẽ & reditus publicos, acceptiq́ & expensi tabulas. Sed istum morẽ officere doctrinæ Romanæ, queritur Horatius his uersibus:

Lucri studium cum doctrina malè iungitur.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere: dicat
Filius Albini, si de centusse remota est
Vncia, quid superat? & reliqua.

Debent enim adolescentes artem illius poëticam ad uerbũ ediscere. Idem Satyra 6. lib. 1.

Causa fuit pater his: q macro pauper agello
Noluit in Flaui ludum me mittere: magni
Quò pueri magnis è centurionibus orti
Læuo suspensi loculos tabulamq́ lacerto
Ibant octonis referentes Idibus æra.

Itaque Romani τὸ θεωρητικὸν (quod est philosophorum) neglexerunt: τὸ πρακτικὸν καὶ

ποιητικὸν

ποιητικὸν (*quod eſt mercatorum & opificum*) *ſunt amplexi* : *mercenariam ſecuti* καὶ βάναυσον, *& penè ſeruilem* (*ſi dicere liceat*) *non liberalem & ingenuam eruditionem* : πᾶν τὸ περίεργον περιγράψαντες (*ſi tamen cognitio cauſarum, quæ ſola ſcientiam gignit, ut earundem ignoratio* ἄλογον τριβὴν, *tanquam ſuperuacanea reÿcienda eſt*) *ut nunc fit apud nos: ubi à barbaris barbarici hi uerſiculi celebrantur:* Eſurit ars *(id eſt, Philoſophia, & artes liberales, & ſtudia linguarum)* decreta tument *(id eſt, ius pontificiũ)* lex lucra miniſtrat *(id eſt, iuriſprudentia ſeu ius ciuile.)* Pontificat Moſes *(Theologia olim pontificias dignitates conferebat: nunc natales & gratia)* thalamos Medicina ſubintrat.

Sordidi uerſus auarorum hominum.

Ergo quòd olfaciat ſtercus lotiumq́; Tyranni
Cælitibus ſimilis ſit Medicina Dÿs?

Sin muliercularum thalami intelliguntur: ô beatos Medicos adulteros, quos iudicabit Deus.

Aſcribamus & alteras elegantias.

Dat Galenus opes: dat fuluũ Bartolus aurũ *(uide ne nigrũ Orcũ, ſi ſis iniuſticiæ ſacerdos, legum contortor, bonorum extortor.)* Ex alÿs paleas *(Ecce ambitioſis et auaris hominibus,*

 minibus,

minibus, religio, uirtus, sapientia, eloquẽtia, paleæ sunt: quia illis sapientia eſt acquirendæ pecuniæ intelligentia.

Τὰν δ' ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι,
Καὶ βοῦς καὶ γλαῦκες καὶ τράγοι ἠδὲ κύνες.

Hoc eſt,

Virtutem ſophiamq́ simul, teſtudo bouesq́
Noctua cum canibus uicerit atq; capris

Nomiſmata intellige, quorum typus eſt teſtudo, bos, noctua, caper, canis, quæ uirtuti & ſapientiæ anteponuntur) ex iſtis *(Medicina & Iuriſprudentia)* collige grana *(id eſt, opes & dignitates: quæ te mox ad ſuperos euehent, & facient Deum. Paleæ uerò quas uera Theologia donat, quæ eſt bona conſcientia: quas Philoſophia, qui eſt ſua ſorte contentus animus. nihil ſcilicet ad rẽ faciũt: neq; iſti ſemidei curãt talia. Quod ſatis eſt ſapiunt. Fruãtur ergo illi ſuis granis, ut formicæ Indicæ: nos paleas noſtras æqui boniq́ faciamus.*

Πολλοί τοι πλουτοῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται,
Ἀλλ' ἡμεῖς τούτοις οὐ διαμειψόμεθα
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον. ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί:
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Qua in ſententia cùm profanus poeta Theognis fuerit: quantò magis eadem Chriſtianis Philoſophis eſt tenenda? eoq́ conuerſionem no-

nostram qualemcunque ascribamus:

Sæpe malos Fortūa beat: premit acris egestas
Sæpe bonos, cacæ sortis ab arbitrio.
Sed nō propterea nos permutabimus unquā
Virtutes opibus, quas breuis hora rapit.
Certa manet nobis possessio nostra: nec ullis
Viribus eripitur surripiturque dolis.

XXX. SENTENTIA.

Oratorem celeriter cōplexi sunt Romani.

EXPLICATIO.

Quia post exactos reges, populare imperium Romæ (si quis uerè æstimet) constitutū fuit: tum maximè, ubi tribuni plebis rerum potiti fuerūt. In liberis autem ciuitatibus (si tamen libertas dicenda est infimæ plebeculæ tyrannis) dominatur eloquentia: & plerunque populum in multa delicta & peccata impellit, in multas calamitates conijcit. Orator enim, idemque uir bonus & sapiens, rara semper auis fuit: ipsis etiam & Græcis & Romanis oratoribus testibus. Vnde et illa prouerbia extiterunt: ut nulla alauda crista careat: sic nullum esse oratorem, qui nō habeat aliquid ambitionis: &, quemadmodum draco non existat, priusquam multos deuorarit serpentes: Oratorum suspecta ingenia.

tes: sic magnum oratorem, non nisi depreßis aut oppreßis æqualibus, existere. Exemplis ueterum nihil opus est: prudentes nostram ætatem cõsideret. Sed manũ de tabula: ac potius Hipponactei epitaphij præceptũ obseruetur.

Nõ iritandi crabrones.

Ἡσυχῇ παράμειψον, ὁδοίπορε. μή ποτ' ἐγείρῃς
Τοὺς σφῆκας, τύμβῳ τῷδε ἐφεζομένους.

I præter tacitus (moneo) ne forte, uiator,
Extimules uespas, quas tegit hic tumulus.

XXXI. SENTENTIA.

Nec eum primò eruditum: aptũm tamen ad dicendum: pòst aũt etiã eruditũ.

EXPLICATIO.

Olim sine Græcis literis nemo doctus habebatur.

Eruditos appellat, qui à Græcis rhetoribus artis dicendi præcepta perceperãt. Aptos, qui ingenij ui, dicendiq́; exercitatione id consequuti erant, ut quid rebus, locis, temporibus, personis conueniret, intelligerent & præstarent. Iudicium autem Ciceronis de suis oratoribus censere, & Græcos Latinis aut opponere aut anteponere, non est nostrum. Sunto sua cuiq́; pulchra (modò ne φιλαυτία modum omnem excedat) & ipsum summum esse oratorem oportet, qui summos oratores uelit inter sese contendere. Et extant hac de re prolixa & uaria nostri autoris scripta.

XXXII. SENTENTIA.

Philoſophia iacuit uſq; ad hanc ætatem: nec ullum habuit lumen literarum Latinarum.

Ciceroni Philoſophiæ illuſtratori gratia debetur.

EXPLICATIO.

Lactantius citat Catulum in Hortenſio dicentem: Malle ſe unum paruum de officio libellum: quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio. In eo igitur Cicero nō minus de poſteritate bene meritus eſt, quàm de ſua ætate, Catilina & Clodio oppreßis: rectè & pater patriæ, & Romanæ eloquentiæ parens appellatus. Sed nec abſoluere quæ inſtituerat, uel πολυπραγμοσύνη πολιτικὴ, uel proſcriptio triumuiralis, optimum ſenem paſſa eſt: & multa eius præclara monimenta nobis inuidit

— Tempus edax rerum.

Sed quid prætermiſſa et amiſſa deploramus? ac non potius ijs quæ ſuperſunt, ac paruo ære paßim proſtant, utimur & fruimur?

XXXIII. SENTENTIA.

Quæ (Philoſophia) illuſtranda & excitanda nobis eſt.

EX-

EXPLICATIO.

Artes ut iaceant. *Prius est iacentem tollere, & à contemptu uindicare: posterius, illustrare. Sed in illo penè plus est negocij quàm in hoc. Iacet porrò Philosophia (ut & Theologia) non tam cùm negligenter eius studium, quàm cùm & dicendo & scribendo illustrata, eius praecepta ita contemnuntur, ut cum uita & moribus mirabiliter pugnet oratio.*

XXXIIII. SENTENTIA.

Vt si occupati profuimus aliquid ciuibus nostris, prosimus etiam (si possumus) ociosi.

EXPLICATIO.

Amor patriæ. *O praeclarum institutum, uiro bono, ac sapiente dignissimum, & in ocio & in negocio de publica utilitate potius, quàm de priuatis commodis cogitandi.* Ocium literatorũ. *Notandum hîc, studia literarum (quam ignauia nostra maximam occupationem esse censet) ocium à Cicerone dici: ut & à Graecis σχολὴν, & à Latinis ludũ:* Negocia ueterum. *occupationum autem nomen tribui non tam domesticis & familiaribus negocijs (quae & ipsa Romani proceres in ocij parte numerarunt) quàm defensionum laboribus, & senatorijs muneribus, & bellis atq; prouincijs administrandis.*

XXXV.

XXXV. SENTENTIA.

In quo eò magis est nobis elaborandum, quòd multi iam esse Latini libri dicuntur, scripti inconsideratè: ab optimis quidem illis uiris, sed non satis eruditis.

Mali scriptores à studio legendi plerosq; deterreant.

EXPLICATIO.

Appendix è prima Academica. Didicisti, Varro, non posse nos Amafanij aut Rabirij similes esse: qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis, uulgari sermone disputāt. Nihil definiunt: nihil partiuntur: nihil apta interrogatione concludunt: nullam deniq; artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. Nos autem præceptis Dialecticorum & oratorum (quoniam utranq; uim unam esse nostri (Academici putāt) sic paremus ut legib. Vt suprà Romanos Græcis antecellere dixit: ijsdemq; sese prætulit: sed obscurius, & quasi dissimulanter: ita hîc apertè, etiam Romanis, Epicureæ sectæ scriptoribus, se anteponit: cùm propter artificium disserendi & dicendi: in definitionibus, partitionibus, argumentationibus, ornatuq; uerborum & sententiarum, positum: tum ob locorum, quos tractauit, dignitatem. Res ante oculos positas quas dicat, non satis assequor: nisi fortè uoluptates

corporis

corporis intelligat, & sensus, ad quos Epicurei omnia, tanquam certissimos & unicos iudices ueritatis, referebant. Nam atomi quidem uix animo, ac ne uix quidem comprehendi possunt: in oculos certè nequaquam incurrunt. Vulgarem porrò sermonem uocat, ornatus oratorij expertem dictionem. Sic in epistola quadam iocatur, uerba sibi deesse non tantùm oratoria, sed etiam popularia. Notum porrò est, delectum uerborum, originem esse eloquentiæ: ornatum uerò in figuris, affectibus, amplificationibus consistere.

XXXVI. SENTENTIA.

Eloquentia nõ semper cũ eruditione cõiungitur.

Fieri autem potest, ut & rectè quis sentiat, & id, quod sentit, politè eloqui non possit.

EXPLICATIO.

Aliud est ἡ διανοητικὴ, aliud ἡ ἑρμηνευτικὴ δύναμις. Etsi autem hæ plerunque cohærent, secundum illud:

Dictio præuisam rem non inuita sequetur:

& in sua quisque arte disertus esse dicitur, tamen aliud est, esse loquacem, aliud disertum, aliud eloquẽtem. Quòd si quis ἀρνητικῶς hæc accipienda censet, καὶ ἐρωτηματικῶς: is sua fruatur opinione: meam mihi relinquat sententiam.

tentiam. Falsa enim uidetur esse propositio: omnis rectè sentiens, etiam politè eloquitur: uel, eloquentia semper coniuncta est cum sapientia. Id quod Cicero multis locis negat, plures esse doctos quàm disertos, affirmans. Apud eundem uerò M. Antonius orator ait, disertos se audiuisse multos, eloquentem uerò adhuc neminem. Affertur & alia lectio: Ferri autem potest: *quasi dicat, Minimè ferendum esse. Quæ & ipsa absurda est sententia. Vtinam enim plures essent rectè sentientes, & pauciores eloquentes, ut habentur. Mihi Cicero hoc scribere uidetur* ἠθικῶς, *quasi dicat: Non propterea Epicureos malè sentire affirmo, quòd indiserti sunt: sed ineptas eorum scriptiones probare non possum.*

XXXVII. SENTENTIA.

Sed mandare quenquam literis cogitationes suas: qui eas nec disponere, nec illustrare possit: nec delectatione aliqua allicere auditorem: hominis est intemperanter abutentis & ocio & literis. In scriptore, præter eruditionem, & dicendi artificium requiritur.

EXPLICATIO.

Appendix e 1. Acad. Intemperantis esse arbitror, scribere, quod occultari uelit.

Com-

Comprehendit hic inuentionem, cogitationis nomine: dispositionem exprimit: elocutionem uerbis illustrandi & delectandi complectitur. Mandare literis, quod occultari uelis, ad priuatum usum, & in obliuionis remediũ: quis reprehendat? nisi fortè periculum sit, si emanarint scripta. Sed ea quæ nec doctè nec disertè scripseris, temerario editionis honore uulgare: à Cicerone & Varrone reprehenditur in Epicureis. Mea uerò in hoc genere calamitas potius quàm temeritas, non tantùm atrocibus professorum quorundam conuiciјs castigata est: sed etiam icta fulmine pontificio: ut, quamuis nihil in eos scripserim, qui proscribere queunt (neq; enim ita insanio) tamen nihil ferè tot annorum lucubrationibus sim consecutus, nisi periculum atrocißimi supplicіј: si quando (quod absit) in eorum manus incidero, qui neminem liberè sentientem ferre possunt. Quare cauti sint adolescẽtes cùm ob periculum: tum ne pro sperata laude & gloria, dedecus & infamiã reportent: neq; quicquam in publicum edunto, nisi prius à morosis & seueris censoribus approbatum. Experto mihi meo malo credãt, uelim, longè esse & tutius, & iucundius, & utilius, aliorum erudita et diserta scripta ociosè legere: quàm dies noctesq;

Nihil temerè edendum.

noctesq́ lucubrantem, magno negocio, cum detrimento ualetudinis, neglectuq́ rei familiaris, ea scribere, quæ plures (ut leuissimè cadat) aut negligant aut rideant, quàm legãt & mirentur. Neq tamen hæc ad eos pertinere uolo, qui & à natura & à doctrina, & à fortuna, magna habent ad benè scribendum adiumenta. Hi uerò uela uentis permittant. Non Homeros & Demosthenes, sed Chœrilos & Amafanios (quibus & me annumerari facilè patior) mea hæc monet oratio. Quod hîc de scriptoribus additur: multò magis obseruandum est oratoribus, præsertim Ecclesiasticis. Qui cùm eadem quotannis repetant: nisi uarietate quadam fastidiosos auditores refecerint: non sine molestijs audiuntur. Sed habent illi plerosq & negligentes & obliuiosos discipulos: qui adeò nõ meminerunt, quid superiore anno dictũ fuerit: ut quid heri aut nudiustertius ipsi aut dixerint aut fecerint, ignorent. His igitur, tanquam pueris, crambe nõ semel sed sæpius apposita, nõ erit mors, ut prouerbio dicitur: sed salutaris cibus, & opportunum obliuionis remedium.

O'auditores, pigrũ pecus.

XXXVIII. SENTENTIA.

Homo intemperãter abutens & ocio & literis.

EXPLICATIO.

Intemperantia lectiõis, scriptionis, calumniæ.

Intemperans est, qui neglecta ratione prauum appetitum sequitur. Abutitur ocio (cuius, de sententia Catonis, non minus quàm negocij rationem extare oportet) qui ea agit, quæ prætermittenda erant, & ea prætermittit, quæ agenda erant. Literis porrò, & legendo nugas, & malè scribendo, abutimur. Id quod mihi sæpè accidisse doleo: dum temerè & sine diligenti cogitatione, impetum naturæ magis sequor, quàm ueram studiorum rationem, à doctißimis uiris præscriptam, obseruo. Sed quid Cicero de eorum intemperantia dicturus fuisset, qui chartas suas totis conuiciorum plaustris onerant? qui neminem à se dissentientem ferre possunt? qui aduersarios capitalibus odijs prosequuntur?

XXXIX. SENTENTIA.

Itaque suos libros ipsi (indiserti scriptores) legunt cum suis: nec quisquam ferè attingit, præter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti uolunt.

EXPLICATIO.

Germanici scriptores.

Ita similes habent labra lactucas. Sic quæ nos Germani scribimus: ipsi legimus cum nostris. Exteræ nationes haud ferè attingunt, nisi

nisi exagitandi gratia. Sed nobis Germania nostra satis amplum theatrum est: & in ipsa Germania, ijs approbatoribus cõtenti sumus, qui maiorum nostrorum candorem & simplicitatem peregrinæ arrogantiæ & ostentationi prætulerunt.

XL. SENTENTIA.

Plerique omnem scribendi licentiam permitti sibi uolunt.

EXPLICATIO.

Putant fortasse, ut linguas, ita & calamos liberos in libera ciuitate esse oportere. Ac sunt nonnullis in locis βιβλιογνώμονες *& censores edendorum librorum: qui, si non æquè ac scriptores ipsi, opinionib. & affectibus suis mancipati sunt, magnam merentur laudem, et de republica, de re literaria, de ipsa religione bene merentur.* Censores typographici.

XLI. SENTENTIA.

Quare, si quid oratoriæ laudi nostra attulimus industria: multò studiosius Philosophię fontes aperiemus: è quibus etiam illa manabant.

EXPLICATIO.

Quanta Ciceronis fuerit industria; et quantum oratoriæ laudi contulerit, id est, quantò Cicero philosophiam eloquẽtiæ anteponit.

 lauda-

laudabiliorem & magis admirabilem reddiderit eloquentiam: nemini est ignotum, nisi ei cui ignota sunt omnia. Etsi autem professione (ut uulgò loquuntur) orator fuit: tamē Philosophiam oratoriæ arti haud obscurè hîc & alibi anteponit. Quanti enim disciplinæ æstimandæ sunt? quæ neq; sapientiorem neq; meliorem, neq; fidentiorem, in tanta casuum humanorum uarietate, efficiunt? Hæc uerò omnia pollicetur philosophia: nec ulla præter hanc in his doctrina elaborat. Vtinam uerò fontes illi, ex imagine Dei et spiritu uitali scaturientes, non & ipsi ueneno illo antiqui serpentis infecti & conturbati essent. Minus enim, ac nihil potius falsarum opinionum & controuersiarum esset inter Philosophos.

Philosophiæ fontes non puri puti.

XLII. SENTENTIA.

E' Philosophię fontibus oratoria laus manat.

EXPLICATIO.

Cum eloquētia, iungenda sapientia.

Appendix e 1. off. Nos, qui & qualescunq; sumus, oratores non è Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spacijs extitimus.

Modesta extenuatio simul & laudatio sui, uel potius permissio iudicij de se alijs, quàm περιαυτολογία: quasi diceret: siue sim in claris orato-

oratoribus, siue in mediocribus (de quo pronunciare non est meum: alij sententiam ferant) dicendi facultatem meam non tantum Rhetores adiuuerunt, quantum philosophi Academici. Attingitur hic disputatio illa, quæ extat primo de Oratore copiosè tractata, de coniunctione sapientiæ & eloquentiæ.

XLIII. SENTENTIA.

Sed ut Aristoteles, uir summo ingenio, scientiæ copia: cùm motus esset Isocratis Rhetoris gloria, dicere etiam cœpit adolescentes docere.

EXPLICATIO.

Appendix è quarto de Finibus. Aureum fundens flumen Aristoteles. Et alibi: Aristoteles, uir Græciæ doctissimus, & (Platonem semper excipio) princeps Philosophorum.

Hæc elogia Aristotelis & Platonis, nos ad diligenter legenda illorum reliqua opera excitare debent: quod maiore cum fructu & uoluptate faceremus, si Mathematatum, & aliarum liberalium artium summa quapiam instructi, ad eos cognoscendos accederemus. Petrus Ramus, uir doctus & eloquens, sed paulò uehementior atq; liberior (ut & Lauren- Valla & Ramus in Aristotelem.

tius Valla) non tam uidetur Aristotelem insectari, quàm & quorundam peruersitatem, qui eum pluris faciant quàm sacras literas, coarguere: & cum iudicio & utilitate in eo uersandi, quasi uiam commonstrare uoluisse. Libros eius Logicos & Physicos censet mutilatos & corruptos esse: congestos potius quàm digestos: à qua sententia nec Viues abhorret. Cælius autem secundus Curio, aureum illud flumen in paucis illius Philosophi scriptis agnoscit: quod flumen aureum Melanchton nō ad elocutionem (quæ in illo tenuis & pressa sit) sed ad copiam rerum, & sententiarum grauitatem pertinere existimat. Obseruetur & æmulatio inter Isocratem & Aristotelem: unde quantus Rhetor ille fuerit, quanto studio scripta illius reliqua digna sint, quem tantus Philosophus æmulandum sibi censuerit, æstimare debemus. Sic fit, quod Hesiodus scribit. —ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων (τοῖσι. Εἰς ἄφενος σπεύδοντ᾽: ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βρο- *Sic Themistocli Miltiadis trophæum somnos adimebat, Sic noster Cicero Græcorum impulsus gloria Philosophiam Latinis literis illustrandam sibi sumpsit.*

Aemulatio Isocratis & Aristotelis.

XLIIII. SENTENTIA.

Et prudentiã cum eloquẽtia iungere.

EX-

EXPLICATIO.

Suspecta lectio est. Malim, eloquentiam cum sapientia iungere, *id est,* τὴν ῥητορικὴν τῇ φιλοσοφίᾳ συζεῦξαι: *quarũ hæc,* ἔργον *Aristoteli fuit, illa* πάρεργον. *Quòd si prudentiam cum eloquentia iungere, placet: fortaßis* ἡ πολιτικὴ σύνεσις *intelligenda est; non Philosophia, nomine prudentiæ.*

Eloquentia pedissequa sit sapientiæ.

XLV. SENTENTIA.

Sic nobis placet, nec pristinum dicendi studium deponere: & in hac (Philosophia) maiore & uberiore arte uersari.

EXPLICATIO.

Isocrates in Parænesi: τὸ παραινετικὸν τὸ κράτιστόν ἐστι τῆς φιλοσοφίας. *Mira fuit Ciceronis, tanti uiri, tam grandi ætate, &* φιλομαθία *&* φιλοπονία: *nec minor utiq. temperantia, & continentia; & diligentia tuendæ ualetudinis: qua afflicta, & eloquentiæ & sapientiæ studium iaceat necesse est, aut certè frigeat. A. Hircio certè, sororis nuptias offerenti, respõdisse fertur,* SE NON SIMVL ET PHILOSOPHIAE ET VXORI VACARE POSSE. *Ac profectò difficile est (homini p̃sertim ualetudinario, quales inge-*

Anim⁹ bonis morib. in primis excolẽdus.

niosissimi & studiosissimi quique ferè sunt) ET LIBRIS SCRIBENDIS, ET LIBERIS PROCREANDIS DARE OPERAM. *Pudeat adolescentes & crapulæ suæ & ignauiæ, multoq́ magis petulantiæ: cùm hîc audiant, & per se quisq́ intelligat, præcepta de officijs (quorum quis usus est, nisi obtemperetur?) præstantissimam esse Philosophiam. In ea ergo elaborent, inprimisq́ modestiæ & temperantiæ studeāt: sint sobrij, tenui uictu & cultu contenti, casti cogitationibus, uerbis, gestibus, & re ipsa: uigilantes, moderentur affectibus & cupiditatibus suis: linguam intra* ἕρκος ὀδόντων *cōtineant: nec loquantur nisi aut necessaria, aut taciturnitate meliora: sint iusti, tum colendo Deo, tum obtemperando parentibus & magistris: sint liberales & benefici monendo, erudiendo, adiuuando æquales: sint fortes, tolerandis studiorum laboribus, ijsq́ difficultatibus & molestijs, quas ea secum ferunt, æquo animo ferendis: sint magnanimi, diuinaq́ ope freti, ad summa contendant, ueramq́ uirtutis & sapientiæ laudem consectentur: non inania earum nomina sine re iactent. Neque enim (ut præclarè monet Aristoteles) id agimus, ut, quid sit uirtus sciamus: sed ut boni*

Adolescentū officia.

boni uiri euadamus. Cur uerò Philosophia ars maior est? quia non linguam, sed pectus instruit. Cur uberior? quia omnium rerum, quas nosse homini licet, sententiam complectitur. Rhetorica uerò in forensibus controuersiis, in fucosis potentum laudibus uersatur, & sententiam de rebus in medio positis in senatu dicit. Ars maior & uberior.

XLVI. SENTENTIA.

Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicaui, quæ de maximis quæstionib. copiosè posset ornateq; dicere.

EXPLICATIO.

Primo de officiis. Oratoris proprium est, aptè, distinctè, ornateq;, dicere. In Oratore, orationem requirit aptam, δεινότητα: Latinam & planã, ἑλληνισμὸν: ornatam κάλλος καὶ καθαρότητα. Fabius autem ab Oratore postulat, ut moueat, affectibus: doceat, exponendo & argumentando: delectet, cùm his ipsis, tum elocutione.

Loquitur hîc Cicero περὶ τῆς θεωρίας: ad quam nisi ἡ πρᾶξις accesserit: non perfecta erit philosophia: sed potius inanis quædam sapientiæ & eloquentiæ ostẽtatio. Omnis enim laus uirtutis, eo ipso autore, in actione consistit. Et subtiliter disputãdum & moderatè uiuendum.

ſtit. Epictetus improbat τὺς μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν φιλοσοφοῦντας, *hoc eſt, eos qui ocioſè philoſophentur, nec doctrinam ſuam ad uitæ uſum accommodent. Contraq́; commendatur à Lycimnio Tragico Hercules,* φαῦλος, ἄκομψος: τὰ δ᾽ ἐς μέγιστα ἀγαθός: πᾶσαν ἐν ἔργῳ σοφίαν περιτέμνων, *hoc eſt, ut homo ſimplex, ab oſtentatione alienus: ſed maximis in rebus bonus: compendio quodam omnem ſapientiam ad actionem referens.* Δεῖ τοίνυν τὸν φιλοσοφήσοντα γνησίως, θεωρητικὸν τ᾽ εἶναι τῶν ὄντων: καὶ τῶν εὑρημένων ἑρμηνευτικὸν: καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων: *Hoc eſt Philoſophus debet tum ueritatem indagare: tum à ſe inuenta dextrè explicare: tum omne munus officij exequi.*

XLVIII. SENTENTIA.

In quam exercitationem (de maximis quæſtionibus copioſè ornateq́; dicendi) ita nos ſtudioſè dedimus: ut iã etiã ſcholas Græcorũ more, habere auderemus.

EXPLICATIO.

Diſputare ex tẽpore. *In Lælio ait: Sed quis ego ſum? aut quæ eſt in me facultas? doctorum eſt iſta conſuetudo, eaq́; Græcorum: ut ijs ponatur, de quo diſputent, quamuis ſubitò. Magnum opus eſt: egetq́; exercitatione non parua.*

De

De hac facultate consule Rodolphum Agricolam, epistola de formando studio, & libro tertio Dialecticæ inuentionis: & Aristotelem in Rhetoricis ad Theodecten: Nos quoq; aliquid de isto artificio sophistico in annotationibus Helenæ Isocraticæ diximus.

XLVIII. SENTENTIA.

Vt nuper tuum post discessum in Tusculano, cùm essent complures mecum familiares, tentaui quid in eo genere possem.

EXPLICATIO.

Ita factus est Ciceró ex oratore & consule disputator scholasticus. Quò minus nos taliũ operarũ pœnitere & pudere debet. Quãtò enim nos Cicerone rebus omnib. (religione excepta) inferiores sumus, tantò etiam auditores stupidiores habemus. Nam quos Cicero sua familiaritate dignatus est: nec ad mẽsam tantùm suam, sed etiam ad philosophicam doctrinam audiendam admisit: homines fuisse nec obscuros & eruditos, consentaneum est. E consule ludimagister.

XLIX. SENTENTIA.

Vt enim antea declamitabam causas (quod nemo me diutius fecit) sic hęc mihi nunc senilis declamatio est.

EX-

In epistolis: Hæc ipsa, inquit, dicendi facultas (si qua in nobis est) exaruisset, nisi me ad ueteres illas exercitationes nostras retulissem.

Quæ ergo est adolescentiæ insciētia & negligentia? quæ cùm in Academias uentum est, & liberius uiuendi (ut putant) data potestas (qua de causa iugum præceptorū quàm primùm excutere plerique student) ita styli exercitationem abiiciunt, ut ad ueteres magistros & patronos, aut monstrosas epistolas, aut barbarismis & solœcismis inquinatas mittant: quo quid adolescenti literato turpius? Debebant illi iam ipsi habere suæ uitæ modum: debebant sibiipsi esse magistri & ἐργοδιῶκται: nullum diem prætermittentes sine linea: hoc est, quo non uel scriberent, uel declamarent, uel disputarent. Nec est, quòd causentur angustias temporis: cùm Academiarum totidem ferè sint festi dies, quot pro festi. Somnolentia, ignauia, crapula, libido, nugæ, uagationes superuacaneæ, & à studiis alienæ occupationes, plerosq; impediunt. Satis est ad omnia temporis (inquit Erasmus) si ea qua decet frugalitate dispensetur: si recta ratione, & ordine constanti distribuatur:

Academica styli negligentia.

tur: qua de re prolixè egimus in libello de ratione discendi & docendi: qui est Riuiano triuio adiunctus. Sed studentibus sordent scilicet ea, quæ puerilem scholam olent: quamuis obseruata beare illos, aut certè maiori compendio ad uirtutem & eruditionem possent perducere. Sed hæc hactenus: ne superbæ & effrænatæ adolescentiæ odia & inimicitias pro officio suscipiamus: & pro beneuolentia deliri ac morosi senes appellemur, horum temporum sapientiæ scilicet ignari. Ratio studiorum Riuiana.

L. SENTENTIA.

Ponere iubebam, de quo quis audire uellet: & id aut sedens aut ambulans disputabam.

EXPLICATIO.

Primo de Officiis. Dicendi maior uis est in orationibus: sed hoc quoque colendum est, temperatum & æquabile orationis genus. Sic eloquentiam cum sapientia coniunxit: non usus ætatis excusatione, qua orator languescit: sed argumẽtis delectis, quæ sine magna contentione tractari possent. Qua de re in Catone agitur.

LI. SENTENTIA.

Itaq; dierũ quinq; scholas (ut Græci appellant) in totidem libros contuli.

EXPLICATIO.

Scholas dicit, disputationes in scholis habitas. Vnde scholia dicuntur bonorum autorum explicationes. Sed hic obseruetur ordo: disputationẽ haud dubiè præmeditatio quædam antecesſit (nec enim uel doctisſimi homines temerè se fortunæ committunt) secuta est scriptio: quæ multa suggerit antè aut non cogitata, aut non sic exculta atque ornata.

LII. SENTENTIA.

Fiebat autem ita, ut, cùm is qui audire uellet, dixiſſet, quid ſibi uideretur: tum ego contrà dicerem. Hæc eſt enim (ut ſcis) uetus & Socratica ratio contra alterius opinionem diſſerendi: qua facilimè quid uerisimilimum eſſet, inueniri poſſe Socrates arbitrabatur.

EXPLICATIO.

Secundo de Officiis. Contra omnia disputatur ab Academicis: quòd probabile elucere non posſit: nisi ex utraq; parte causarum fuerit facta contentio. In Lucullo. Nostræ (Academicæ) disputationes nihil aliud agunt, nisi ut in utranq; partem dicendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut uerum sit, aut ad id q̃ proximè accedat.

At

At quia interdum, ac potius sæpe paria sunt momenta rationum: & , secundum Euripidem, οἱ λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους: sit, ut ab Academicis istis sæpius incertior discedas quàm accesseras: ἐπέχων καὶ διασκεπτόμενος, καὶ μὴ καταλαμβάνων. Quæ res effecit, ut Lactantius (nimis ille quidem iracundè petulanterq́) scripserit: Doctrinam philosophorum nihil in se habere certi, nihil ueri: eosq́ sapientiam professos, stulticiam magis exhibere; nec ab ullo Ciceronē quàm à Cicerone uehementius refutari. Sed hoc (ut in malis) bonum est: quòd maximè ad credendum & degendam uitam necessaria, perspicua ferè sunt, & aperta: obscurissima uerò quæque ociosam habent, & curiosam, & rixosam disputationem: id quod nostri temporis Theologicæ controuersiæ pleræque declarant: dum nimis altercando ueritas, id est, Christiana & affectio & uita, amittitur: et spinosa dialectica simplicis Theologiæ cathedram occupat: accedente sæpenumero sycophantico, exagitandi aduersarios, artificio.

Academici non semper docēt.

Maximè necessaria, perspicua.

LIII. SENTENTIA.

Sed quò commodius disputationes nostræ explicentur: sic eas exponam, quasi

quasi agatur res,non quasi narretur. Ergò ita nascetur exordium.

EXPLICATIO.

Libro de Amicitia Lælij (inquit) disputationis sententias memoriæ mandaui: quas in hoc libro exposui arbitratu meo. Quasi enim ipsos induxi loquentes: ne, inquam, &, inquit, *sæpius interponerentur: atque ut tanquam à præsentibus coràm haberi sermo uideretur. Libro item de Senectute: Apud M. Catonem senem : cui omnem sermonem de senectute tribuimus : Lælium & Scipionem facimus admirantes, quòd is tam facilè senectutem ferat: ijsq́; eum respondentem.*

Dialogorum uenustas.

Philosophi cùm ex actione Comœdiarum & Tragœdiarum animaduertissent , quanta uis, quanta uenustas esset collocutionum: sæpe ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ καὶ αὐτοπροσώπου ἐπὶ δραματικὸν καὶ μιμητικὸν *transierunt: ac potius utrunque inter se miscuerunt. Plato plerunque diutius personas retinet : Cicero ad perpetuam orationem properare solet. In quo illud , quamuis puerile , obseruandum est, in quo tamen adolescentes crebrò peccãt: cùm ipsi narramus aliquid* αὐτοπροσώπως: *nominatiuis & indicatiuis nos uti solere: quod Græcis est,* κατ' εὐθύτητα λέγειν: *cùm fide*

fide aliena, tanquam ab alio dictum aut factum: κατὰ πλαγιασμὸν πρoάγειν τὸν λόγον, hoc eſt, per accuſatiuos, ſubiunctiuos, & infinitiuos explicare orationem. Ἀυτοπροσώπως: *Ab Alexandro Magno, rerum potito, Perſica monarchia eſt euerſa :* Κατὰ πλαγιασμὸν: *Tradunt hiſtorici ab Alexandro Magno Perſicam monarchiam eſſe euerſam. Si feciſti: dignus es ſupplicio. Prætor pronunciauit, ſi feceris, te ſupplicio eſſe dignum.*

ARGVMENTVM TVSCVLANARVM QVAESTIONVM *è proœmio libri ſecundi de diuinatione.*

QVinque Tuſculanarum diſputationum libri, res ad beatè uiuendum maximè neceſſarias aperuerunt. Primus enim eſt de contemnenda morte: ſecundus de tolerando dolore: de ægritudine lenienda tertius: quartus de reliquis animi perturbationibus. Quintus enim locum complexus eſt, qui totam Philoſophiam maximè illuſtrat. Docet enim ad beatè uiuendum uirtutem ſe ipſa eſſe contentam.

EXPLICATIO.

Eciam Tusculanarũ arguméta sunt paradoxa.

Hactenus Cicero: cui quidem has disputationes non minus quàm sex illas declamatiunculas, παράδοξα, id est, admirabiles sententias inscribere licuisset. Ac possunt illa huc referri. Nam tria hæc: solum id quod honestum sit, esse bonum: Virtutem satis esse ad felicitatem: Solum sapientem esse diuitem: *ad librum huius operis extremũ pertinent. A quo ne hoc quidẽ abhorret:* solum sapientem esse liberum: omnem uerò insipientem, seruum. *Ad hunc enim scopum præcipuè tẽdunt Philosophicæ disputationes, ut & seruitutem stulticiæ tollant, et sapiẽtiæ libertatem asserant. Omnem porrò* stultum insanire *libro huius operis quarto disputatur. Vnũ restat, numero tertium:* Et malefacta & benefacta esse paria: *quod suũ quendam locũ ita obtinet, ut unà cũ quinq; ceteris, à Vito Amerpachio grauiter: à M. A. Maiorragio copiosè sit refutatum, ijs libris, quos* ANTIPARADOXA *inscripserunt. Lactantius aũt, philosophos appellãs; deorsum, inquit, quæritis, quod in sublimi quærere debuistis: eos tota uia, totóque cælo, quod aiunt, aberrare significans: id quod uerum est. Nam nemo unquam in hac uita (ne patriar-*

Sapientiæ libertas, philosophiæ finis.

Mortaliũ nemo purus.

triarchis quidem, prophetis & Apostolis exceptis) uerè bonus per se, aut sapiens, aut beatus fuit. (Imò quid Christo ipso in terris agēte, ærumnosius?) Alios quidem aliis improbiores, misceriores, aut stultiores extitisse, facilè concedimus. D. porrò Augustinus libro 19. de ciuitate Dei: Varro, inquit, opiniones sectarum de beatitudine loquentium, ad ducentas octoginta octo produxit. Quod si ita est: haud dubiè ineptias uulgi, mira quædam somnia sibi fingentis, philosophastri aliqui ociosi persecuti sunt: ut homo mulierosus, formosam uxorem, uinosus præstans uinum, miles uictoriam summum bonum esse censet. Sed quatuor ferè sunt, quæ ponderis aliquid habeant sententiæ de felicitate. Prima, eaq; omnium uerißima, neminem in hac esse uitâ beatum: altera huic proxima, felicitatem sitam esse in actione uirtutis & cognitione ueritatis, adiunctis corporis fortunæq; commodis. Duæ quæ sequuntur sunt hyperbolicæ, nec probari possunt, nisi accurata distinctione, & benigna interpretatione addita: altera Stoicorū, quæ quinto huius operis libro, & quarto de Finib. tractatur: altera Epicureorū, de qua primo de Finib. agitur uoluptatē summū esse bonum: cui nonnulli De beatitudine 288 opiniones.

uirtutem ſociam adiunxerunt. Intra has mētas cōſiſtunt opiniones de beatitudine. Nam diuitiæ, honores, amicitiæ, conuiuia, uictoriæ & ſimiles res; particulæ ſunt horum trium generum, & infinitas habent uarietates, pro cuiuſque affectibus, qui ſunt uarij & uagi & inconſtantes. Valet hîc τὸ φιλόλοιϛον, *id eſt, delectatio certæ alicuius rei. Nam ea uox Latinè cōmodè uno uerbo explicari nequit. Species autem ſunt genere clariores, ut* φιλόσοφος, φιλοκυνηγέτης, φιλοθύτης, φιλοπόλεμος, φιλόθεος, φίλιππος: *quæ ſignificāt ſtudium & amorem ſapientiæ, uenationis, ſacrificiorū belli, Dei, equorum. Id porrò cuique iucūdiſſimum eſt quod maximè diligit: id quod & oraculo Delphico proditum eſt:*

Varia hominum ſtudia.

Κάλλιστον τὸ δικαιότατον: λῷστον δ᾽ ὑγιαίνειν·
Ἥδιστον δὲ τυχεῖν ὅτου ἕκαστος ἐρᾷ. *Cuius hæc eſt ferè ſententia:*

Iuſtitia nil pulchrius eſt. Quid corpore ſano
Sit melius? quod amat, queq́; iuuare ſolet.

Atque hæc omnia in ſummo bono ineſſe, ſcribit Ariſtoteles. Euripides uerò principatum tribuit felicitatis, ei, qui uoti ſui compos fiat, his uerſibus:

Εὖ δ᾽ ἴσθ᾽ ὅτου τὶς τυγχάνει χρείαν ἔχων,
Τοῦτ᾽ ἔσθ᾽ ἑκάστῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν.

Id eſt:

Id est: cuique iucundissimum est id, quod maximè diligit: & qua quisque re eget: ea res illi maior est Troiæ excidio.

VERBA CICERONIS.

A. Malum mihi uidetur esse mors. M. Iis'ne qui mortui sunt, an ijs quibus moriendum est? A. Vtrisque. M. Est igitur miserum quoniam malum? A. Certè. M. Ergo & hi quibus euenit iam ut morerentur, & hi quibus euenturum est, miseri. A. Mihi ita uidetur. M. Nemo ergo non miser? A. Prorsus nemo. M. Et (si tibi quidem constare quis) omnes quicunque nati sunt, erunt'ue, non solùm miseri, sed etiã semper miseri. Nam si solùm eos diceres miseros, quibus moriendum esset: neminem tu quidem eorum qui uiuerent exciperes (moriẽdum est enim omnibus) esset tamen miseriæ finis in morte. Quoniam autem etiam mortui miseri sunt: in miseriã nascimur sempiternam. Necesse est enim miseros esse eos qui centum millibus annorum antè occiderunt: uel potius omnes quicunque nati sunt. A. Ita prorsus existimo.

Prior propositio: Mortẽ non esse malũ.

I. SENTENTIA.

Quod malum est, etiam'ne miserum est? Hoc est, malum'ne omne hominem miserum & infelicem reddit?

EXPLICATIO.

Felicitas & miseria, ex abũdantia bonorum & malorũ sunt iudicandæ.

Vt bona felicitatem, ita mala calamitatem gignunt & miseriam: si magna multáq; sint, nec permista inter sese. Sit idem homo nobilis, excellenti ingenio, singulari eloquentia, præstanti uirtute, formosus, robustus, diues, gratiosus: quis hunc felicem non dicat, etiamsi celebs sit, aut orbus? etiamsi famulo uno atq; altero (qui tamen de summa nihil detrahant) minus probo utatur? at si habeat impudicam uxorẽ, si sceleratos filios, si filias flagitiosas, si ministros rem familiarem diripientes: magna pars felicitatis euanescet. Nã cùm mala bonis æqualia, aut etiã maiora & plura sunt, difficile est beati nomẽ retinere. Sunt aũt hæc mala & bona tãta: quãtus est eius animus, q ea sustinet. Sit alius mẽdicus, epilepticus, hulcerosus, mãcus, loripes, extorris: qs miserũ esse negei? Et hic ipse tamen, si Deũ se habere propitiũ, & uita æterna breui potiturũ non dubitet, ut Euangelicus ille Lazarus: tanta est huius unius boni felicitas, ut miseriæ cæteræ omnes quasi euanescant.

Nulla

Nulla solida est felicitas: & è contrario
Nil adeò Fortuna grauis miserabile fecit,
Quod non ex aliqua gaudia parte leuet.

Minora ergò & pauciora bona, in multis & magnis malis, nō faciunt felicem, nec mala miserū, si præsertim collatione bonorum obscurētur: & in iis ipsis malis boni quod inest, excerpatur. Mors aūt per se & malū & miserum est: neq; in se boni quicquam habet: nisi quòd est ianua uitæ melioris, idq; non per se, sed merito Christi: adeò tamen arcta & aspera, ut in uitam ingressuros etiam, grauissimè comprimat & compungat.

II. SENTENTIA.

Si & ij, quibus euenit iam, ut morerentur, & ij quibus euenturū est, miseri sunt: nemo non modò nō miser est: sed etiam semper miser: & in miseriam nascimur sempiternam. Nemo nō miser est, nisi cuius miseretur Deus.

EXPLICATIO.

Argumentum ductum est è diuisione hominū in uiuētes et mortuos: quibus annumerari etiam ij, qui nascentur, possunt. Cēsura philosophica hac de re, petatur è fine huius libri, ubi, si mors malum sit, prouidentiā diuinam tolli, ostēdere conatur. Non temere, inquit, ac fortuitò sati & creati sumus (hoc est,

pro‸uidētia diuina consulit rebus humanis) sed profectò fuit quædam uis (siue natura siue Deus) quæ generi consuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod cùm exantlauisset omnes labores, tū incideret in mortis malum sempiternum.

VERBA CICERONIS.

Inferorum terrores, ut fabulosi, falsè irridentur.

M. Dic quæso num te illa terrent? triceps apud Inferos Cerberus? Cocyti fremitus? transuectio Acherontis? mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? num illud, quod

— Sisyphus uersat

Saxum sudans nitendo neq; proficit hilum?

Fortasse etiam inexorabiles iudices Minos & Rhadamanthus: apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius. Nec (quoniam apud Græcos iudices res agetur) poteris adhibere Demosthenem. Tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. Hæc fortasse metuis, & idcirco mortem censes esse sempiternum malum. A. Adeóne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc non credis? A. Minimè uerò. M. Malè herclè narras. A. Cur quæso? M. Quia

M. Quia disertus esse possem si cōtra ista dicerem. A. Quis enim non in eiusmodi causa? aut quid negocij est hæc poëtarum & pictorum portenta conuincere? M. Atqui pleni sunt libri Philosophorum contra ista ipsa disserentium. A. Inepte sane. Quis est enim tam excors, quem ista moueant?

EXPLICATIO.

De Inferis quid sentiendum sit, postea dicemus. Nunc poeticas illas uoces explicemus. Per Inferos intelligantur sepulchra: Styx seu Stygia palus, est odium mortis naturale. Cocytus & Acherō, seu Acherusia palus, eiulatū & dolorem lugentium significant: Lethe, obliuius lacus est, Incurio flumini uicinus: quòd mortui rerum omnium obliuiscuntur: & ipsi breui in obliuionē ueniunt. Pyriphlegethon, est bustum, & cadauerum crematio. Cætera tractabuntur alibi.

III. SENTENTIA.

Quis est tam excors, quem ista moueant? quæ est tam delira anus, quæ ista iam metuat? Adeóne delirare quenquā censes, ut ista esse credat?

EXPLICATIO.

Hæc est illa pestis humani generis, & fons

In epistolis: Hæc ipsa, inquit, dicendi facultas (si qua in nobis est) exaruisset, nisi me ad ueteres illas exercitationes nostras retulissem.

Quæ ergo est adolescentiæ inscietia & negligentia? quæ cùm in Academias uentum est, & liberius uiuendi (ut putant) data potestas (qua de causa iugum præceptorũ quàm primum excutere plerique student) ita styli exercitationem abiiciunt, ut ad ueteres magistros & patronos, aut monstrosas epistolas, aut barbarismis & solœcismis inquinatas mittant: quo quid adolescenti literato turpius? Debebant illi iam ipsi habere suæ uitæ modum: debebant sibiipsi esse magistri & ἐργοδιῶκται: nullum diem prætermittentes sine linea: hoc est, quo non uel scriberent, uel declamarent, uel disputarent. Nec est, quòd causentur angustias temporis: cùm Academiarum totidem ferè sint festi dies, quot profesti. Somnolentia, ignauia, crapula, libido, nugæ, uagationes superuacaneæ, & à studiis alienæ occupationes, plerosq; impediunt. Satis est ad omnia temporis (inquit Erasmus) si ea qua decet frugalitate dispensetur: si recta ratione, & ordine constanti distribuatur:

Academica styli negligentia.

tur: qua de re prolixè egimus in libello de ratione discendi & docendi: qui est Riuiano triuio adiunctus. Sed studentibus sordent scilicet ea, quæ puerilem scholam olent: quamuis obseruata beare illos, aut certè maiori compendio ad uirtutem & eruditionem possent perducere. Sed hæc hactenus: ne superbæ & effrænatæ adolescentiæ odia & inimicitias pro officio suscipiamus: & pro beneuolentia deliri ac morosi senes appellemur, horum temporum sapientiæ scilicet ignari. Ratio studiorum Riuiana.

L. SENTENTIA.

Ponere iubebam, de quo quis audire uellet: & id aut sedens aut ambulans disputabam.

EXPLICATIO.

Primo de Officiis. Dicendi maior uis est in orationibus: sed hoc quoque colendum est, temperatum & æquabile orationis genus. Sic eloquentiam cum sapientia coniunxit: non usus ætatis excusatione, qua orator languescit: sed argumẽtis delectis, quæ sine magna contentione tractari possent. Qua de re in Catone agitur.

LI. SENTENTIA.

Itaq; dierũ quinq; scholas (ut Græci appellant) in totidem libros contuli.

EXPLI-

EXPLICATIO.

Scholas dicit, disputationes in scholis habitas. Vnde scholia dicuntur bonorum autorum explicationes. Sed hic obseruetur ordo: disputationē haud dubiè præmeditatio quædam antecessit (nec enim uel doctissimi homines temerè se fortunæ committunt) secuta est scriptio: quæ multa suggerit antè aut non cogitata, aut non sic exculta atque ornata.

LII. SENTENTIA.

Fiebat autem ita, ut, cùm is qui audire uellet, dixisset, quid sibi uideretur: tum ego contrà dicerem. Hæc est enim (ut scis) uetus & Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi: qua facilimè quid uerisimilimum esset, inueniri posse Socrates arbitrabatur.

EXPLICATIO.

Secundo de Officiis. Contra omnia disputatur ab Academicis: quòd probabile eluce re non possit: nisi ex utraq; parte causarum fuerit facta contentio. In Lucullo. Nostræ (Academicæ) disputationes nihil aliud agunt, nisi ut in utranq; partem dicendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut uerum sit, aut ad id q̃ proximè accedat.

At

131

At quia interdum, ac potius sæpe paria sunt momenta rationum: & , secundum Euripidem, οἱ λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους: sit, ut ab Academicis istis sæpius incertior discedas quàm accesseras: ἐπέχων καὶ διασκεπτόμενος, καὶ μὴ καταλαμβάνων. Quæ res effecit, ut Lactantius (nimis ille quidem iracundè petulanterq́ue) scripserit: Doctrinam philosophorum nihil in se habere certi, nihil ueri: eosq́ue sapientiam professos, stulticiam magis exhibere: nec ab ullo Cicerone quàm à Cicerone uehementius refutari. Sed hoc (ut in malis) bonum est: quòd maximè ad credendum & degendam uitam necessaria, perspicua ferè sunt, & aperta: obscurissima uerò quæque ociosam habent, & curiosam, & rixosam disputationem: id quod nostri temporis Theologicæ controuersiæ pleræque declarant: dum nimis altercando ueritas, id est, Christiana & affectio & uita, amittitur: et spinosa dialectica simplicis Theologiæ cathedram occupat: accedente sæpenumero sycophantico, exagitandi aduersarios, artificio.

Academici non semper docēt.

Maximè necessaria, perspicua.

LIII. SENTENTIA.

Sed quò commodius disputationes nostræ explicentur: sic eas exponam, quasi

quaſi agatur res,non quaſi narretur. Ergò ita naſcetur exordium.

EXPLICATIO.

*Libro de Amicitia Lælij (inquit) diſputationis ſententias memoriæ mandaui:quas in hoc libro expoſui arbitratu meo. Quaſi enim ipſos induxi loquentes:ne,*inquam, &, inquit,*ſæpius interponerentur:atque ut tanquam à præſentibus coràm haberi ſermo uideretur. Libro item de Senectute: Apud M. Catonem ſenem : cui omnem ſermonem de ſenectute tribuimus: Lælium & Scipionem facimus admirantes, quòd is tam facilè ſenectutem ferat:iisq́; eum reſpondentem.*

Dialogorum uenuſtas.

Philoſophi cùm ex actione Comædiarum & Tragædiarum animaduertiſſent, quanta uis, quanta uenuſtas eſſet collocutionum: ſæpe ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ καὶ αὐτοπροσώπου ἐπὶ δραματικὸν καὶ μιμητικὸν *tranſierunt: ac potius utrunque inter ſe miſcuerunt. Plato plerunque diutius perſonas retinet: Cicero ad perpetuam orationem properare ſolet. In quo illud, quamuis puerile, obſeruandum eſt, in quo tamen adoleſcentes crebrò peccãt: cùm ipſi narramus aliquid* αὐτοπροσώπως: *nominatiuis & indicatiuis nos uti ſolere: quod Græcis eſt,* κατ' εὐθύτητα λέγειν:*cùm*

fide

fide aliena, tanquam ab alio dictum aut factum: κατὰ πλαγιασμὸν προάγειν τὸν λόγον, hoc est, per accusatiuos, subiunctiuos, & infinitiuos explicare orationem. Ἀυτοπροσώπως: *Ab Alexandro Magno, rerum potito, Persica monarchia est euersa*: Κατὰ πλαγιασμόν: *Tradunt historici ab Alexandro Magno Persicam monarchiam esse euersam. Si fecisti: dignus es supplicio. Prætor pronunciauit, si feceris, te supplicio esse dignum.*

ARGVMENTVM TVSCVLANARVM QVAESTIONVM

è proœmio libri secundi de diuinatione.

QVinque Tusculanarum disputationum libri, res ad beatè uiuendum maximè necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte: secundus de tolerando dolore: de ægritudine lenienda tertius: quartus de reliquis animi perturbationibus. Quintus enim locum complexus est, qui totam Philosophiam maximè illustrat. Docet enim ad beatè uiuendum uirtutem se ipsa esse contentam.

EXPLICATIO.

Etiam Tusculanarũ argumẽta sunt paradoxa.

Hactenus Cicero: cui quidem has disputationes non minus quàm sex illas declamatiunculas, παράδοξα, id est, admirabiles sententias inscribere licuisset. Ac possunt illa huc referri. Nam tria hæc: solum id quod honestum sit, esse bonum: Virtutem satis esse ad felicitatem: Solum sapientem esse diuitem: *ad librum huius operis extremũ pertinent. A quo ne hoc quidẽ abhorret:* solum sapientem esse liberum: omnem uerò insipientem, seruum. *Ad hunc enim scopum præcipuè tẽdunt Philosophicæ disputationes, ut & seruitutem stulticiæ tollant, et sapiẽtiæ libertatem afferant. Omnem porrò* stultum insanire *libro huius operis quarto disputatur. Vnũ restat, numero tertium:* Et malefacta & benefacta esse paria: *quod suũ quendam locũ ita obtinet, ut unà cũ quinque cæteris, à Vito Amerpachio grauiter: à M. A. Maiorragio copiosè sit refutatum, ijs libris, quos* ANTIPARADOXA *inscripserunt. Lactantius aũt. philosophos appellãs; deorsum, inquit, quæritis; quod in sublimi quærere debuistis: eos tota uia, totóque cælo, quod aiunt, aberrare significans: id quod uerum est. Nam nemo unquam in hac uita (ne patriar-*

Sapientiæ libertas, philosophiæ finis.

Mortaliũ nemo purus putus.

triarchis quidem, prophetis & Apostolis exceptis) uerè bonus per se, aut sapiens, aut beatus fuit. (Imò quid Christo ipso in terris agēte, ærumnosius?) Alios quidem aliis improbiores, miseriores, aut stultiores extitisse, facilè concedimus. D. porrò Augustinus libro 19. de ciuitate Dei: Varro, inquit, opiniones sectarum de beatitudine loquentium, ad ducentas octoginta octo produxit. Quod si ita est: haud dubiè ineptias uulgi, mira quædam somnia sibi fingentis, philosophastri aliqui ociosi persecuti sunt: ut homo mulierosus, formosam uxorem, uinosus præstans uinum, miles uictoriam summum bonum esse censet. Sed quatuor ferè sunt, quæ ponderis aliquid habeant sententiæ de felicitate. Prima, eaq; omnium uerissima, neminem in hac esse uita beatum: altera huic proxima, felicitatem sitam esse in actione uirtutis & cognitione ueritatis, adiunctis corporis fortunæq; commodis. Duæ quæ sequuntur sunt hyperbolicæ, nec probari possunt, nisi accurata distinctione, & benigna interpretatione addita: altera Stoicorū, quæ quinto huius operis libro, & quarto de Finib. tractatur: altera Epicureorū, de qua primo de Finib. agitur uoluptatē summū esse bonum: cui nonnulli

De beatitudine 288 opiniones.

uirtutem sociam adiunxerunt. Intra has metas cõsistunt opiniones de beatitudine. Nam diuitiæ, honores, amicitiæ, conuiuia, uictoriæ & similes res; particulæ sunt horum trium generum, & infinitas habent uarietates, pro cuiusque affectibus, qui sunt uarij & uagi & inconstantes. Valet hîc τὸ φιλοτοιοῦτον, *id est, delectatio certæ alicuius rei. Nam ea uox Latinè cõmodè uno uerbo explicari nequit. Species autem sunt genere clariores, ut* φιλόσοφος, φιλοκυνηγέτης, φιλοθύτης, φιλοπόλεμος, φιλόθεος, φίλιππος: *quæ significãt studium & amorem sapientiæ, uenationis, sacrificiorũ belli, Dei, equorum. Id porrò cuique iucũdissimum est quod maximè diligit: id quod & oraculo Delphico proditum est:*

Varia hominum studia.

Κάλλιστον τὸ δικαιότατον· λῷστον δ᾽ ὑγιαίνειν·
Ἥδιστον δὲ τυχεῖν ὅτου ἕκαστος ἐρᾷ. *Cuius hæc est ferè sententia:*

Iustitia nil pulchrius est. Quid corpore sano
Sit melius? quod amat, queq; iuuare solet.

Atque hæc omnia in summo bono inesse, scribit Aristoteles. Euripides uerò principatum tribuit felicitatis, ei, qui uoti sui compos fiat, his uersibus:

Εὖ δ᾽ ἴσθ᾽ ὅτου τὶς τυγχάνει χρείαν ἔχων,
Τοῦτ᾽ ἔσθ᾽ ἑκάστῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν.

Id est:

Id est; cuique iucundissimum est id, quod maximè diligit: & qua quisq; re eget: ea res illi maior est Troiæ excidio.

VERBA CICERONIS.

A Malum mihi uidetur esse mors. M. Iis'ne qui mortui sunt, an ijs quibus moriendum est? A. Vtrisque. M. Est igitur miserum quoniam malum? A. Certè. M. Ergo & hi quibus euenit iam ut morerentur, & hi quibus euenturum est, miseri. A. Mihi ita uidetur. M. Nemo ergo non miser? A. Prorsus nemo. M. Et (si tibi quidem constare uis) omnes quicunque nati sunt, erunt'ue, non solùm miseri, sed etiã semper miseri. Nam si solùm eos diceres miseros, quibus moriendum esset: neminem tu quidem eorum qui uiuerent exciperes (moriẽdum est enim omnibus) esset tamen miseriæ finis in morte. Quoniam autem etiam mortui miseri sunt: in miseriã nascimur sempiternam. Necesse est enim miseros esse eos qui centum millibus annorum antè occiderunt: uel potius omnes quicunq; nati sunt. A. Ita prorsus existimo.

Prior propositio: Mortẽ non esse malũ.

I. SENTENTIA.

Quod malum est, etiam'ne miserum est? Hoc est, malum'ne omne hominem miserum & infelicem reddit?

EXPLICATIO.

Felicitas & miseria, ex abũdantia bonorum & malorũ sunt iudicandæ.

Vt bona felicitatem, ita mala calamitatem gignunt & miseriam: si magna multaq́; sint, nec permista inter sese. Sit idem homo nobilis, excellenti ingenio, singulari eloquentia, præstanti uirtute, formosus, robustus, diues, gratiosus: quis hunc felicem non dicat, etiamsi celebs sit, aut orbus? etiamsi famulo uno atq; altero (qui tamen de summa nihil detrahant) minus probo utatur? at si habeat impudicam uxorẽ, si sceleratos filios, si filias flagitiosas, si ministros rem familiarem diripientes: magna pars felicitatis euanescet. Nã cùm mala bonis æqualia, aut etiã maiora & plura sunt, difficile est beati nomẽ retinere. Sunt aũt hæc mala & bona tãta: quãtus est eius animus, q̃ ea sustinet. Sit alius mẽdicus, epilepticus, hulcerosus, mãcus, loripes, extorris: q̃s miserũ esse neget? Et hic ipse tamen, si Deũ se habere propiciũ, & uita æterna breui potiturũ non dubitet, ut Euangelicus ille Lazarus: tanta est huius unius boni felicitas, ut miseriæ cæteræ omnes quasi euanescant.

Nulla

Nulla solida est felicitas: & è contrario
Nil adeò Fortuna grauis miserabile fecit,
Quod non ex aliqua gaudia parte leuet.
Minora ergò & pauciora bona, in multis & magnis malis, nō faciunt felicem, nec mala miserū, si præsertim collatione bonorum obscurētur: & in iis ipsis malis boni quod inest, excerpatur. Mors aūt per se & malū & miserum est: neq; in se boni quicquam habet: nisi quòd est ianua uitæ melioris, idq; non per se, sed merito Christi: adeò tamen arcta & aspera, ut in uitam ingressuros etiam, grauissimè comprimat & compungat.

II. SENTENTIA.

Si & ij, quibus euenit iam, ut morerentur, & ij quibus euenturū est, miseri sunt: nemo non modò nō miser est: sed etiam semper miser: & in miseriam nascimur sempiternam. Nemo nō miser est, nisi cuiu miseretur Deus.

EXPLICATIO.

Argumentum ductum est è diuisione hominū in uiuētes et mortuos: quibus annumerari etiam ij, qui nascentur, possunt. Cēsura philosophica hac de re, petatur è fine huius libri, ubi, si mors malum sit, prouidentiā diuinam tolli, ostēdere conatur. Non temere, inquit, ac fortuitò sati & creati sumus (hoc est,

 proui-

prouidētia diuina consulit rebus humanis) sed profectò fuit quædam uis (siue natura siue Deus) quæ generi consuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod cùm exantlauisset omnes labores, tū incideret in mortis malum sempiternum.

VERBA CICERONIS.

Inferorum terrores, ut fabulosi, falsè irridentur.

MDic quæso num te illa terrent? triceps apud Inferos Cerberus? Cocyti fremitus? transuectio Acherontis? mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? num illud, quod

— Sisyphu' uersat
Saxum sudans nitendo neq; proficit hilum?

Fortasse etiam inexorabiles iudices Minos & Rhadamanthus: apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius. Nec (quoniam apud Græcos iudices res agetur) poteris adhibere Demosthenem. Tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. Hæc fortasse metuis, & idcirco mortem censes esse sempiternum malum. A. Adeóne me delirare censes, ut ista esse credam? M. An tu hæc non credis? A. Miníme uerò. M. Malè hercle narras. A. Cur quæso? M. Quia

M. Quia disertus esse possem si cōtra ista dicerem. A. Quis enim non in eiusmodi causa? aut quid negocij est hæc poëtarum & pictorum portenta conuincere? M. Atqui pleni sunt libri Philosophorum contra ista ipsa differentium. A. Inepte sane. Quis est enim tam excors, quem ista moueant?

EXPLICATIO.

De Inferis quid sentiendum sit, postea dicemus. Nunc poeticas illas uoces explicemus. Per Inferos intelligantur sepulchra: Styx seu Stygia palus, est odium mortis naturale. Cocytus & Acherō, seu Acherusia palus, eiulatū & dolorem lugentium significant: Lethe, obliuius lacus est, Incurio flumini uicinus: quòd mortui rerum omnium obliuiscuntur: & ipsi breui in obliuionē ueniunt. Pyriphlegethon, est bustum, & cadauerum crematio. Cætera tractabuntur alibi.

III. SENTENTIA.

Quis est tam excors, quem ista moueant? quæ est tam delira anus, quæ ista iam metuat? Adeóne delirare quenquā censes, ut ista esse credat?

EXPLICATIO.

Hæc est illa pestis humani generis, & fons

Incredulitas est fōs omnium scelerum.

Stygius, è quo flagitia & scelera scaturiunt & promanant omnia: quòd Deum remuneratorem sibi non proponunt: sed unà cum corpore cætera interire opinãtur. Accedit sapientiæ persuasio, & credulorum stulticiæ exagitatio. Sed ubi interim Christus? ubi Christianismus? ubi Christianus? Lucianus τὴν ἀπιστίαν μέγα ἀλεξιφάρμακον se habere gloriatus est aduersus præstigias: Christus & Apostoli πίστιν & docuerunt & laudauerunt. Sed utri plures habeant assensores, dubium: imò ne dubium quidem.

IIII. SENTENTIA.

Quid negocij est, hæc poetarum & pictorum portenta conuincere?

EXPLICATIO.

Poetarum dicta sunt diligẽtius expendenda.

His sanè

Quidlibet audẽdi semper fuit æqua potestas:

&, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί, id est

Admiranda canunt sed non credenda poëtæ

Videndum tamẽ, historiam ne aliquam, aut doctrinam ueterum patrum his portentis corruperint? an ipsi, ultrò talia confinxerint, ad terrorem improbis incutiẽdum? Sicut enim ὑπόκρισις corruptela est religionis: sycophantia, legum: tyrannis, imperiorum: sophistica,

Corruptelæ doctrinarum.

stica, Dialecticæ: eloquentiæ, adulatio: ita poesis est παραφθορὰ τῆς ἱστορίας, *eademq́;* ἀλληγορικὴ, καὶ θαυματοποιίας στοχαστική. *Cùm igitur aut historias corrumpunt poëtæ, aut fabulas nouas comminiscuntur: ipsa ferè absurditas, narrationi fidem abrogat. Allegoriam autem &* μυθολογίαν *(quæ nihil aliud est nisi allegoria poëtica) scitè uel ad naturam rerum, uel ad doctrinam morum accommodare, uel historiam inde elicere, non est cuiusuis. Cæterùm Eustathius Homeri interpres, Heraclides Ponticus, Cornutus, Palæphatus, & Anonymus quidam, cum Xenophontis Symposio olim impressus, Porphyrius, Græci: Latini uerò, Fulgentius, Landinus, Viues, Tritonius, Sprengius, Posthius, & alij, in hoc genere, non infeliciter siue luserunt, siue philosophati sunt. Sed Philippi Melanchthonis* εὐστοχίαν *& in fabulis declarandis, & in historijs ad usum accommodandis, & in sententijs exemplorum appositione illustrandis, omnibus omnium lucubrationibus anteferrem (ut uir ille fuit mirabili & penè diuino ingenio) si ea, quæ sparsim atque obiter in prælectionibus dicere solebat, in unum redacta corpus, descriptaq́; accuratius extarent.*

Mythologiæ artificem requirunt.

V. SEN-

V. SENTENTIA.

Pleni ſunt Philoſophorum libri contra Inferos diſputantium: inepte ſane.

EXPLICATIO.

Diſcrimen uirtutis & uitij unà cũ Inferis tollitur.

Imò potius ſtultè atq; impiè. Nam cum Inferis & diuina prouidentia tollitur, καὶ ἡ διακαιοκρισία τοῦ θεοῦ. Niſi enim alia uita reſtat, infinita ſcelera & flagitia impunita manẽt: & bonis uiris mala plerunq; refertur gratia. Etſi autem uerè bonus, ut & ſapiens, nemo eſt, niſi unus Deus: plurimum tamen intereſt inter Critiam & Socratem, inter Catilinam & Catonem, inter Alcibiadem & Xenocratẽ.

Arcana æternitatis nõ ſunt nobis ſcrutanda.

Qua ratione quidam impulſi, de Attico & ſimilibus ciuiliter bonis uiris, quibus Euangelium annunciatum non fuit, bene ſperare ſolent, quos, ut à Chriſti fide alienos, Theologi plerię; æternis ſupplicijs addicunt. Nos uerò, arcana diuinæ maieſtatis ſilentio adorantes, caueamus, ne cum ſeruis, qui domini uoluntatem norunt, nec faciunt, multis uerberibus afficiamur. Cæterùm argumentum hoc eludunt quidam diſtinctione bonorum animi, corporis & fortunæ: & uanitate rerum humanarum: propter quarum uel uſum uel abuſum nihil neceſſe ſit, animos eſſe immortales,

Rerum humanarum uanitas nõ tollit diuinam prouidentiã.

tales, nouumq́; apud Inferos de Superis consti tui iudicium. Illud etiam poëtæ plerisq; nimium placet:

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Quod tamen Socratis dictum esse fertur, qui censuerit, Deos, cùm magnos & inanes hominum de rebus exiguis nulliusq́; momenti conatus cernant, nihil nisi ridere. Ita hi quoq; nihilo sunt Epicuro religiosiores, quorum uæcordia melioribus quàm pro argumento uersibus descripsit Lucretius, hoc modo:

Omnis enim per se diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus seiunctaq́; longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis.
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur nec tangitur ira.

Hæc rationis nostræ tenebris magis allubescunt, quàm ea quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς, id est, humano more dicuntur, nunc irascente, nunc reconciliato, nunc pollicitante, nunc minitante: quamuis in conspectu nobis sint & publicæ & priuatæ humani generis calamitates: ac potius singulis, in ipsis penè uisceribus, quotidiè uersentur. Quæ nullæ utiq; essent: nisi nos ita impiè, sceleratè, flagitiosè uiueremus. Beneficia porrò diuina æquè conspicua sunt:

Et minas & promissiones diuinas indies experimur.

Manifestè falsa, refutationem non deside rant.

sunt: sed à uulgo hominum minus obseruantur, quàm supplicia. Sed ut ad uerba Ciceronis redeam: hic eorum sensus est: eos superuacaneam cæpisse operam in confutandis opinionibus; quas sine ulla argumentatione esse falsas, quiuis uideat. Sententia quæ præcessit, disertus esse possem, si contra ista dicerem: *εἰρωνικὴ, ut opinor, est: innuens, Epicureos ostentare eloquentiam in causa facilima: quorum tamen argumentis ipse in confutatione descensus animorum ad Inferos, & absurditatis eorum, quæ animis corpore carentibus tribuuntur, postea est usurus; & dicturus eadem, sed alijs uerbis alioq́ loco, τὰ κοινὰ καινῶς, ῥητορικῷ στρατηγήματι. Nam hæc Inferorum exagitatio de industria intermissa & reiecta est à Cicerone: quamuis ea gloriari uideret Epicureos. Nec tamen negat, dissimilem esse piorum & impiorum conditionem, cùm alibi, tum hoc ipso libro, his uerbis:* Duæ sunt uíæ (ut ait Socrates) duplicesq́ cursus animorum è corpore excedentium, *& reliqua. Etsi autem & supplicia & præmia, quæ Christiana religio docet, omnem naturæ humanæ modum uidentur excedere: pios tamen homines decet, argutijs omnibus excußis, censuram Theologicam ample-*

Censura theologica de præmijs & supplicijs mortuorũ, amplectenda est.

amplecti, quæ est huiusmodi: Non est Tyrannis, sed δικαιοκρισία θεοῦ, æternæ suæ & infinitæ maiestatis ἀμετανοήτους contemptores, æternis & infinitis pœnis mulctātis: etsi (quod ad ipsum hominem, omnium animalium ut pessimum, ita miserrimum, attinet) is finito, eoq; exiguo tempore (philosophica quidem ratione) infinitè peccare non potuit. Verùm ἡ ἐπιείκεια καὶ φιλανθρωπία τοῦ θεοῦ, misso unigenito filio suo, malum hoc mortis sempiternum beata immortalitate commutauit. Nec pÿs metuendus est inexorabilis iudex Deus: nec ipsis pro se erit maxima corona causa dicenda: nec opus est ÿs adhibere Demosthenē, quos Christus idem & iudex & patronus defendet. Impios uerò, ut nec triceps apud Inferos Cerberus, nec Cocyti fremitus, nec trāsuectio Acherōtis, nec siti enectus Tantalus, nec

Christus idem & iudex & patronus fidelium.

— quòd Sisyphu' uersat
Saxum, sudans nitendo, neq; proficit hilum,

terreant: ira Dei, gehennæ ignis, qui non extinguitur, & uermis eorum, qui non moritur, tenebræ exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, ubi aquæ gutta ardenti non contingit: et detestabilis deterrimorū dæmonū societas, plus satis erit formidabilis: nec Epicureo ista cōtēptu & derisu tollentur. Est pfectò

Veri terrores Inferorum.

inter

Oracula distinguēda à somnijs.

inter monachorum somnia, & diuina oracula distinguendum: nec (quod multi faciunt) eodem loco habenda sacra & profana. Præstat esse credulum & cautum, quàm per confidentiam in exitium irruere. Salus agitur. Vigilandum & orandum. Apage risum Sardonium.

VERBA CICERONIS.

Eos q̃ non sunt, dicere miseros esse, absurdum est.

M. Si ergo apud Inferos miseri non sunt: ne sunt quidem apud Inferos ulli. A. Ita prorsus existimo. M. Vbi sunt ergo hi quos miseros dicis? aut quē locum incolunt? Si enim sunt: nusquam esse non possunt. A. Ego uerò nusquā illos esse puto. M. Igitur ne esse quidē. A. Prorsus isto modo: & tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sunt. M. Iam mallem Cerberum metueres, quàm ista tam incōsiderate diceres. A. Quid tandem? M. Quem esse negas eundem esse dicis. Vbi est acumen tuum? Quum enim miserū esse dicis: tum eum qui non sit, dicis esse. A. Non sum ita hebes ut ista dicam. M. Quid dicis igitur? A. Miserum esse (uerbi causa) M. Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit: miserum

rum Cn. Pompeiũ, qui tanta gloria morte sit orbatus: omnes deniq; miseros, qui hac luce careant. M. Reuolueris eôdem. sint enim oportet, si miseri sunt. tu autem modò negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur nõ sunt: nihil possunt esse. ita ne miseri quidem sunt.

VI. SENTENTIA.

Si apud Inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud Inferos ulli.

EXPLICATIO.

Videtur hoc uelle Cicero: Mortuos, quos Auditor miseros esse dixerat, aut apud Inferos esse, aut nusquam. Sed cùm apud Inferos, qui pictorum & poëtarum portenta sint, esse nequeant: nusquam eos esse miseros. Quasi uerò lemures non & in undis, & in aëre, & in ignibus orbi Lunæ subiectis (ut Aonius Palearius affirmat) excruciari posint? Sed etiamsi nulli essent Inferi: nulla post obitum supplicia: mors tamen esset mala: primùm, quia est naturæ inimica (cur enim eam alioquin omnes animantes exhorrescerent?) deinde quia priuat omnibus uitæ bonis. Nam mala quidem uitæ, spe bona ita leuantur, ut morte nihil atrocius existimetur. Vnde Aristoteles

Etiam extra centrũ terræ supliciorum loca esse possunt?

Mors per se malum est.

stoteles

stoteles ait, ὅτι πάντων τῶν φοβερῶν, φοβερώτατον ὁ θάνατος (hoc est, omnium rerum terribilium, morte nihil esse terribilius.) Inferos autem esse, non solùm poëtarum & pictorum portenta: sed & philosophorum & Theologorum certissima ἀξιώματα, ab ipso Christo (qui ad Inferos descendit, & infernas pœnas impijs minitatur) comprobata: & inter Platonicos & inter Christianos constat. Ergo mors non tantùm malum est impijs: sed & maximum & sempiternum malum, cuius mali depulsio, non à Cicerone aut Demosthene, sed à Iesu Christo, humani generis seruatore, petenda est. Equidem non ignoro, plerosq; & animis & auribus ab hac commemoratione uehementer abhorrere: & ego ipse talia cogitans totus cohorresco & contremisco. Sed quid agas? Cogita num præstet in hæc mala, silentio & obliuione ad tempus obruta, uelut in occultam fossam, puluere & pice æstuantem, incidere? an uerò sæpius audiendo & meditãdo, ad cauendum, & firma præsidia quærenda excitari?

Iesus Christus uictor mortis.

Solicitudo securitati præstat.

VII. SENTENTIA.

Quem esse negas: eundem esse dicis. Vbi est acumen tuum?

EX-

EXPLICATIO.

Maximopere cauendæ sunt αἱ τῶν λόγων καὶ τῶν ἔργων ἐναντιώσεις: καὶ αἱ τῶν λόγων ἀνομολογίαι. Vnde quidam Dialectici præceptum addiderunt de obligatione, quam uocant: ut, si concesseris, oratorem esse uirum bonum, dicendi peritũ: postea in eiusdem mores improbos inueharis: parùm tibi constare uideberis: ac potius & in stulticiæ & improbitatis crimen incurres. Et uerborum inter se, & rerũ ab his discrepantiæ caueantur.

VIII. SENTENTIA.

Miserũ esse, uerbi causa, M. Crassum: qui illas fortunas morte dimiserit.

EXPLICATIO.

Hic uulgi affectus exprimuntur, tantis opibus diutius illis fruendum fuisse, existimantis.

VERBA CICERONIS.

A. Non dico fortasse etiam quod sentio. Nam istud ipsum non esse, cùm fueris: miserrimum puto. M. Quid miserius, quàm omnino nunquam fuisse? Ita qui nondum nati sunt, quia non sunt, miseri iam sunt: & nos ipsi si post mortem miseri futuri sumus: miseri fuimus antequam nati. Ego autem Neq; nondũ natos, neq; mortuos, Cicero contendit esse miseros.

non commemini, antequam sum natus, me miserum: tu, si meliore memoria es, uelim scire, ecquid de te recordere? A. Ita iocaris, quasi ego dicam, eos esse miseros qui nati non sunt: & non eos miseros qui mortui sunt. M. Esse ergo eos dicis. A. Imò, quia non sunt, cùm fuerint, eos miseros esse. M. Pugnantia te loqui nõ uides? quid enim tam pugnat, quàm non modò miserum, sed omnino quicquam esse, quod non sit? An tu, egressus porta Capena, cùm Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorũ sepulchra uides: miseros putas illos? A. Quoniam me uerbo premis: posthac non ita dicam, miseros esse: sed tantùm miseros, ob id ipsum quia non sunt. M. Non dicis igitur miser est M. Crassus: sed tantùm, miser M. Crassus. A. Ita planè. M. Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronuncies, id aut esse aut non esse. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? Inprimis enim hoc traditur, pronunciatum omne (sic mihi in præsentia occurrit ut appellarem ἀξίωμα: utar pòst alio, si inuenero melius: id ergo est pronunciatum) aut uerum aut

Omne ἀξίωμα (pronunciatũ) aut uerum aut falsum est.

aut falſum eſſe. Cùm igitur dicis, miſer M. Craſſus: aut hoc dicis, miſer eſt M. Craſſus, ut poſſit iudicari, uerum id falſum ne ſit? aut nihil dicis omnino.

IX. SENTENTIA.

Non eſſe cùm fueris: nihilo eſt miſerius, quàm omnino nunquam fuiſſe. Priuatio ſenſus, tollit miſeriã.

EXPLICATIO.

In cauſa eſt utriuſq; temporis ἀναισθησία. nihil intereſt inter profundum ſomnum, quo ſopitus fui annos abhinc 60, & inter eum, qui hac nocte mihi ſenſum omnem adimet.

X. SENTENTIA.

Ego nõ commemini, antequàm ſum natus, me miſerũ. Tu, ſi meliore memoria es: uelim ſcire, ecquid de te recordere? Quæ tibi antequam naſcerere acciderint, affirmare, ridiculum eſt.

EXPLICATIO.

Pater Mercurius hoc Pythagoræ muneris dedit, ut omnium in alio corpore actorum ſuorum recordaretur. Sed nobis iſtam memoriam immodicus Lethæi fluminis hauſtus diluit.

XI. SENTENTIA.

Omne ἀξίωμα (pronunciatum, effatum, Epicuri impudentia.

tum, enunciatio) aut uerum aut falsum est.

EXPLICATIO.

Epicuri impudentia. *Epicurus impudenter hanc sententiam oppugnauit, cùm diceret: nullam talem in rerũ natura esse necessitatem: ut Hermachus cras aut uiueret aut moreretur. Verum quidem est, potuisse Hermachum non nasci: sed quia & natus est, & uiuit: mortalitatis conditio fert, ut alterutrum necessariò uerum sit: sed utrum: Deo notius quàm homini. Nam Astrologos quidem οἱ ἀφέται καὶ ἀναιρέται sæpè fallunt.*

VERBA CICERONIS.

Qui probarit, mortuos non esse miseros: multũ mali de humana conditiõe deiecerit.

A. Age iam concedo, non esse miseros qui mortui sunt: quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non essent eos ne miseros quidẽ esse posse. Quid? qui uiuimus, cum moriendum sit, nónne miseri sumus? Quæ enim potest in uita esse iucunditas, quum dies & noctes cogitandum sit, iam iamq; esse moriendũ? M. Ecquid ergo intelligis quantum mali de humana conditione deieceris? A. Quonam modo? M. Quia si mori etiam mortuis miserum esset: infinitũ quod-

quoddã & sempiternũ malũ haberemus in uita. Nunc uideo calcem: ad * quem cùm sit decursum, nihil sit præterea extimescendum. Sed tu mihi uideris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. A. Quam? Non enim noui. M. Dicam si potero Latinè: scis enim me Græcè loqui in Latino sermone non plus solere quàm in Græco Latinè. A. Et rectè quidem sed quę tandem est Epicharmi sententia. M.

quam

Vt mors obita misera non sit: at mors obeũda est terribilis.

Emori nolo: sed me esse mortuum, nihili æstimo.

A. Iam agnosco Græcum. Sed quoniam coëgisti, ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse: perfice (si potes) ut ne moriendum quidem esse, miserum putem.

XII. SENTENTIA.

Quæ potest in uita esse iucunditas, cùm dies noctesq; cogitandum sit: iam iamq; esse moriendum?

EXPLICATIO.

Ergo hoc ab ineunte ætate meditatum esse oportet (ut in Catone ait) mortem ut contemnamus. Quod fieri non potest, nisi & in-

Præsidia cõtra metum mortis.

nocentiæ uitæ, & obedire præceptis Christi, pro uirili studeas: & conscientiam misericordiæ diuinæ fiducia sustentes: & perpetuò re aliqua honesta atq; utili sis & animo & corpore occupatus. Ocium enim ut luxuriosis hominibus multorum flagitiorum & scelerum est occasio: sic in uiri sobrij & modesti animo, perplexas & tristes gignere solet cogitationes.

VERBA CICERONIS.

Moriendũ esse, negat hic malum esse Cicero: quam sententiam pòst uberius explicabit.

M. Iam isthuc quidem nihil negocij est: sed etiam maiora molior. A. Quomodo hoc nihil negocij est? aut quæ sunt tandem ista maiora? M. Quoniam si post mortem nihil est mali: ne mors quidem est malum: cui proximum tempus est post mortem, in quo nihil esse mali concedis. Ita ne moriendum quidem esse, malum est. Id est enim, perueniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur. A. Vberius ista quæso. hæc enim spinosiora prius ut confitear me cogunt, quàm ut assentiar. Sed quæ sunt ea quæ dicis te maiora moliri? M. Vt doceam (si possim) non modò malum non esse mortem: sed bonum

Spinosiora argumẽta, quæ nõ satis intelliguntur, assensionẽ nõ faciũt.

bonum etiam esse. A. Non postulo id quidem: aueo tamen audire. Vt enim non efficias quod uis: tamen mors ut malum non sit, efficies. Sed nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. M. Quid: si te rogauero aliquid, non ne respondebis? A. Superbi id quidem esset. sed nisi quid necesse erit, malo ne roges. M. Geram tibi morem: & ea quæ uis, ut potero, explicabo. Nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint & fixa quæ dixero: sed ut homunculus unus è multis, probabilia coniectura sequens. Vltrà enim quò progrediar, quàm ut uerisimilia uideam, non habeo. Certa dicent ij, qui & percipi ea posse dicunt: & se sapientes esse profitentur. A. Tu ut uidetur: nos ad audiendum parati sumus.

Altera propositio huius libri, mortē bonum esse.

Διαλογικῶς.

Academica modestia.

XIII. SENTENTIA.

Si post mortē nihil est mali: ne mors quidem est malum.

EXPLICATIO.

Sophisma est ex imperfecta diuisione. Vt enim mors (quod falsum est) secutura mala non habeat: at habet antecedentia & cōiun

cta: ut desiderium eorum, quæ relinquenda sunt: ut angores animorũ, ex insita natura uitæ cupiditate, & horrore mortis: ut corporum cruciatus. Ergo moriendum esse (τὸ ἐκθνήξεσθαι δεῖν) miserum est: etiamsi mortuum esse malum non sit. Sed istos fortasse stulticiæ dicet affectus esse Cicero, quos euellat philosophia: corporum autem cruciatus, morbi esse non mortis.

XIIII. SENTENTIA.

Si mori etiam mortuis miserum esset: infinitum quoddam & sempiternũ malum haberemus in uita.

EXPLICATIO.

Quia & hæc uita misera est: & mors aliam afferret uitam miseriorem etiam: quod absurdũ & diuina prouidentia clementiaq́ putat alienum esse Cicero. Sed Christus aliud nos docet, cui qui fidem non habet: suo periculo Ciceroni credat licet.

XV. SENTENTIA.

Nunc uideo calcem, ad quam cùm sit decursum: nihil sit præterea extimescendum.

EXPLICATIO.

Improborum angores. *Impij & nefarij homines ista se spe sustentant, ut possunt: & tamen subinde (ut poeta ait)*

ait) sub mortem potius quàm sub noctē cura recursat: ne quod restet iudiciū, quo graues scelerum & flagitiorum pœnæ sint luendæ? Ad hanc quidem calcem homo Christianus ubi decurrerit: nihil est ei præterea extimescendum: sed accipienda corona immortalitatis. Quòd ni tanta esset fidei nostræ imbecillitas & uacillatio: nisi maior quàm decebat degendæ è præscripto Dei uitæ uel negligentia uel licentia: tam mortē expeteremus et optaremus, quàm nunc auersamur & exhorrescimus.

Mors, portus Christianorū.

XVI. SENTENTIA.

Cicero Græcè loqui in Latino sermone nō plus solet, quàm in Græco Latinè.

EXPLICATIO.

Primo de officiis. Sermone (inquit) eo debemus uti, qui notus est nobis: ne, ut quidam, Græca uerba inculcantes, iure optimo irrideamur. Eadem ineptiæ sunt eorum, qui Latina, Gallica, Italica, Hispanica uerba inculcāt, apud earum linguarum ignaros. Sed in familiari cū eruditis colloquio, in literis, in commentariis scribendis, aut utriusq; linguæ studiosis erudiēdis, Græca, Hebræa, uernacula miscere Latinis, adeò ridiculum nō est,

Oratione auditori nota utendum.

Græca licet miscere Latinis.

ut

ut sæpe sit commodum aliquando, etiam necessarium. Quàm multa enim Cicero Græca in epistolis & citauit & ipse scripsit? Scribebat enim non Græcis, qui Latina ignorabãt: sed Latinis, qui Græca callebant.

XVII. SENTENTIA.

Epicharmus, emori, inquit, nolo, sed me esse mortuum nihili æstimo.

EXPLICATIO.

Citatur à clarissimo uiro, Petro Victorio, è S. Empirico, ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι, οὔ μοι διαφέρει. *Fortasse legendum,* ἀποθανεῖν μὲν οὐκ ἂν βουλοίμην, τεθνάναι δὲ οὔ μοι διαφέρει. *Etsi enim liberior conuersio negata non est eruditis: tamen locus Empirici deprauatus & mutilatus uidetur. Vt enim* ἀποθανεῖν *per præsens exponas,* τεθνάναι *per præteritum: quàm bellum erit? Mori aut esse mortuum, mea nihil interest. Alia certè quidem erit sententia: ut dicat, se mortem & in uita & post uitam ex æquo nihili facere.*

Sententia Epicharmi Græca nõ uidetur extare integra.

XVIII. SENTENTIA.

Ne moriendum quidem esse (μηδὲ τό τεθνήξεσθαι δεῖν) malum est: cùm sit, per ueniendum esse ad id, quod non malum esse confitemur.

EX-

EXPLICATIO.

Sophistica est solutio, παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον: quæ refutari potest per differentiã. Malè colligitur, bonum est hospitium: ergo nullæ sunt itineris difficultates, nullæ molestiæ, nulla pericula tempestatum, latronum, inundationum, aliarumq́ rerum, quæ uiatoribus plurimæ solent obijci. Illud quidem sequitur, ea omnia æquiore animo ferenda esse. Sic Virgilianus Aeneas suos comites consolatur, cùm ait: Aspera ad bonum diuersorium sæpe uia est.

Per uarios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium: sedes ibi fata quietas
Ostendunt: ibi fas Troiana resurgere regna.
O passi grauiora dabit Deus his quoq; finem.
Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

XIX. SENTENTIA.

Continẽtem orationem audire malo.

EXPLICATIO.

Id est, Altercationi siue dialogo prolixiori præfero orationem perpetuam, cùm unus loquitur, non interruptam interpellationibus aut interrogationibus. Quali Cicero in omnibus ferè Dialogis (ut natura copiosus fuit) uti maluit. Personas loquentes facit, Cicero dialogis non immoratur diutius.

dum ad rem ipsam προπαρασκευῇ καὶ προκαταστάσει quadam perueniatur. Tum uerò liberè & apertis campis fluit oratio. Idem & Plato in Timæo fecit.

XX. SENTENTIA.

Superbi id quidem est, si quid interrogeris, non respondere.

EXPLICATIO.

Silentiũ aliquãdo inſciẽtię potius eſt, quã ſuperbiæ.

Istud silentium aliquando ex ignorationis pudore nascitur. In epistola quadam cum Trebatio I.C. iocans, qui istinc, inquit, ueniunt, partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas: partim contumeliosum, quòd malè respondeas. Nam eundem Trebatium I.C. C. Cæsari commẽdat, etiamsi iuriſconsultus nõ sit: significans, eum uirum esse meliorem, quàm iurisperitiorem.

XXI. SENTENTIA.

Geram tibi morem: & ea quæ uis, ut potero, explicabo.

EXPLICATIO.

Est beneuolentiæ & modestiæ in his uerbis significatio.

XXII. SENTENTIA.

Dicam nõ quasi Pythius Apollo, certa ut sint & fixa quæ dixero: sed ut homun-

munculus unus è multis, probabilia coniectura sequar.

EXPLICATIO.

Allusio est ad Academicam ἀκαταληψίαν, καὶ ἐποχὴν, καὶ πιθανότητα. *De oraculo Delphico ea Græcorum persuasio fuit, ut Hermogenes inter* ἀδύνατα *numeret:* τὸ τὸν πύθιον ψεύδεσθαι. *Et Isocrates in Archidamo.* Τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον, *inquit,* πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, ἀρχαιότατον εἶναι καὶ κοινότατον καὶ πιστότατον. *Quòd, ut homunculus unus è multis, scribit, Græcismus est, pro, ut homuncio plebeius. Sic Theocritus:* Delphici oraculi autoritas.

Ἄλλος ὁ Χῖος· ἐγὼ δ᾽ Θεόκριτος, ὃς τάδ᾽ ἔγραψα
Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρακοσίων.

XXIII. SENTENTIA.

Vltrà quò progrediar, quàm ut uerisimilia dicam, non habeo. Certa dicent ij, qui & percipi ea posse dicunt: & se sapientes profitentur.

EXPLICATIO.

Est acerba Ironia in temeritatem (ut uideri uult) & arrogantiam aliorum philosophorum: ut sunt, Epicurei, peripatetici, Stoici: qui & sciri omnia, & comprehendi posse conten-

contendunt. Sed nihilò uerecundiores ij sunt Academici, qui in meridie lucernam sibi accendi postulant: quasi uerò aut sciri aut ignorari omnia, sit necesse: & non alia perspicua sint & certa: alia obscura, dubia, controuersa.

Academici nonnulli, nihilo uerecundiores dogmaticis.

XXIIII. SENTENTIA.

Magister, ut uidetur, differat: discipuli ad audiendum parati sunto.

EXPLICATIO.

Magister ea debet esse & doctrina & uirtute, ut non nisi utilissima quæq; suis proponat auditoribus: quorum officium est, non præscribere illi, sed illius præceptis obtemperare. Nam Discipuli quando sequitur præcepta magister,

Est uelut à curru si traherentur equi.

Et tamen, propter fastidium auditorum, inani pompa, & uano uerborum apparatu bonas horas malè consumere sæpe coguntur doctores Academici.

Magistri sæpè coguntur auribus discipulorum seruire.

XXV. SENTENTIA.

Mors igitur ipsa, quæ uidetur notissima res esse, quid sit, primùm est uidendum.

EXPLICATIO.

Pertinet hæc sententia ad minuendam δοξοσο-

δοξοσοφίαν, id est, inanem sapientiæ persuasionem: & ad excitandum studium diligentioris inquisitionis.

OPINIONES DE MORTE: quarum enumeratio est confirmationis loco: significans rem, de qua agatur, non esse notissimam.

I.

SVnt enim qui discessum animi à corpore putent esse mortem.

EXPLICATIO.

Hi statuunt duas esse partes hominis distinctas, corpus atq; animum. Quam sententiã & Cicero probat tertiæ Tusculanæ proœmio, constare nos ex animo & corpore, affirmans. Ita corpus hospitio, animus, è corpore discedens per mortẽ, hospiti & uiatori, aliud diuersorium quærenti, comparabitur. **Animus uiatori similis.**

II.

Sunt qui in morte nullum censeant fieri discessum: sed unà animum & corpus occidere, animumq; cum corpore extingui.

EXPLICATIO.

Hi, ut in grano frumenti, & corpus est,

h ipsum

Animus grano frumenti comparatur.

ipſum ſcilicet granum, & uis grani: quæ ſpicam fundit: ita humanum corpus, in ſe uitalem uim ad certum tempus continere putāt, tandem deficientem, ut lucernam, oleo uel deſtitutam, uel ſubmerſam, aut uento, aliáue re externa extinctam.

III.

Sunt qui diſcedere animū cēſent: alij ſtatim diſsipari: (hoc eſt, miſceri aeri, ut halitum hominis, aut extinctum lumen, aut fumum, aut quamcunque exhalationem, ut Epicurei) alij diu permanere (ut Stoici) alij ſemper (ut Socrates & Platonici: qui ſtatuerūt, animos eſſe immortales & æternos.)

OPINIONES DE ANIMO: CVius natura ignorata, de morte nihil certi ſtatui poteſt.

Quid ſit porrò ipſe animus? aut ubi? aut unde? magna diſſenſio eſt.

EXPLICATIO.

Philoſophi neq; de mortis, neque de animi natura cōſentiūt.

Primùm generalis propoſitio ponitur, ſuperiori ſimilis: ne de animo quidem conſtare inter Philoſophos: quid ſit animus? (corpúſne an ſpiritus?) aut unde? (è cœlo, an è ſemine

ne

ne parētum, seu (ut in scholis uulgò loquuntur) ex traduce? unde Aristotcles Φυσικώταἶον, inquit, ἐστιν ἀνθρώπον ὅμοιον ἑαυτῷ γεννᾶν) aut ubi? (in qua parte corporis sit eius sedes?) magna dissensio est.

Cicero mortem atque animum principio ipse non definit: sed uarias aliorum opiniones utraque de re commemorat: quibus expositis, ac repudiatis plerisque, suam tandem sententiam explicat.

I.

Alijs cor ipsum animus uidetur, ex quo excordes, uæcordes, concordesq́ dicuntur: & Nasica ille prudens, bis consul, Corculum: &

Egregiè cordatus homo Catus Aeliu' Sextus

EXPLICATIO.

Fortasse quia & corde grauiter læso, plerunque interit uita: & circa cor sentimus affectus: iram, tristiciam, læticiam, spem, amorem, & similes. Inter Medicos & Aristotelem controuersia est, sit' ne mentis sedes in corde an in capite? Aristoteles eam in corde collocat, ut & ueteres Romani. Hippocrates uerò & Plato & Galenus sentiunt, uim uitalem esse in corde: in cerebro uerò, uim intelligentem & sentientem.

Læsiones cordis.

Animus uel in corde, uel in cerebro.

II.

Empedocles animum censet esse cordi suffusum sanguinem (τὸ περικάρδιον αἷμα.)

EXPLICATIO.

Fortasse quia illo quoque effuso, perit uita. Vnde Virgilius: Purpuream uomit ille animam. Fernelius tamen (ut mihi collega meus charissimus, D. Georgius Henischius, cuius censura in hoc opusculo sum usus, retulit) in corde cuiusdam, qui sensim contabescens & liquescens de medio sublatus sit, tria se hulcera reperisse, non parùm caua & sordida, multo iam antè tempore contracta, testatur. Sed quid inter Empedoclem & alios interest? Illud nimirum, quòd Empedocles sanguineam esse animam statuit, & constare ex materia corporea: alij uerò, animum sentiunt corporis esse & materiæ expertem, sed sedem suam habere in sanguine cordi suffuso, quemadmodum hospitem in diuersorio. Neque uerò idem sunt hospitium & hospes, sed multùm diuersa. Et tamen si est in sanguine animus, quid erit nisi uapor quidam sanguinis? Hospes enim materiæ expers non nisi consimili uidetur hospitio uti.

Animũ esse sanguinẽ, & esse in sanguine, differunt.

III.

III.

Alijs pars quædam cerebri uisa est animi principatum tenere.

EXPLICATIO.

Fortasse, quòd cerebro uel κακοχυμία, uel nimia siccitate, uel externa ui læso, ratio & mens aut peruertitur, aut languescit, aut quasi euanescit. Medici acumen atque intelligentiam in syncipite, id est, anteriore cerebri uentriculo, memoriam in occipiti sitam esse docent: idq́; compertum esse statuunt, ex utriusq; partis læsionibus, & symptomatis eas consequentibus. Itaque rotunda capita, & iustæ magnitudinis (quæ magnitudo æstimanda est non simpliciter & per se, sed habita ratione proportionis totius corporis) maximè commendantur: ut & capacissima doctrinæ, & memoria firmissima prædita: si modò iusta temperies caloris & humoris non desideretur. Qui uerò aut angusta fronte sint, aut depresso occipitio: eos minus & dociles esse & memores: eoq́; maximopere esse opus, quò minus ingenio ualeant, ut diligentiam subsidio sibi comparent: quæ quanta sit, nisi spacium & tempus datum fuerit (ut Ciceronis uerbis utar) intelligi non posit.

Cerebri læsiones nocent ingeniis.

Rotunda capita probantur.

Hebetibus & obliuiosis maiore diligentia est opus.

IIII.

Alijs nec cor ipsum placet, nec cerebri partem quandam esse animum: sed alijs in corde (ut Aristoteles) alij in cerebro (ut Plato) dixerũt animi esse sedem & locum.

EXPLICATIO.

Aliud est, esse animum: aliud, animi sedem.

Aliud est (ut paulò antè dixi) diuersorium, ut cor & cerebrum: aliud hospes, ipse animus. Sed hac de re copiosè disputat Galenus περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα δογμάτων. *Et tamen Plato in Cratylo, qui dialogus est de recta nominũ ratione* COR *nominat animi sepulchrum & claustrum. Quòd si Philosophis nihil est animus, nisi innatus calor: eiusdem cor esse fontem, idem Plato in Timæo affirmat.*

V.

Latini, aerium esse animum, uidentur sensisse.

Animum autem alij animam, ut ferè nostri, declarãt nominari. Nã & agere animã, & efflare dicimus (ψυχορραγεῖν ἢ ἀποψύχειν) & animosos θυμώδεις, ἢ θυμικούς, ἢ εὐψύχους) & bene animatos (εὐνοοῦντας, ἢ ὁμηρικῶς, φίλα φρονέοντας) & ex animi sententia (κατὰ γνώμην.) Ipse autem animus ab anima dictus est.

EXPLICATIO.

Vtrunque potius sit à Græco ἄνεμος: & anima spiritum, halitum, flatum, uentum significat. Vnde ridiculum illud Plautini seruuli: nunquid obturat etiam inferiorem gutturem? ne quid anima amittat dormiens? Ex hac ergo Etymologia statuit Cicero, Latinos sensisse, uenti quiddam simile esse animam, et causam esse uitæ (nam ultra quadrantem horæ suppresso spiritu, uiui posse negant) & sedem affectuum atque mentis: cùm ipsius animi sedes sit cor, ut suprà dictum est. Animũ uẽti similem esse, Latini putarunt.

VI.

Zenoni Stoico (alius enim fuit Epicureus Zeno, ætate Ciceronis, & alius horum utroque uetustior, Zeno Eleates) animus ignis uidetur.

EXPLICATIO.

Fortaßis ob calorem uiuẽtium corporum, & uigorem calidioris cerebri atque cordis.

VII.

Sed hæc quidem quæ dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, uulgò: reliqua ferè singuli: ut multi antè ueteres. Proximè autem Aristoxenus Musicus, idemque Philosophus, intentionem ipsius

corporis quandam, ueluti in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur: sic ex corporis totius natura & figura uarios motus cieri, tanquam in cantu sonos.

EXPLICATIO.

Temperies corporũ atque animorũ præclara.

Præclarißima sane Musica est tẽperies & humorum & spirituum in corpore, & apta proportio membrorũ, unde & sanitas & pulchritudo existit, & consensio rationis atq; appetitus in animo. Siquidem & ab Aristotele, & à Galeno affirmatum, atq; experientia in morbis & ebrietate compertum est, ὅτι ἕπονται αἱ διάνοιαι ταῖς κράσεσι τῶν σωμάτων, id est, animos sequi temperamenta corporum: & quemadmodum corpora sint affecta, sic etiam animos affici solere. Etsi hæc sententia magis uidetur pertinere ad brutum appetitum (qui sanè uidetur esse corporeum quiddam) quàm ad mentem & rationem: quam principes philosophorum, non tantùm corporis expertem, sed & rectricem & dominatricem corporis statuunt. Vulgus tamen hominum, cùm ita uiuat, ut inter plerosq; & bestias, excepta figura corporis, parùm interesse uideatur: non mirum est animum ita cum corpore permisceri (ut Cydonij nostri uerbis utar) ut unum quiddam atq; idem corpus & animus

Appetitus potius, q̃ Mens, temperamentum corporis sequtur.

Vulgus in bestias degenerat.

animus uideri queant. Longè autem alia ratio est eorum, qui appetitum rationi obedientem præbuerunt, & rerum diuinarum contemplationi se totos dediderunt. Vnde & Ptolemæus affirmare nõ dubitat, sapientẽ astris dominari. Quod si est: quantò magis idem cõstitutioni corporis imperabit? quod quidem ad animi affectiones attinet. Quantumuis enim sapias, neq; famem neq; sitim, neq; morbos natalicios, neq; uiolentam mortem à syderibus decretam, profligabis: qua multi & sapientissimi et sanctissimi uiri trucidati sunt.

Quatenus sapiens astris & corpori dominetur.

XXVI. SENTENTIA.

Hic ab artificio suo non recessit: & tamen dixit aliquid: quod ipsum quale esset, erat multò antè & dictum & explanatum à Platone.

EXPLICATIO.

Ciceroni illa concinnitas ita probata est, ut aiat, Aristoxenum dixisse aliquid, hoc est, opinionem eius non esse omnino absurdam. In hac igitur Musica consensionis appetitus cum ratione, & corporis cum animo, sese perpetuò exercere, hominis studiosi est: sine qua nemo se Philosophũ profiteri debet. ἡ γὰρ ἀναρμοσία τῆς ψυχῆς, τὸ πάντων ἀμουσότατόν ἐστι καὶ

Musica hominis studiosi.

ἀφιλοσοφώτατον. Cæterùm dogma illud de Harmonia prolixè refutatur à Socrate, in libro de immortalitate animorū, qui Phædon inscribitur.

VIII.

Xenocrates animi figuram, & quasi corpus negauit esse: uerùm numerū esse dixit, cuius uis (ut iam antea Pythagoræ uisum erat) in natura maxima esset.

EXPLICATIO.

Numerus pro ordine uniuersi. *Pythagoras ex numeris constare dixit omnia. Putant autem eum loqui non de mercatorio & uocali numero: sed de eo, quem Græci λογικὸν ἢ ἀναλογικὸν uocant. Quæ nihil esse*

Platonici numeri. *uidetur aliud nisi ἡ τάξία καὶ συμφωνία τοῦ παντὸς, id est, certus ordo & cōsensio uniuersitatis: qua de re copiosè agitur à Timæo Locrensi, & à Platone, in libro de uniuersitate. Sunt autem ij numeri siue Pythagorici siue Platonici tam multiplices & tam difficiles ad intelligendum, ut in prouerbium obscuritatis abierint. Xenocrates porrò animum statuit incorporeum, eaq́; ratione rectè negauit aliquā eius figuram esse, quæ in oculos incurreret. Nam nec Geometrica corpora & figuræ aliter nisi animo cerni possunt.*

IX. Eius

IX.

Eius doctor Plato finxit triplicem animam, cuius principatum (τὸ ἡγεμονικὸν) id est, ratione͂, in capite sicut in arce posuit: & duas partes separare uoluit, iram & cupiditatem (τὸ θυμῶδες καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν) quas locis disclusit: iram in pectore (huc & animi cupiditates & affectus pertinent) cupiditatem (hic intelligenda uidetur non animi appetitio, quę etia͂ à Christo cordi tribuitur: sed cibi, potionis, procreationis desiderium) subter præcordia locauit (διάφραγμα intelligit, quod septum transuersum appella͂t, iuxta quod sunt, stomachus, iecur, & reliqua.) Triplex, secundum Platonem, anima: cui unus & ide͂ homo, erit τρίψυχος.

EXPLICATIO.

Medici uirtutem naturalem stomacho tribuunt & iecori: uitalem, cordi: animalem cerebro: unde sensus & motus animantium pendeant. Quomodo autem eam triplicem finxit Plato? An quòd una quædam anima sit, diuisionis expers, distincta facultatibus? sicut una manus uaria; diuersa, atq; adeò contraria efficit opera. Virtus Naturalis. Vitalis. Animalis.

x. Di-

X.

Dicæarchi (haud ſcio, an ei⁹, quē Stobæus Meſſenium dicit) Corinthiaci 3. libri: cuius poſtea totidem Leſbiaci numerantur.

Dicæarchus aūt in eo ſermone, quem Corinthi habitum, tribus libris exponit, doctorum hominum diſputantium, primo libro multos loquētes facit: duobus Pherecratem quendam, Phthiotam ſenem, quem ait à Deucalione ortum, diſſerentem inducit, nihil omnino eſſe animum: & hoc eſſe nomē totum inane, fruſtraq; & animalia, & animantes appellari: neq; in homine ineſſe animum uel animam, nec in beſtia: uimq; omnem eam, qua uel agamus quid, uel ſentiamus, in omnibus corporibus uiuis, æquabiliter eſſe fuſam: nec ſeparabilē à corpore eſſe.

EXPLICATIO.

Cur ergo animalia non perpetuò uiuunt? Nam uis illa ultrò à corpore non recedet: uel potius, corpus eam à ſe uim haud dimittet. An quia ſuus cuiq; corpori uitæ terminus eſt præfinitus, ut motus horologio? Sed τὸ nec *ſeparabilem,* ἀχώριστον *intelligatur, pro nō diuerſo: quòd anima in ipſo corpore ſit, cum corpore quaſi conflata in unam maſſam, unà & naſcens & interiēs. Corpus igitur Dicæarcho, ut & Epicuro, atq; animus idem ſunt: & corpus animum ita in ſe (pro illius quidem opinione)*

Epicurei corpus & animū in unā quandam maſſam & chaos cōflant.

opinione) continet, ut uenæ ſanguinem, ſanguis utranq; bilem & phlegma, & ſpiritus è ſanguine exhalantes, qui rectores ſunt et ingenij & corporis actionum. Elegans eſt igitur ille Marſilij Ficini climax: Qualis, inquit, eſt concoctio, talis eſt & ſanguis: qualis eſt ſanguis, tales ſunt & ſpiritus: quales ſunt ſpiritus, tales ſunt & ingeniorum, & animorum, & corporum affectiones: unde conſimiles actiones oriuntur. Plurimum igitur refert ad bene beateq; uiuendum, qua quiſq; uictus ratione utatur. Hæc Pherecratis opinio ualde confirmatur τῇ ἀλληλοπαθείᾳ τοῦ τε σώματος, τῆς τε ψυχῆς. Sed nos aliud doctrinæ genus, diuinitus patefactum, ſequimur. In ratione uictus multum eſt momenti.

XXVII. SENTENTIA.

Quippe quæ nulla ſit: nec ſit quicquã niſi corpus unum & ſimplex.

EXPLICATIO.

Atqui Hippocrates ait, hominem, ſi ſimplex aliquid eſſet, nec uarijs elementorum qualitatibus conſtaret: & morborum & ſenectutis & mortis fore expertem, ut qui nihil haberet contrarium à quo corrumperetur: aut, ut doleret & ægrotaret, uno tantùm remedij genere ſanari poſſet: quæ nunc adhiberi Hippocrati homo nõ eſt ſimplex quiddam.

ri uaria & multiplicia, sit necesse. Qua ratione adductus Aristoteles, cælos etiam esse perpetuos statuit, quòd sint simplicia corpora. Sed hoc negat in Timæo Plato. Nam cùm cælum sit corpus solidum: terrestre aliquid habere: cùm sit aspectabile: etiam ignis aliquid admistum esse. Sed Dicæarchus hoc uidetur dicere: animam nihil aliud esse nisi corpus, aut corporeum quiddam: nec habere peculiarem (ut ita dicam) personam: sed esse corpus sine pectore, ut ait Horatius, id est, absq; mente & ratione: aut certè, ut ipsum corpus sit simul mens atq; ratio.

Cœli Aristoteli simplices: Platoni elemẽtares.

XXVIII. SENTENTIA.

Ita figuratum, ut temperatione naturæ uigeat & sentiat.

EXPLICATIO.

Fortasse temperationem illam (τὴν κρᾶσιν, quam uulgò complexionem uocant, alij temperamentum corporis) sensit esse nõn arbitrariam & uoluntariam (alioqui enim omnes animantes essent immortales: cùm omnes à morte uehementissimè abhorreant) sed temporariam: ut motum horologij, & clepsydræ fluxum:

XI. Ari-

155

XI.

Ariſtoteles longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio & diligentia: cùm quatuor nota illa genera principiorum eſſet complexus,è quibus omnia orirentur:quintam quandam naturam cenſet eſſe, è qua ſit mens. Cogitare enim, prouidere, & diſcere & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia:meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lętari: hęc & ſimilia eorum, in horum quatuor generum (elementorum) nullo ineſſe putat:quintum genus adhibet uacans nomine: & ſic ipſum animum ἐντελέχειαν appellat,nouo nomine: quaſi quandam cōtinuatam motionem & perennem.

Ariſtotelis & Platonis elogia.

Ε'ντελέχεια, quędā cōtinuata motio & perennis.

XXIX. SENTENTIA.

E' quatuor notis illis generibus principiorum (id eſt, elementis) Ariſtoteli omnia (ſcilicet naturalia corpora) oriuntur.

EXPLICATIO.

Idem tamē alia tria principia ſtatuit, materiam primam, formam & priuationem: eaq́; cū elemētis cōiunxit. Plato uerò (ut paulò antè

antè diximus) stellas etiam ex elementis constare censet: quòd nec sine terra quicquam firmum & stabile sit, nec absq; igne clarum & lucidum. Quasi uerò necesse sit, eandem esse rerum cælestium, quam terrenarũ rationẽ.

Cœlestia differre à terrestrib. probabile est.

XXX. SENTENTIA.

Aristoteles quintam quandam naturam esse censet, è qua sit mens.

EXPLICATIO.

Cõtrouersiæ de Entelechia.

Ἐντελέχεια *hæc uarijs doctorum certaminibus agitata est: Ciceronem alijs reprehendentibus, alijs defendentibus. Nonnulli actũ primum interpretantur: alij per τ alij per δ scribunt. Cæterùm & τ post ν pronunciari ut δ, traditum est à Grammaticis: ut de scriptura non magnopere laborandum sit. Significare autem* ἐντελεχὲς *assiduum quiddam & perenne, declarat ille uersiculus, Aristotele, ut opinor, antiquior:*

Κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐντελεχείῃ.

Gutta cauat lapidem nõ ui sed sæpe cadendo:

In quam sententiam & Ouidius:

Quid magis est durũ saxo? qd mollius unda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

Alij tamen τὸ ἐνδελεχὲς *per δ, cõtinuum & perenne:* τὸ ἐντελεχὲς *per τ,* τὸ ἐντὸς τέλος ἔχον,

ab

ab interna perfectione dici uolunt. Sed ut, omisso uocabulo, ad rem ipsam ueniam: quinta hæc natura Aristotelis non uidetur abhorrere à Pythagoræ sententia: qui (ut in Catone Maiore scriptum reliquit Cicero) non dubitauit, quin animos haberemus ex uniuersa mente diuina delibatos seu decerptos. Vnde & ab Horatio scriptum est:

Atq; affigit humi diuinæ particulã auræ:

id est mentem & rationem. Cæterùm ex his, quæ enumerat Cicero, pleraq; (posteriora præsertim) brutis etiam animantibus inesse uidentur. Lupus cogitat ac deliberat sint ne inuadendæ oues, præsente pastore atq; canibus? in quas desertas, absq; ulla dubitatione facit impetum: formica prouidet hyemi: quædam aues pullos suos ad uolatum instituunt: exhibentur ursi saltatores. Scribit Plinius inuentum esse elephantem, qui cùm pridie in saltatione parùm dextrè se gerens, uapulasset, nòctu sit inuentus saltando sese exercere. Iam hirundines ædificationem ex luto, Ibides, clysteres, hippopotamon uenæ sectionẽ reperisse tradunt. Deniq; Theodorus Gaza in præfatione historiæ animalium Aristotelis, multa exempla uirtutum à brutis animãtibus peti posse demonstrat. Plutarchus item duobus li- Homini cũ brutis cõmunia.

 bris,

bris, solertiam & uirtutes animalium persecutus est: quorum uni titulum fecit. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ ἔνυδρα ἢ τὰ χερσαῖα: alteri inscriptio est Gryllus, ἢ περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. Sed Aristoteles natura impelli animalia, non ratione gubernari ad opera sua efficienda censet: id quod & siue Nemesius siue Cydonius affirmat. Palingenius uerò non tam ratione & mente uinci ab homine, ea quæ bruta dicantur, asserit, quàm manibus & sermone: etsi sunt, qui suum quendam sermonem & auiculis & alijs animantibus esse putent. Et Apollonius Tyaneus, auicularum uoces intellexisse traditur: & magi, nescio quibus carunculis & herbis deuoratis, eam scientiam comparari profitentur. Sic & uolucrum anima erit è quinta quadam natura (id quod Virgilius in Georgicis affirmare non dubitat) æquè ac humana, quamuis hæc sit amplior & illustrior: quemadmodum & homines alij alijs ingenij bonitate antecellant: prætereaque religione (quæ in paucis uera est, in pluribus superstitio, in maxima parte impietas) & uniuersalium cognitione (quæ nihil nisi commenta humani ingenij esse putantur) ornata & instructa.

Bruta natura nõ ratiõe agere.

Hominis prærogatiuæ.

XXXI.

XXXI. SENTENTIA.

Nisi quæ me forte fugiunt, hæ sunt ferè omnium de animo sententiæ.

EXPLICATIO.

Gratia habenda est Ciceroni, qui per omnium philosophorum scripta peruagatus, magno studiosos & difficili labore omnium dogmata perscrutandi leuauit. Vtitur autē modesta προκαταλήψει. Multum etiam Diogeni Laërtio hoc nomine debemus: quòd Epitomē quandam bibliothecæ Philosophicæ nobis confectam reliquit. Collectio diuersarū sententiarum utilis.

XII.

Democritum enim, magnum illum quidem uirum, sed leuibus & rotundis corpusculis (id est, atomis) efficientem animū (id est, sentientem effici animū) concursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apud illum, quod nō atomorum turba conficiat.

EXPLICATIO.

Κατ' ἀποδίωξιν *Democriti sententiam subiungit, ut Philosopho minimè dignam: quam uis magnum uirum esse fateatur. Ac ueteres illi Physici utique magni uiri fuerunt: multaq́; nouerunt, ignota nostræ ætatis hominib.* Veteres Physici, magni uiri.

Thales Milesius prouentum olei præsensit, & repentinam pluuiam prædixit. Idem tamen, dum astra intuetur, in foueam incidit, cæli perspiciendi cupidus, cùm id, quod ante pedes erat, nō uideret. Anaxagoras casum saxi è cælo: Pherecydes aqua putei inspecta, terræ motum: hic ipse Democritus, Hippocratis famulam, pridie uirginem, postridie mulierem salutauit: qua siue acie mentis, siue arcana & obsoleta arte, iudicent alij. Neq; uerò nego, etiam hodie & Medicos & Astrologos multa prædicere: sed toties frustratos, ut aliquando fortuitò potius in ueritatem incidisse, quàm ex arte euentum præuidisse uideantur: secundum uersiculum illum, quem & Aristoteles de diuinatione somniorum citat:

Incertus prædictionum euentus.

Ἂν πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βάλῃς.

Sed cùm, Homero autore, turpe sit ἀνεμώλια βάζειν: tacere fortasse præstat, quàm temerè diuinando, ridiculum & uulgi fabulam fieri. Neq; tamen coniecturæ probabiles omnino contemnendæ sunt: sed habendæ pro coniecturis, non pro oraculis. Mihi enim oraculi instar est, id quod scripsit Cicero: omnem diuinationem coniectura niti: ultra quam progredi nō possit. Sed quomodo missus faciendus est is, quem magnum esse uirum fatearis? id est, ingenio,

Coniecturæ nō sunt oracula.

ingenio, doctrina, usu rerum præstantem: non'ne hæc inter sese pugnant? Minimè uerò. Nam cùm neq; sapiens neq; bonus quisquam mortalium per omnia sit: cumq́; aliâs idem sapiat, aliâs desipiat: nunc uirtutem colat, pòst in flagitia & scelera prolabatur: prudentia est, ea quæ uera & recta sunt probare atque amplecti, cæteris repudiatis. Magnus ergo uir Democritus rectè appellatur propter cognitionem rerum naturalium insignem, et anatomicam solertiam. Quæ eius magnitudo eleganter & prolixè describitur ab Hippocrate in epistola ad Damagetum: cuius inter alia hæc uerba sunt: οὐκ ἄρα παρεφρόνεε Δημόκριτος, ἀλλ' ἁπάντων ὑπερεφρόνεε, *id est: non utiq; delirabat Democritus; sed omnia cõtemnebat. Liceat etiã uertere posterius membrum: sed omnes sapiẽtia anteibat. Cæterùm cùm leuibus & rotundis corpusculis efficiat animum concursu quodam fortuito: & nihil sit apud illum, quod non atomorum turba cõficiat: in eo (si dicere liceat) non certè magnus uir, sed magnus fatuus fuit. Turpissimum enim est Physico, affirmare, quicquam fieri sine causa. Causarum autem quatuor esse præcipua genera, nemini est ignotum: inter quas de effectrice & fine sæpe ambigitur.*

Eiusdẽ autoris alia probare, alia improbare, nõ est nefas.

Hippocrates de Democrito.

Multa enim in rerum natura sunt, quæ & unde oriantur, & quò referantur, est difficile iudicatu. De materia & forma pauciores solent esse disputationes. Cæterùm dogma illud Democriti, Leucippi, & qui hos secutus est, Epicuri, de atomis, portentosum est, cùm nec oculis corpuscula illa leuia & rotunda quisquam uiderit, nec animo posse comprehendere quisquam uideatur. Itaque uehementer miror, quid nam illi sibi uoluerint, nisi fortè deridere homines credulos, & obstupefacere insolenti ista fabula instituerunt. Quidam tamē Vuilhelmus Aneponymus, per atomos, rerum omnium minutissima quædam semina intelligenda esse opinatur.

XXXII. SENTENTIA.

Harũ sententiarũ quæ uera sit, Deus aliquis uiderit: quæ uerisimilima: magna quæstio est.

EXPLICATIO.

Rectè uerò Cicero. Vidit enim hoc Deus, cuius patefactioni qui credit, nihil moratur inexplicabiles humano ingenio quæstiones, aut Democriti atomos: de quibus Lactātius, libro de ira Dei sic scribit: Vides in quæ deliramenta inciderint Philosophi, dum nolunt ef-

fectionem curamq́; rerum Deo dare? Moses ait, Deum in principio condidisse cælum & terram, id est, esse effectricem causam rerum omnium, ijsq́; & materiam & formam indidisse, & ad certos fines atq; usus omnia destinasse. Hominem autem ad imaginem Dei esse conditum: qui ei spiritum uitalem indiderit. Christus porrò uetat eos timere, qui occidant corpus, animum uerò non possint occidere: idemq́; pijs beatam immortalitatem promittit: impijs æternos cruciatus minitatur. In huius unius autoritate nobis acquiescendum est: dandaq́; pro uirili opera, ut & illius interdicta uitantes, gehennam effugiamus: & præceptis obtemperantes, promissionum etiam illius compotes fiamus. Ceterùm Dicæarchi opinio, qui ex humano corpore uitam humanam, ut è leonino leoninam existere arbitratur: ijs allubescit, qui ortum, & interitum, & affectus, & morbos homini cum bestijs communes spectant. Sed Aristotelicam & Platonicam sententiam magis probant, qui uim & mirabilia opera humani ingenij, celeritatem, amplitudinem intuentur. Nobis uerò utriusque mirabile opificium est considerandum.

Mosaica Physiologia.

Christi de animo sententia.

Alij corp⁹, alij animũ magis spectant.

XXXIII. SENTENTIA.

Nihil est apud Democritũ, quod non atomorum turba conficiat.

EXPLICATIO.

Vt monstrosa, sicut dixi, ita expeditissima est physiologia hæc, & potentissima, ut quæ non tantùm elementa quatuor, sed & mundos innumerabiles ex minutissimis istis corpusculis, in uacuo uolitantibus, fabricetur. Apud Virgilium Silenus:

—Canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarũq; marisq; animæq; fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia: & ipse tener Mundi cõcreuerit orbis.

Ego uero libens è Democrito quæsierim, ullum'ne collem, aut domunculam, aut lectulũ ex atomis confectum uidisset? Si negaret, rogarem porrò, quem nouum Mundum inde cõflatum conspexisset? Apud Theologos diuina prouidentia conficit omnia, humano ingenio imperuestigabilis. Nam qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria.

XXXIIII. SENTENTIA.

Διαλογικά.

Vtrùm igitur inter has sententias diiudicare malumus? an ad propositum redire?

dire? A. Cuperem equidem utrunq;, si fieri posset, sed est difficile confundere. Quare si (ut ista non differamus) liberari mortis metu possumus, id agamus: sin id non potest, nisi hac quæstione animorum explicata: nunc (si uidetur) hoc, illud alias.

EXPLICATIO.

Hæc pertinent ad decorum dialogi, atque ad locum docilitatis & attentionis. Denunciat enim quo disputationis ordine sit usurus. Propositum porrò est, mortem non esse malũ, ostendere: cui declarando accessit sententiarum de morte & animo enumeratio. Difficile est confundere, pro, confusio diuersarum quæstionum molesta est. Alij legunt, non confundere: quod magis placet. Nam duarum quæstionum implicatio inter sese, uix effugit cõfusionem: aut certè, dum altera tractatur, altera minus attẽtis excidit: Sicut Laco quidam legato cuidam loquacissimo, & iniquũ fortasse postulanti, respondit: se priora nõ meminisse, posteriora uerò non intellexisse.

XXXV. SENTENTIA.

M. Quod te malle intelligo (ut nunc hoc explicetur) id puto esse cõmodius.

Efficiet enim ratio, ut, quæcunque uera sit earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non sit: aut sit bonum potius.

EXPLICATIO.

Ratio theologica non cõsentit cũ philosophica.

Sed alia est ratio Theologica perfecta, quàm Philosophica ista, ne Platoni quidem probata (Is enim consceleratis atque impiis Pyriphlegethontem minitatur in Phædone: etsi commentum id esse, libro de Republica tertio non obscurè significat) trunca & mutilata, ut postea uidebimus.

XXXVI. SENTENTIA.

Quæ constãt ex materia, sunt corruptioni obnoxia.

Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus: certè, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si aer est, fortasse dißipabitur: si ignis, extinguetur: si est, ut placet Aristoxeno, harmonia, dissoluetur.

EXPLICATIO.

Animus unà cũ corpore ortus, unà etiam periturus uidetur.

Sententia est: cùm omnia terrena corpora intereant: animum quoq;, si materia corporea constet, in morte periturum.

XXXVII. SENTENTIA.

His sententiis omnibus (quæ animũ corporeum quiddam esse statuunt) nihil

post

post mortem pertinere ad quenquam potest. Pariter enim cum uita sensus amittirur. Non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit.

EXPLICATIO.

Appendix è Catone. Quòd si non sumus immortales futuri: tamen extingui, homini suo tempore, optabile est. Nam habet natura, ut omniũ aliarũ rerũ, sic uiuẽdi modum. Ea quæ simul orta sunt, simul interire, consentaneum est: nec tamen semper ita fit: ut uel gemelli docent (quantulum enim uel con ceptus uel ortus discrimen est? & hinc turbantur Astrologorum iudicia) quorum sæpe alter in cunis extinguitur, ut neptis mea Vrsulæ Schenckiæ fraterculus: uel in iuuentute perit, ut Ioannis Scheubelij Mathematici frater: cùm ille LXX *annum excesserit. Quid simile Esaus & Iacobus, Hercules & Iphiclus habuerunt? Castor & Pollux concordes illi quidem, sed diuersis dediti studiis fuerũt. Deinde eodẽ momento & concepti & in lucẽ editi, ob seminum & formarũ & for tunarũ diuersitatẽ, quàm diuersos habẽt fines & exitus? ut homo, equus, canis, ceruus, cornix. Videtur igitur multiplex adhibẽda esse distinctio, ut et in hac ipsa quæstiõe: cùm*

Gemellorum diuersæ naturæ.

Diuersa semina, diuersæ formæ.

non

Animus extrinsecus accedens.

non Theologi modò quidam, ſed & Ariſtoteles τὸν νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ μόνον τῶν ἐν ἡμῖν θεῖόν τε εἶναι καὶ ἀθάνατον, hoc eſt, mentẽ extrinſecus ſuccedere, et ſolam rerum noſtrarum & diuinã eſſe & immortalem, ſentiat.

XXXVIII. SENTENTIA.

Reliquorum ſententiæ ſpem afferunt (ſi te fortè hoc delectat) poſſe animos, cùm è corporibus exceſſerint, in cœlũ, quaſi in domicilium ſuum, peruenire.

EXPLICATIO.

Potentia in cœlum redeundi, non eſt humanæ potentiæ.

Potentia hæc non eſt humanæ facultatis: ſed diuinæ liberalitatis. Chriſtus negat, quenquam aſcendiſſe in cœlum, niſi filium hominis, qui ſit in cœlo. Vnde nec deſcendiſſe alium quenquam de cœlo intelligitur. De Pythagorico deſcenſu & aſcenſu animorum (ad cuius opinionem Cicero hîc alludit) antè dictum eſt. Sed & Theologi nonnulli (ut modò attigi) ſenſerunt, diuinitus infundi corporibus animos ſub quadrageſimum à conceptu diem. Quæ ſententia multa inuoluere abſurda uidetur, quæ aliјs conſideranda relinquere malo, quàm ipſe diſſerendo agitare. Videntur tamen illi in iſtam opinionem adducti, quòd timerent, ne animi, ſi unà cum corpo-

ribus

ribus nascerentur, unà etiã interirent: quasi uerò immortalitas & beatitas non à diuina potius uoluntate, quàm ab hominis natura penderet. Immortalitas & beatitudo Dei dona sunt.

XXXIX. SENTENTIA.

A. Me uerò delectat, idq; primum ita esse uelim: deinde etiamsi non sit, sic mihi tamen persuaderi uelim.

EXPLICATIO.

Appendix è Catone. Quòd si in hoc erro, quòd animos hominum immortales esse credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum uiuo, extorqueri uolo.

Etiam usura frui (ut Cicero de morte Vatinij dixit) nonnullis iucundum est. Si tamẽ id, de quo dubites, iucundum esse potest: ac nõ potius frustratio, aut diuersus euentus auget dolorem. Vsura falsi gaudij.

XL. SENTENTIA.

M. Quid tibi ergo opera nostra opus est? Num eloquentia Platonem superare possumus?

EXPLICATIO.

Pertinent hæc & ad decorum dialogi, & ad captandam attentionem: cùm auditor à Cicerone aliquid expectet non præstitum à Platone,

Platone, principe & Homero & Deo philosophorum. Quemadmodum enim Latini ueteres Plauti ore quasi Musas locutas esse perhibuerunt: ita Græci eam Platoni maiestatem orationis tribuerunt, ut dicerent: Iouem, si Græcè loqui uellet, non alio sermonis genere usurum quàm Platonico. Sed Cicero modestiæ causa negat, quod se consecutum putat. Quod ni ita esset: cur non Phædonem potius Latinum fecisset: quàm tam prolixè disputasset? Nos uerò non recusamus, & Platone & Cicerone inferiores esse eloquentia: modò cognitione diuinæ ueritatis, in sacris literis declaratæ, superiores simus.

Platonica & Plautina eloquẽtia.

XLI. SENTENTIA.

Plato animorum immortalitatem lectori non satis probat.

Euolue diligenter eius eum librum, qui est de animo. Amplius quod desideres nihil erit. A. Feci me Hercule, & quidem sæpius. Sed nescio quomodo, dum lego: assentior. Cùm posui librum, & me cum ipse de immortalitate animorum cæpi cogitare: assensio omnis illa elabitur.

EXPLICATIO.

In causa est, uel rationum & argumentorum infirmitas: cùm ea quæ probare debent,

ipsa

ipsa probationis egent, καὶ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖται: uel imbecillitas ingenij, rationum earum momenta & uim non perspicientis: uel despe ratio tantæ excellētiæ: cuius humana uitiositas & infirmitas non capax esse uideatur. Plutarchus certè putat, nihil esse absurdius, quàm terrā cœlo miscere, hoc est, credere corpora humana in cœlos ascendere. Illud quidem fieri posse non negat: ut præstantium hominum animi è corporibus discedentes, primùm Heroes fiant, deinde dæmones siue genij boni, quos angelos Christiani uocamus. Deníque, ubi satis ab omni terrena labe perpurgati fuerint, dij euadant. Sed nobis satis est, animos piorū hominum esse beatos, quocunq; nomine appellentur: quibus & sua corpora clarificata atq; omnis incōmodi expertia, tandem sint restituenda.

Plutarchus corpora cœlo exclu dit.

XLII. SENTENTIA.

M. Quid hoc? das'ne aut manere animos post mortem? aut morte ipsa interire? A. Do uerò. M. Quid, si maneant? A. Beatos esse concedo. M. Si intereant. A. Non esse miseros: quoniam ne sint quidem. Nam isthuc coacti à te, paulò antè concessimus. M. Quomodo igitur, aut cur mortem malum tibi uideri dicis? quæ

Dilemma fallax, animus aut interit, aut fit beatus.

quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus: aut nõ miſeros, ſenſu carẽtes.

EXPLICATIO.

Chriſtiana religio priorem huius dilemmatis partem diſtinguit, piorum & impiorũ diſcrimine conſtituto: poſteriorem omnino repudiat.

XLIII. SENTENTIA.

Repetitio utriuſque propoſitionis, inuerſo earũ ordine: uel immortalẽ eſſe animum: uel, ſi mortalis ſit: non eſſe malũ mortem.

A. Expone igitur (niſi moleſtum eſt) primùm, animos (ſi potes) remanere poſt mortem: tum, ſi minus id obtinebis (eſt enim arduum) docebis, carere omni malo mortẽ. Ego enim iſthuc ipſum uereor ne malum ſit, non dico carere ſenſu, ſed carendũm eſſe.

EXPLICATIO.

Futurorũ metus gaudia præſentia turbat.

Hoc ipſum excruciat ſanos, ac diuitÿs & uoluptatibus affluentes. Timent enim morbos, timent inopiam, timent uarios & incertos caſus. Qui charam uxorem habet: eo ipſo beatus eſſe uidetur, quòd eius conſuetudine fruitur. Sed ſi idem metuat, ne uel exilio, uel diuturna & longinqua profectione, uel morbo ſontico, uel etiam morte, breui ab illa diſtrahatur: dubitare queas, beatior' ne ſit poſſeſſionis illius ſuauitate? an miſerior, amiſ-

ſionis

sionis metu? Qui uerò inopia & doloribus animi atque corporis conficiuntur: hi mallent nihil esse, nihil sentire, prorsus in nihilum redigi: quàm nunquã acquiescere. Hinc ille ait: Mors optabilis est miseris.

O uita misero longa, felici breuis.

Verùm hæc optio non datur neque felicibus neque calamitosis: expectandus est utrisque terminus diuinitus constitutus, quem nemo superabit. An uerò οἱ αὐτόχειρες, id est, ij qui sibi ipsi necem consciscunt, anteuertant, magna quæstio est. Putant enim aliqui, hoc ipsum quoque constitutum esse, ut eo tempore uitam abrumpant: & Astrologi quosdam statuunt, ob certum stellarum positum, manus sibi ipsos esse allaturos. Nobis uerò animi ad patientiam & despicientiam terrenarum rerum assuefaciẽdi, & ad desiderium cœlestium excitandi sunt. In Dei uoluntate acquiescẽdũ.

XLIIII. SENTENTIA.

M. Autoribus quidem ad istam sententiam, quam uis obtineri, uti optimis possumus: quod omnibus in causis & debet & solet ualere plurimum.

EXPLICATIO.

Quia uiros uirtute & sapientia præstantes rectius sentire uulgo hominum proba-

Fucus magni nominis cauendus.

bile est. Sed hic uidendum, ne fuco potentiæ, nobilitatis, superstitionis, calliditatis decipiamur. Nec enim sine causa exclamat apud Euripidem Andromacha.

Ω̃ δόξα δόξα μυρίοισι δὴ βροτῶν
Μηδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν.

Vetera instituta nō sunt temerè conuellenda.

Hoc est. O fama fama, infinitos utique mortales, cùm nihili sint, in illustri dignitatis gradu collocasti. Cauendum tamē omnibus, ne iuuenili temeritate, instituta maiorum labefactent, etiamsi uitiosa uideantur. Multa enim errata (ut quidam scripsit) facilius tolerantur quàm tolluntur. Nouos mores & ritus instituere, qui & ætatem ferant, nec multorum malorum sentinam quasi quandam inuehant: diuinæ potius est, quàm humanæ autoritatis. Neque enim, ut Baptista ait, potest homo sibi sumere quicquam, nisi ei datum sit de cælo. Præclarè & Pindarus, Turbare, inquit, Rempublicam, est cuiusuis: sed eidem turbatæ tranquillitatem restituere, non est nisi diuinæ potentiæ.

XLV. SENTENTIA.

Et primùm quidem omni antiquitate: quæ quò propius aberat ab ortu & diuina progenie: hoc melius ea fortasse, quæ erant uera, cernebat.

EX-

165

EXPLICATIO.

Platonis est hæc sententia in Timæo: quam ex interpretatione Ciceronis ascribam: ne prolixitate Græcorum uerborum imperitis eius linguæ sim molestus: reliquorum (inquit libro de uniuersitate) quos Græci δαίμονας appellant, nostri, opinor, lares (si modò hoc rectè conuersum uideri potest) & nosse & enunciare ortum eorum, maius est, quàm ut profiteri scribere nos audeamus. Credendum nimirum est ueteribus & priscis, ut aiunt, uiris: qui se progeniem esse Deorum dicebant: itaque eorum uocabula nobis prodiderunt. Nosse autem generatores suos optimè poterant. Ac difficile factum est, à Diis ortis fidem non habere: quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur. Sed quia de rebus sibi notis uidentur loqui: ueteri legi morique parendum est. Hactenus Plato. Sed & Lactantius, Tanta, inquit, est autoritas uetustatis: ut inquirere in eam scelus esse ducatur. Idem & Ciceronem citat, sic scribentem: Maioribus nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis est credere. Quin & Iurisconsulti negant, omnium eorum, quæ rectè à Maioribus constituta sint, rationes posse reddi. Cæterùm antiquissima quæque uidentur illa quidem esse ue-

Plato de diis ueterum.

Antiquitatis autoritas.

Antiquitatis depravatio.

rißima: ſed aut deprauari pleraque ſolent fabulis, commentis, & additamentis poſterorum, aut obliuione quadam mutilari & tandem intercidere. Vnde poſtea nouæ, quæ putantur, exiſtunt opiniones, cùm ſint uetuſtißimæ. Quod idem forſitan & in artium inuentione accidit.

ARGVMENTA PRO IMmortalitate animorum.

Hæc primum ſumuntur ab autoritate maiorum, id eſt, Romanorum ueterum, & conſenſu omnium gentium. Qui quia in dubium uocari poterat: ab hominum uulgo, uentrem potißimum curante, & parùm à beſtiis differente, diſtinguit & ſeparat uiros Heroicos, philoſophos, poetas, opifices nobiles, atque agricolas etiam humaniores: quorum iudicia conſenſum uniuerſi generis humani eſſe, inductione colligit.

I.

Itaque unum illud erat inſitum priſcis illis, quos caſcos Ennius dicit, eſſe in morte ſenſum: neque exceſſu è uita (uitæ) ſic deleri hominem, ut funditus interiret. Idq́ cùm multis alijs rebus, tum è pontificio iure, & cerimoniis ſepulchrorum intelligi licet: quas maximis inge-

ingeniis præditi, nec tanta cura coluissent, nec uiolatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non esse interitum, omnia tollentem atque delentem: sed quandam quasi migrationem, commutationemq; uitæ: quæ in claris uiris & fœminis, animis dux in cœlum soleret esse: in cçteris, eos humi * retineret, ut permanerent tamen.

Mortẽ, ueteribus esse uisam, quasi migrationem quandam, commutationemq; uitæ.

* Retineretur, & permaneret.

EXPLICATIO.

Ita sensisse ueteres ꝓbat signis q̃busdã, nõ iis quidẽ quæ τεκμήρια dicuntur: sed iis quæ εἰκότα καὶ σημεῖα. De quibus rectè usurpari potest illud Euripidis, ὅτι οἱ λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους, id est, alias rationes ab aliis rationibus quasi de gradu deiici. Primum εἰκὸς *à ceremoniis sepulchrorũ. Esto sanè, eos sensisse fieri mortuis iniuriam. Non tamẽ inde sequitur: eos statuisse, uiuere mortuos. Vt enim sepultura propter uiuẽtes potius quàm mortuos, instituta est: ita etiam uiuentium magis interest, sepulchra non uiolari, quàm defunctorum. Et possunt aliæ eius rei causæ afferri, ut* φιλοστοργία. *Cùm enim ea, quibus usi fuere mortui, amemus: quantò magis ipsorum corporum reliquias? Vnde Necropolis*

Sepulchrorũ religio nõ probat immortalitatem.

lis illa Aegyptiorũ extitit. Deinde quis nõ oderit eos, qui cũ laruis (quod dicitur) luctantur? & illos uiolant, à quibus aut læsi non sunt: aut qui se iam defendere nequeunt?

VERBA CICERONIS.

Ex hoc, & nostrorum opinione,
Romulus in cælo cum Diis genitalibus aeuũ
Degit——————
ut famæ assentiẽs dixit Ennius. Et apud Græcos indeq́ perlapsus ad nos, & usq́ ad Oceanum Hercules, tantus & tã præsens habetur Deus. Hinc Liber Semele natus, eademq́ famæ celebritate Tyndaridæ fratres: qui non modò adiutores in prælijs uictoriæ populi Romani sed etiã nũcij fuisse perhibent. Quid Ino Cadmi filia, nónne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à nostris? Quid totũ prope cœlũ (ne plures persequar) nónne humano genere cõpletum est? Si uerò scrutari uetera, & ex ijs, ea quę scriptores Gręciæ prodiderũt, eruere coner, ipsi illi maiorũ gentiũ Dij qui habẽtur, hinc à nobis ꝓfecti in cœlũ reperiẽtur. Quære quorũ demõstrent sepulchra in Græcia: reminiscere (quoniam es initiatus) quæ

Totũ propè cœlum, humano genere cõpletum.

quæ tradantur myſterijs: tum denique, quàm hoc latè pateat, intelliges.

EXPLICATIO.

Alterum εἰκὸς ſunt αἱ ἀποθεώσεις, quas autor noſter prolixè recenſet: ſatisq́; declarat, Deos quos Romani coluerint, pleroſque fuiſſe homines. Vnde apparet, quali fundamento nixa fuerit eorum religio. Stella quæ nunc Iupiter dicitur, extitit utique ante Iouem natum: cuius nomen pòſt illi ſtellæ eſt inditum. Ac ſtella quidem ipſa in cœlo & ante & poſt Iouem fuit & eſt. Sed Iupiter ipſe non in eam ſtellam eſt mutatus: ſed in Creta inſula ſepultum cadauer eius. Lactantius certè commemorat, Euemerum quendam, & natales & uitas & mortes & ſepulchra Deorum ordine deſcripſiſſe: qui liber ſit ab Ennio poeta Latinè conuerſus. Quis igitur miretur, paucos numen illorum Deorum, quos & natos & mortuos & ſepultos eſſe ſcirent, nec reſurrexiſſe à mortuis, nec aſcendiſſe in cœlos: quorum utrunque Chriſtum Seruatorem præſtitiſſe ſcimus: uel ſeriò timuiſſe, uel ex animo coluiſſe? Sed (ut ad inſtitutum redeam) hæ ἀποθεώσεις ortæ uideri poſſunt, non tam fortaſſis ex opinione diuinitatis (Nam & Deū hominem fieri, & hominē

Ex hominibus facti dij.

Origo deificationū.

Deũ, credere: fidei eſt nõ rationis opus) quàm uel ex animi grati memoria: uel ex Tyrãnica ſuperbia: uel è uiſorum ſpectrorumq́ʒ ſuperſtitione. Cæterùm in hac parte diſpar conditio animorum attingitur: cuius poſterior pars parùm differt ab Inferis, quos ſuſtulit ſcilicet. Nam ſi plebeiæ (ut ita dicam) animæ humi retinentur (has Plato φιλοσωμάτους ψυχὰς appellat) uel circa ſepulchra, uel in iis, in quibus conſueuere locis, uagantes, uel κατὰ τὴν τοῦ πυθαγόρου εἴτε μετεμψύχωσιν, εἴτε μετενσωμάτωσιν, εἴτε μεταγγισμὸν, in uaria corpora uirorum, mulierum, animantium, ſtirpium tranſeuntes: eiuſmodi ea res eſt, ut ſenſu omni carere homo cordatus malle debeat (optio ſi detur) quàm multis ad iſtum modum ſeculis exagitatus uiuere.

Humi retẽti animi parum ab Inferis differunt.

XLVI. SENTENTIA.

Remíníſcere (quoníam es ínítíatus) quæ tradantur myſterijs.

EXPLICATIO.

Sic oẽs Chriſtianos, initiationis & myſteriorũ ſuorũ, baptiſmi inquã et Euchariſtiæ, crebrò reminiſci decet. Quãtũ aũt ueteres initiis Eleuſiniis tribuerint: in Panegyrico docet Iſocrates cũ ait: ἧς τῆς τελετῆς μετασχόντας, περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος,

Initia Chriſtiana & Eleuſinia.

νος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχειν (Initiatos & de excessu uitæ, & æuo uniuerso spe frui meliore.) Quæ autem tradantur mysterijs, οὐχ οἷόν τ' ἄλλοις ἢ τοῖς μεμυημένοις ἀκούειν (ea nefas est audire quenquam nisi initiatum) ut idem tradit Isocrates. Profanos quidem in luto iacere apud Inferos, persuasum habuisse uidentur: initiatos uerò beatos fore & honoratos. Etiam saltationibus quibusdã fuisse usos Lucianus ex uerbo ἐξορχήσασθαι colligit.

VERBA CICERONIS.

SEd qui nondum ea, quæ multis pôst annis tractari cœpissent, Physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognouerant: rationes & causas rerum nõ tenebant. Visis quibusdã sæpe mouebantur, ijsq; maximè nocturnis, ut uiderentur ij, qui uita excesserant, uiuere.

EXPLICATIO.

Physicorum doctrinam, non esse ueterem sed recentiorem ostendit: cuius est τὸ αἰτιολογεῖν, id est, ueras reddere causas rerum. Sed ea est uel rerum ipsarum obscuritas, uel ingenij humani tarditas, ut & sæpe aberretur, & longè plura ignorentur, quàm sciantur. Et

Etiam parua naturalium rerũ cognitio, magna eſt.

tamen hæc ipſa, quæ utcunq; cognita ſunt, & maximam habent utilitatem, & parem utilitati delectationem: ut uehementer et mirer & deteſter noſtræ adoleſcentiæ faſtidium, perire id ſibi tempus exiſtimantis, quod philoſophiæ impendatur. Illi uerò præclarè ſcilicet tempus irreparabile collocant, qui ſomno, uino, libidinibus, nugis, digladiationibus, uagationibus nocturnis & diurnis ita dediti ſunt, ut nihil minus quàm ſtudia curare uideantur. Sed hi procul dubio graues ſuæ temeritatis pœnas dabunt. Etiamſi enim ad frugẽ meliorem ſe tandem receperint,

Adoleſcentiæ peruerſitas.

Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Pœnæ ſentiũtur: pœnarum cauſæ non cõſiderãtur.

Ac pœnas officij neglecti, flagitiorum & ſcelerum experimur omnes: cauſas expendunt pauci. Moleſta eſt rei familiaris penuria, excruciant morbi corpus; uexant uxoris intemperiæ, angit animum liberûm uel imprõbitas uel infelicitas, atq; id genus alia infinita: Sed heus tu: recordare memoriam pueritiæ ultimam: & uidebis, cruces iſtas (ut theologicè loquar) non tantùm eſſe δοκιμασίας, ſed etiam τιμωρίας. Per quæ enim quiſq; peccauit: per eadem plerunq;, aut conſimilia punitur. Sed omiſsis falſi nominis ſtudioſis, nos Virgilium potius audiamus, cum dicit:

Felix

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atq; metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherōtis auari.

Quibus uersibus significare uidetur: hominē doctum (quo nomine censeri nemo debet causarùm ignarus. οὐδὲν γὰρ ἴσμεν ἄνευ τῆς αἰτίας, aut pre Aristotele) in diuina prouidentia acquiescentem: res humanas despicere, & aequo animo discedere è uita, Inferorum terroribus liberum. Physici autem etsi (ut dixi) rationes & causas rerum scrutantur: ipsi tamen fatentur, se propè uerum, Mathematicos uerum tractare: hoc est, rationes suas in probabili ferè coniectura esse sitas: et Pindarus ait: eos ἀτελῆ καρπὸν δρέπεσθαι τῆς σοφίας (imperfectum carpere fructum sapientiæ.) Quò maior est eorum temeritas & arrogātia, qui ea etiam, quæ aut diuina uirtute, aut magicis præstigijs fiunt, uel ad naturales causas frustra referunt, uel infinitis experimentis certissimorum testium comperta, per summam impudentiam negant.

Docti hominis officium.

Physici multa ignorant.

XLVII. SENTENTIA.

Tantum sibi persuaserant, quantū natura admonente cognouerant.

EXPLICATIO.

Et quid aliud afferre Physici & Philosophi potue-

potuerunt? A natura enim utiq; & ingeniũ & inuestigandi solertiam habuerunt. Semper tamen aliquod discrimen & ingeniorum fuit & studiorum: quæ res Philosophos à uulgo hominum distinxerũt. Pro suo enim quisq; ingenio opinatur, alius alia; quot capita, tot sententiæ. Eadem enim natura & monet & mouet alios aliter. Vnde occasionem sumpsisse uidetur Protagoras, ut diceret, hominem mensuram esse rerum omnium, hoc est, quale quid cuiq; uideretur, tale esse; et Archelaus magister Socratis, qui pronunciauit, honesta & turpia natura esse nulla: sed legibus, institutis, opinionibus teneri omnia. Etsi autem alij Protagoræ dictum ita explicant, ut dicant, significari, hominem natura esse Geometricum: item quòd mensuræ omnium rerũ ex humanis membris sint acceptæ, ut, digitus, palmus, pes, cubitus: tamẽ Plato meæ interpretationi suffragatur: cùm perinde esse dicit: hominem statuere mensuram rerum omnium, ac si idem uel porco uel asino tribueretur. Habent & Medici aliam huius dicti explicationem: qua significari aiunt: hominem, in omni animalium genere esse medium temperie, optimam formationem adeptum. Sed ut ad rem redeam: cognitio ex admonitione

Ingeniorũ & studiorum discrimina.

Homo Protagoræ mẽsura rerũ omniũ.

tione naturæ orta, nihil esse uidetur aliud, quàm αἱ κοιναὶ ἔννοιαι, id est, communes notiones: ἀρχαὶ φυσικαί, id est, principia natura nota: αἱ προλήψεις, anticipationes, hoc est, sententiæ ante ullam doctrinam externam mentibus insitæ. Quæ generalia pronunciata, quamuis in omnibus non monstrosis hominibus eadem sint: tamen quod ab alijs aliter (ut Epictetus eruditè disputat) ad species & indiuidua accommodantur: uariæ & cõtrariæ & sæpe absurdæ inde existunt opiniones: quæ Academicis dubitationibus occasionem præbuerunt.

XLVIII. SENTENTIA.

Visis quibusdam sæpe mouebantur: hísq; maximè nocturnis.

EXPLICATIO.

Esse uisa diuinitus oblata, testantur sacræ literæ, nec somniantibus tantùm, sed uigilantibus etiam. Esse & spectra diabolica, Dionis, Caßij, Bruti, anachoretarum etiam historiæ docent. Nec nostræ ætati exempla desunt: Vitebergæ nobili cuidam Volmario, crepusculo ad cœnã descensuro, apparuit sodalis Spechtij simulacrum: quo ille perterritus, de scalis desiluit. Constabat enim illum in itinere spoliatum

tum & interfectum esse. Narrauit & Castalio, nutricem infantis sui, iureiurando sibi cõfirmasse, matrem pueri defunctam, uisam à se infanti mammam præbere. Quàm mira pro ueris de Lochauiensi uenatu Saxoniæ ducis Mauricij post obitum, commemorantur? Aegros autem & melancholicos quadã portenta sibi fingere, experti sunt medici. Inter hæc itaq; discernere difficile est. Nam angelus tenebrarũ in angelum lucis mutare se potest. Hæc enim uisa si sunt uigilantium: uel præstigijs dæmonum potius tribui possunt, humanam stulticiam & imbecillitatem ludificantium, quàm ipsis defunctorum animis (etsi hac de re doctißimorum hominum diuersæ contrariaq; sunt sententiæ) uel uehementi desiderio, & intentæ cogitationi & recordationi mortuorum. Sin dormientium: quid est somnijs inanius, monstrosius, fallacius? Tutißimum autem est, niti certo & Visa discernẽdi ratio. *perspicuo uerbo Dei: nec admittere quicquam, quod aut ulli Christianæ religionis articulo repugnat, aut nouum aliquod dogma constituit, Apostolicæ & primitiuæ Ecclesiæ ignotum.* HIC MVRVS AHENEVS ESTO. SI FRACTVS ILLABATVR ORBIS: IMPAVIDVM

FE-

FERIENT RVINAE.

Vt porrò. *) Si ita legitur, est ἀνανταπόδοτον (id est, πρότασις ἄνευ ἀποδόσεως) alij legunt,* at porrò: *quæ duæ particulæ usitatè non coniunguntur. Locus hic omnino suspectus est, cùm propter salebrosam uerborum collocationem, Ciceroni minus frequentem, tum ob connexionem sententiarum minus rotundam. Fortaßis autem in causa dubia & difficili, de industria caliginem obduxit, & tenebras offudit lectori: id quod solere Demosthenem facere notauit Hermogenes. Etsi autem ego nil mutare ausim: facilius tamen intelligetur locus hic, uocibus quibusdam mutatis, hoc modo:* id porrò firmissimum afferri uidetur, &c. *& postea: Etsi* autem multi de Dijs prauè sentiunt, &c. *ut totus locus sic legatur:* Id porrò firmissimum afferri uidetur, cur Deos esse credamus: quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorũ opinio. Etsi autem multi de Dijs praua sentiunt (id enim uitioso more effici solet) omnes tamen, esse uim & naturam diuinam arbitrantur. Locus suspectus.

Atq; hæc in uerbis. Ad rem ipsam autem

quod

An omnes gentes de Diis & immortalitate consentiant.

quod attinet, ea tali syllogismo comprehendi potest, similitudine tamen illustrato: Omni in re consensio gentium omnium, lex naturæ (id est, ueritas immutabilis) putanda est. At ut esse Deos, ita etiam hominum animos immortales esse, omnes gentes consentiunt. Ergo sententia, qua & Dij statuuntur, & animorum immortalitas creditur, est lex naturæ, & immutabilis ueritas putanda. Minor propositio uocatur in controuersiam, tali obiectione: Multi perperam de Dijs sentiunt. Ergo opinio de Dijs non est lex naturæ. Cicero respondet, primùm translatione causæ. Naturam non fallere, sed deprauari importunitate hominum. (Sed & in hoc quæri possit, unde sit illa importunitas? Neque enim habitus existere potest, nisi in natura idonea ad illũ habitum: cuiusmodi est uolatus auium, natatio piscium, & id genus alia.) Deinde falsas istas opiniones negat tollere naturam Deorum: cùm nihil aliud concludant, quàm quales Dij sint, à nonnullis ignorari. Aliud autem est, negare omnino ullos esse Deos: aliud, eos esse tales aut tales negare. Romæ præcipuè colebatur Iupiter Capitolinus: Athenis Minerua: Eleusine Ceres: Argis Iuno: Delphis Apollo: Bacchus Thebis: in Cypro Venus: Lampsaci Priapus:

Aliud est Deos tollere: aliud, perperam colere.

Priapus: apud Aegyptios Apis: Palæstini Baalem: Solem Persæ: Martem Thraces: Teutatē Germani ueteres: Lemnij Vulcanum: Phryges Cybelen: Siculi Proserpinam. Sic Ouidius 3 Fastorum.

Pallada Cecropidæ, Minoïa Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylea colit:
Iunonem Sparte, Pelopeïadesq́; Mycenæ,
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio uenerādus erat, q̄a p̄sidet armis,
Arma feræ genti remq́; decusq́; dabant.

Calecutij diabolū adorant: Indi ἀνθρωποφάγοι dæmones Zemes nescio quos. Infinita deniq; est idolorum uarietas: & tamen in hac uarietate uno consensu statuunt, esse numen quoddam, cuius potentia & benignitate rebus humanis cōsulatur. Neq; fortasse tā Deos multos, sapiētiores uiri, quàm uaria Dei munera, sub ista nominum uarietate & multitudine intelligi uoluerunt: nec tamen populares errores, periculi metu, coarguerunt. Nō pugnant igitur hæ propositiones: sunt Dij: & aliqui de Dijs prauè sentiunt: q nisi Deos esse sentirent: in natura eorū errare non possent. Sic Socrates in sua defensiōe facetè exagitat aduersarios, qui se criminentur, dæmonas tollere, cùm dæmonia fateatur, q sint utiq; ἡμί- Deorū nomine diuinæ potestates intellectæ.

θεοὶ, id est, Deorum ex parte filij. Quod perinde esse dicit, ac si neget ὄνυς esse, cùm ἡμιόνυς esse fateretur. Hæc Græcè commodius dicuntur quàm Latinè. Dij & semidei usitata nomina sunt: semiasini pro mulis non item. Cicero tamen ipse, Academica licentia in libris de natura Deorum dicit: posse fieri, ut gentes aliquæ sint, quæ nullos norint Deos. Calecutanis quidem diabolus pro Deo est: ut olim Aegyptijs uaria genera animantium & monstra ridicula.

XLIX. SENTENTIA.

Etsi multi de Dijs praua sentiunt (id enim uitioso more effici solet) omnes tamen esse uim & naturam diuinam arbitrantur.

EXPLICATIO.

Prauitatem uel deprauationem istam religionis, Chamo à patre Noa proscripto, & diris obstricto, Iosephus acceptam refert. Sed uerus illius autor est, Dei & humani generis hostis diabolus, & humani ingenij cæcitas ac petulãtia, quiduis sibi temerè cõminiscentis.

L. SENTENTIA.

Nec uerò id (opinionem de dijs) collocutio hominum aut consensus efficit:

non

non institutis opinio est confirmata, nō legibus.

EXPLICATIO.

Sequitur alia obiectio: opinio de Dijs, non est naturalis, sed sapientum quorundam cōmentis inducta: ut ab occultis facinoribus, quæ legibus uindicari non possent, diuinitus infligendi supplicij metu improbi deterrerentur. Nam quæ Cicero hîc περικαταληπτικῶς negat: ea apud Euripidem disputat Ixion, quem citat Plutarchus. Versuum autem illorum qui alicubi corrupti sunt, hæc ferè sententia est.

Euripidis Ixion religiones ait esse cōmenticias.

Tēpus fuit, cùm pturbata esset hominū uita
*Legumq; expers, & uirium ministra.**
Postea iniquitas soluta est introductiōe legū.
Sed cùm lex manifestas iniurias
Cohercere posset: clàm tamen multi iniurias facerēt:
Tum uir sapiens quidā excogitauit, oportere
Excæcare ueritatem falsa oratione:
Et persuadere hominibus, esse genium
Aeterna florentem uita: qui ista
Audiat omnia & uideat, & ualde curet.

Sed eiusdem argumenti paulò plures (licet & ipsi alicubi mutili uersus) leguntur in Sexto Empirico, Critiæ cuiusdam nomine, qui sic habent:

—ministra

* *Cum nullum præmium neq; bonis esset:*
Neq; etiam suppliciũ improbis irrogaretur.
Postea idẽ in fine laudat hanc imposturã, hoc modo: —Hæc uerba cùm faceret:
Doctrinæ suauissimæ fuit autor,
Falsa, cùm occultasset ueritatem, oratione.
Sed & Græcos subijciamus, propter utriusq; linguæ studiosos: qui sic habent:

χρόνος ἦν, ἄτακτος ἦν ὅτ' ἀνθρώπων βίος,
Νόμων τ' ἄπειρος, ἰσχύος θ' ὑπηρέτης.
Ὅτ' οὐδὲν ἄεθλον οὔτε τοῖς ἐσθλοῖσιν ἦν:
Οὔτ' αὖ κόλασμα τοῖς κακοῖς ἐγίγνετο,
Εἶτ' ἀνομί' ἐλύθη εἰσαγωγῇ τῶν νόμων.
Ἐπεὶ δ' ὁ νόμος τὰ φανερὰ τῶν ἀδικημάτων
Εἴργειν ἐδύνατο: κρύφα δ' οἱ πολλοὶ ἠδίκουν:
Τότ' ἀνὴρ σοφός τις ἐπενόησεν, ὡς δέοι
Τυφλῶσαι τὴν ἀλήθειαν ψευδεῖ λόγῳ
Καὶ πεῖσαι τοὺς ἀνθρώπους, ὡς δαίμων ἐστ'
Ἀφθίτῳ θάλλων ἐν βίῳ: ὃς ταῦτά γε
Ἀκούει πάντα, καὶ βλέπει, φρονεῖ τ' ἄγαν.
—Τούσδε τοὺς λόγους λέγων.
Διδαγμάτων ἥδιστον εἰσηγήσατο
Ψευδεῖ καλύψας τὴν ἀλήθειαν λόγῳ.

Sed hoc ut simpliciter affirmatur ab aduersario, καὶ ἀναιτιολογήτως: *sic consimiliter à Cicerone repudiatur. Et quidem ineptissimè,*

quisquis

quisquis ille fuit, siue Sisyphus, siue Critias, siue Ixion, siue Euripides, ratiocinatur, religionem esse cõmenticiam, quasi Deus uel negligat genus humanum: uel laboriosa prouidentia curet: uel intimos animorum recessus absq; ullo negocio non perspiciat? Consimiles nugas affert & Liuius libro 1. ab V. C. Numa Pompilius (inquit) ne luxuriarent ocio animi: quos hostium metus, disciplinaq; militaris cõtinuerat: omnium primùm rem ad multitudinem imperitam, & illis temporibus rudem, efficacissimã, DEORVM METVM, *iniiciendum ratus est. Qui cùm descendere ad animos sine aliquo commento non posset: simulat sibi cum dea Egeria cõgressus nocturnos esse: eius se monitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra instituere. Eiusdem generis sunt ea etiã, quæ Diodorus Siculus de Minoë, Zaleuco, Mose, Lycurgo, Zamolxide, & aliis legumlatoribus commemorat. Neq; uerò propter profanorum hominum commenta, repudiãda sunt diuina oracula: neq; Romani exustis Numæ de sapientia libris (qui haud dubiè nihil nisi aut Epicuream impietatem, aut Necromanticas præstigias continuerunt) ueram etiam religionem, & sapientiam diuinã concremarunt, hærentem in animis omnium*

Impia sentẽtia, diuinã tollens prouidentiam.

sanorum & sobriorum hominum, tam Epicuro quàm Diabolo inuitis. Ac ipse Euripides, cùm ob impiam illam sententiam, à quibusdam argueretur: monuit, ut Tragœdiæ euentum expectarent, dum Ixion rotæ affixus, apud Inferos perpetuò cruciaretur. Sed tamen potuerunt quædam opiniones & cerimoniæ ab alia gente ad aliam permanare, ut olim circumcisio. Et religio Christiana temporibus nostris etiã ad ἀνθρωποφάγους Indos propagata. Potuerunt & apud singulas gentes tales legumlatores existere, qui sancirent certos cultus certorum Deorum. Principia tamen naturæ sunt omnium firmissima: & cœli terræq́ conspectus, omnes sanos homines (τοὺς ἀναθρῶντας ἃ ὀπώπασιν.) in eam cogitationem adducat necesse est, ut naturam aliquam præpotentem esse statuant, tantæ & tam sapienter constitutæ machinæ autorem: quam naturam, Dei nomine omnes appellare solent.

Religiões & opiniones ab aliis gentibus ad alias propagatæ.

Naturæ de Deo iudiciũ immutabile.

LI. SENTENTIA.

Omni autem in re cõsensio omnium gentium, lex Naturæ putanda est.

EXPLICATIO.

Alibi ait, opinionum commenta delere diem,

diem, naturæ iudicia confirmare. Huic autem propositioni attexit assumptionem in ijs quæ sequuntur. Permanere animos arbitramur consensu nationum omnium. Hinc conclusio per se patet: ergo irrefragabilis ueritas est, animos esse immortales. Sed eâdem ista consensione possint etiam bella & oppressio imbecilliorum, & infinita alia flagitia & scelera defendi pro rectè factis. Sunt præterea tam uaria diuersarum gentium, non modò instituta & cerimoniæ: sed etiam opiniones tam discrepantes, ut, quod apud alias honestissimum habetur, idem aliæ detestentur. Vnde illud est Archelai, magistri Socratis: Nihil natura neque honestum esse, neque turpe: sed opinionibus, legibus, institutis, teneri omnia. Quarum rerum magnam copiam suppeditabunt, nō modò ueteres Geographi: sed etiam uarium illud opus, quod NOVVS ORBIS *inscribitur, & alij libelli, de Indis & Peruuia postea editi.*

Consensio gentium multa absurda complectitur.

Dissensiones gentiū.

LII. SENTENTIA.

Quis est igitur, qui suorum mortem primùm non eò lugeat, quòd eos orbatos uitæ commodis arbitretur?

EXPLICATIO.

Propositio est: Sicut Deos esse, ita etiam animos esse immortales, omnes gentes consentiunt. Absoluto igitur loco de Dijs, nunc ad alterum de immortalitate animorum accedit: atque ex hominum actionibus probare instituit, hoc ita se habere. Sed (si liberè quod sentio dicendum est) hæc gentium autoritas & consensio in luctu, parum consentit cum instituto Ciceronis, ostendere conantis, in morte nihil esse mali. Nam malũ certè quidem est, mortuos sentire, se orbatos esse uitæ commodis. Nihil enim tam miserabile, quàm è fortunato miser, ut ipse ait in partitionibus oratorijs. Appendicem ID'QVE SENTIRE, *Manutij codex non habet. Sed rectè uidetur addi, & à plerisq; subijcitur uerbo* arbitramur: *cùm suprà ostenderit, nihil sentientis nullam in partem quicquam interesse. Alioqui uitæ commodis orbatos esse mortuos, quis doleret? Cùm autem omnes populi mortuos lugeant: re ipsa declarant, se mortuos miseros iudicare: & quia miseros, etiam sentire. Nec enim lapis aut stipes miser est, siue in cloacã cõijciatur, siue cremetur. Idem nihilo felicior fuerit, etiãsi in fastigio ædificij collocetur, aut in Iouem optimũ maximum transformetur.*

Luctus cũ immortalitatis opinione parum consentit.

Si mortui se uitę cõmodis orbatos sentiunt, miseri sunt.

Neutrum

Neutrum enim sentit ipse: & qui eo nomine beatum illum putant, saxo & stipite nō sunt multò sapientiores.

LIII. SENTENTIA.

Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris. Nemo enim mœret suo incommodo: dolent fortasse & anguntur. sed illa lugubris lamentatio, fletusq; mœrens, ex eo est, quòd eum quem dileximus, uitæ commodis priuatum arbitramur, idq; sentire.

EXPLICATIO.

Dolores, qui non ex uero sensu, certaq; ratione existunt: comperta opinionis uanitate, statim euanescunt: ut, si domus tuæ conflagratione doleas: quam mox saluam inuiolatámque conspicias. Sed est alia ratio ueri doloris, siue is animi sit, siue corporis: qui phaleratis uerbis non leuatur. Obseruanda hîc est uerborum emphasis. Lugere, mœrere, luctus, lamentatio lugubris, fletus mœrens: quæ referuntur à Cicerone ad eum dolorem, qui ex obitu aliorum capitur. Dolere generale est, siue ad corpus siue ad animum pertineat: sed uidetur hîc DOLERE *ad mala uel præterita uel præsentia:* ANGI

Dolor inanibus uerbis non leuatur.

Discrimen doloris & luctus.

uerò ad impendentia & futura referri.

Sensum tribui mortuis à lugentibus.

Idq; sentire.) *Appendix hæc (ut suprà dixi) à Manutio est omissa: fortasse quòd eâdem, mortem esse malum, non minus probari possit, quàm animos esse immortales. Sed rectè uidetur addi, ne Cicero secū ipse pugnet: qui contendit hactenus, non sentienti neque bonum neq; malum quicquam esse posse: Nihil autem sentire mortuos. Idq; ex Epicurea hypothesi: qua omissa, nunc immortalitatem tractat.*

LV. SENTENTIA.

Atque hæc ita sentimus, natura duce: nulla ratione, nullaq; doctrina.

EXPLICATIO.

Ea ipsa ratio atq; doctrina, nisi aut ex optimis Naturæ fontibus ducatur, aut diuina patefactione tradatur: commenticia & falsa est. Certitudinis enim causas esse, principia natura nota, demonstrationes inde cōfectas, & consentientem experientiam: inter omnes philosophos constat. Sacrarum autem literarum autoritas solis Christianis fidem facit, Dei spiritu illustratis. Nam & antiquitas & oracula & miracula, & consensio doctrinæ, & permansio ecclesiæ, & martyria, & id genus alia, uarijs calumnijs impiorum sophistarum

Causę certitudinis.

Biblijs nō omnes assentiūtur.

strum eludi & negari, atq; aduersarijs argumentis oppugnari solent.

LVI. SENTENTIA.

Maximum uerò argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorũ tacitam iudicare (hoc est, persuasionem de immortalitate animorũ à natura insitam esse hominibus, non aliqua doctrina traditam) quòd omnibus curæ sunt, & maximæ quidem, quæ post mortem futura sunt.

EXPLICATIO.

Sunt sanè multi, & ij quidem nequißimi homines ac perditißimi, ut ait Isocrates in oratione de pace, qui tantùm ætatis suæ tempus curent: ac ne id quidem magnopere. Cæterùm optimi ac sapientißimi quiq;, ut immortalitatem animorum non statuant: neq; post obitum quicquam ad se pertinere existimẽt: eo tamen mouẽtur, quòd posteris suis, & Reipublicæ, & toti generi humano, quàm optimè consultùm cupiunt. Nam φιλαυτία, *suis omnia commodis metiens, non magnorum uirorum est, sed leuißimæ plebeculæ, & hominum Epicureorum. Lælio autem Ciceronis non minori curæ est, qualis Respublica post suam mortem futura sit, quàm qualis nunc*

Posteritatis curatio nõ satis probat immortalitatem.

Nero portentum naturæ, idḗq; κοσμοκράτωρ.

nunc ſit. Sed Nero, portentum, non in extremas inſulas, ſed in Pyriphlegetontem deportandum, exclamauit:

Ἐμοῦ καὶ ζῶντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

(uel me uiuente terra flagret ignibus)

Atque incenſa urbe Roma, ſuam τῆς Τροίας ἅλωσιν *cecinit: paulò pòſt aliam cantaturus, cùm palo in fuga transfixus, amicis opem laturis dixit:* SERO: & QVANTVS ARTIFEX PEREO? *Fretus enim artis muſicæ præſtantia, uoluit in Aegyptum profugere: cùm Aſtrologus quidam ei prædixiſſet: fore, ut imperio excideret: quo ille audito, dixit,* τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει.

LVII. SENTENTIA.

(Agricola) ſerit arbores, quæ alteri ſeculo proſint (ut ait Statius in Synephebis) quid ſpectans, niſi etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere?

EXPLICATIO.

Sic & Virgilius:

Inſere Mopſe pyros, carpēt tua poma nepotes.

A maioribus accepta, prodenda poſteris.

Sed illud Catoniani agricolæ probabilius uidetur: qui, quamuis ſenex, nō dubitat, quærenti cui ſerat arbores, quæ alteri ſeculo proſint? reſpondere: diis immortalibus: qui ſe nō

acci-

accipere modò hæc à maioribus uoluerint, ſed etiam poſteris prodere (id eſt, propagare ad poſteros.) Hoc multò aptius uidetur, quàm putare, ſua cauſa laborare illum: quaſi uerò pomis aut ficubus ueſcantur animi ſoluti corporibus, aut aſpectu illarũ arborum tantopere afficiantur?

LVIII. SENTENTIA.

Ergo arbores ſeret diligens agricola, quarum aſpiciet baccam ipſe nũquam? Vir magnus, leges, inſtituta, Rempublicam * non ſeret? Viri magni conſerunt rẽpublicã. * conſeret.

EXPLICATIO.

Cicero (ut uir fuit (etiam Auguſti Cæſaris inimici teſtimonio) & eloquens, & patriæ amantiſſimus) quaslibet occaſiones adhortandi ad Reipublicæ conſeruationem & amplificationem, cupidè arripere ſolet. Magni porrò uiri dicuntur, non craſſi & proceri, ſed uirtute, ſapientia, eloquentia, dignitate, potentia præſtantes. Ac optimæ ſanè reſpublicæ ſunt, quæ quam pauciſſimas habent & legum, & inſtitutorũ mutationes: cuiuſmodi fuiſſe Locrenſium à Demoſthene perhibetur: & præclarè Virgilius:

Moribus antiquis ſtat res Romana uiriſq;.

Sed

Sed tamen (ut ſunt res humanæ incertæ, & magna exiſtit temporum uarietas) nunquã ferè deeſt magiſtratui leges, inſtituta, rempublicam conſerendi nõ tam occaſio, quàm neceſsitas.

LIX. SENTENTIA.

Quid procreatio liberûm? quid propagatio nominis? quid adoptiones filiorum? quid teſtamẽtorum diligentia? quid ipſa ſepulchrorum monumenta? quid elogia ſignificant? niſi nos futura etiam cogitare?

EXPLICATIO.

Sunt & hæc εἰκότα, id eſt, uaga & incerta ſigna, non unius rei alicuius. Horum enim omnium cauſa eſſe poteſt, partim φιλαυτία, quòd ipſa natura omne animal ſibyþſi primùm conciliat: unde omnes ſibi melius eſſe malunt, quàm alteri: & ſibi quiſq; proximus eſt: partim φιλοστοργία, id eſt, charitas, quæ ſe & ad maiores, & æquales, & minores porrigit: partim ea delectatio, quam hoc tempore homo dum uiuit, ex commemoratione poſteritatis percipit. Ad filios autem quod attinet:

tinet: sic quodammodo immortalitatem consequi student per illos, desperatam in semetipsis. Indiuidua enim omnia, ut Plato & Socrates, breui occidunt: species, ut homo & philosophus, tam diu permanent, quàm diu hæc natura rerum duratura est. Viuunt itaque parentes defuncti in liberis, quos superstites relinquunt: & rem familiarem ijsdem tradere malunt, quàm alienis: & Plato hoc argumento ad suscipiendam sobolem adhortatur, ut suo quisque loco Deo cultorem relinquat. Quod si plerique parentes considerarent: maior esset in docenda religione diligentia. Sed quamuis Plato ipse & cælebs & orbus decesserit: plures tamen Dei sui cultores, quàm quisquam uel numerosissima sobole præditus. Quæ ratio meam quoque orbitatem consolaretur: nisi uiderem paucissimos fidelissimis meis monitis obtemperare. Nam plerique Academicam nacti licentiam, ita degenerant, ut eorum me pigeat, tædeat, pœniteat, pudeat. Sed isti haud dubiè pœnas aliquando dabunt, serò & frustra mei futuri memores.

Parentes uiuunt in liberis.

LX. SENTENTIA.

Quid illud? nũ dubitas, quin specimẽ

naturæ

naturæ capi debeat ex optima quaque natura.

EXPLICATIO.

Sic alibi ſcribit. Si de equi natura diſſerendum ſit: adducendum in medium, non hirtum & ſtrigoſum aliquem cãterium, ſed Cyllaron & quorum Graÿ meminere poetæ. Eiuſdem enim ſpeciei indiuidua multas habent & magnas diſſimilitudines: id quod nõ in hominibus tantùm, ſed etiam in omni & animãtium & ſtirpium genere apparet: atq; adeò (ut & D. Paulus ait, & oculis ipſi cernimus) ſtella à ſtella differt claritate: & tota natura rerum uarietate gaudet. Monet igitur Cicero, cùm de conſenſu generis humani uerbã fiunt, non καθάρματα *quædam* καὶ περιψήματα, *& quaſi cloacã & ſentinam humani generis, hoc eſt, homines ſtupidos, flagitioſos, ſceleratos: qui (ut poeta ait) inguinis & capitis diſcrimina neſciunt, aut certè parùm curant: quorum cantilena eſt: ubi fuero mortuus, ero mortuus: ſed uiros, uirtute et ſapientia præſtantes, conſiderandos eſſe. Et tamen inter hos ipſos quanta eſt multis grauiſſimis de rebus diſſenſio? Ad legem igitur et ad teſtimonium: hoc eſt, in iudicio rerum, ad uitam æternam pertinentium, nõ ex huma-*

Varietas animantiũ & ſtirpiũ.

Vulgi opiniones aſpernandæ.

ma-

180

mani ingenij uagis, infirmis, & fallacibus ratiunculis: sed ex patefacto Dei uerbo, est iudicandum: eiq; tanquam firmissimis demonstrationibus, firma atque immota fide assentiendum.

LXI. SENTENTIA.

Quę est igitur melior in hominum genere natura, quàm eorum, qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur? Y. Heroicum est, prodesse cunctis, obesse nemini.

EXPLICATIO.

Heroici quidem hi uiri, uulgoq; hominũ longè antecellentes, officio funguntur erga genus humanum: quorum

Hic scopus unus erit, cunctis prodesse: nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

Etsi qui in magistratu constituti sunt, non tolerare (quod priuati officij & humanitatis ac patientiæ est, quæ à Græcis significantius ἀνεξικακία *dicitur,* παρὰ τὸ ἀνέχεσθαι κακῶν ἀνθρώπων τε καὶ πραγμάτων *) sed tollere è medio malos, aut certè ita cohercere debent, ne noceant bonis. Rectè enim illud dicitur: qui parcere uult malis, perdere uult bonos. Sed hæc non satis sunt, quamuis præclara (Nam ἡ φιλανθρωπία καὶ φιλαδελφία,* In magistratu & patientia & seueritas requiritur.

m φία,

φία, etiam in ſacris literis, & multas & eximias habent commendationes) ſed oportet θεογνωσίαν καὶ θεοσέβειαν accedere, ac potius antecedere. Homo enim primùm autorem Deum ſuſpicere: deinde alios rationis & orationis ſocietate ſecum coniunctos reſpicere debet. Vulgus autem hominum eſt φίλαυτον καὶ πλεονεκτικὸν, καὶ φιλήδονον: & Epicureo more ſuis commodis & uoluptatibus metitur omnia: parùm curans, quid fiat de cæteris: modò ſuo ſuorumq́; uentri ſit proſpectum.

LXII. SENTENTIA.

Immortalitatis opinio, id eſt, gloria, paratur beneficiis.

Abijt ad Deos Hercules (id eſt, famâ & opinione hominum relatus eſt in numerum Deorum) nũquam abijſſet: niſi, cùm inter homines eſſet, eam ſibi uiam muniuiſſet.

EXPLICATIO.

Hoc exemplo Cicero tacitè ad uirtutem hortatur & beneficentiam, argumento ab immortali gloria ducto. Eſt hæc πολιτικὴ θεολογία: alia μυθικὴ, poetarum: alia ἠθικὴ καὶ φυσικὴ, philoſophorum: ſed horum commenta inter ſeſe permiſcentur. Græcorum ἀποθεώσεις Romani in ſuo Quirino, Iulio.

Augusto, Claudio, aliisq; pluribus Cæsaribus sunt imitati: quorum postremus, boleto deuorato, immortalitatem est consecutus: ut Glaucus quidam herba nescio qua degustata. Vnde perfacetè Nero τοὺς μύκητας βρῶμα θεῶν εἶναι dixit, & Caracalla fratrem Getam maluit esse diuum quàm uiuum. Eadem κακοζηλία uidetur & Christianis (qui nulla re profanis hominibus inferiores esse uoluerunt) superstitionum occasionem præbuisse: ut & Martyres & alij, qui sanctè uixissent, in diuorum numerum referrentur. Hinc & Tragœdiæ Christianæ, et templorum cerimoniæ quædam, nimis importunæ, originem traxerunt.

LXIII. SENTENTIA.

Vetera iam ista sunt, & religione omnium consecrata.

EXPLICATIO.

Vsurpari potest de rebus autoritate confirmatis, neque temerè in controuersiā reuocandis. Tanta enim est uetustatis apud plerosq; autoritas: ut errori prauæq; consuetudini ueritas naturaq; ipsa plerunque cedere cogatur. Quòd si bonarum rerū consuetudo pessima est: quòd ex animo fieri desinūt: sicut ple- Bonarū rerum cōsuetudo pessima.

rique preces murmurant, non quòd multùm de Deo cogitent: sed quia ita moris est: quid de prauis & perniciosis institutis atque moribus est sentiendum?

LXIIII. SENTENTIA.

II. Interfectorum ob rempublicam gloriola.

Quid in hac republica tot tantosque uiros, ob Rempublicam interfectos, cogitasse arbitramur? iisdem' ne ut finibus nomen suum, quibus uita terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem.

EXPLICATIO.

Non loquitur hic de mercenariis militibus, eorumque similibus hominibus: qui instar porcorum ociosè ad tempus saginati, ne iugulari quidem, instar porcorum, recusant: sed de iis, qui ultrò se morti offerunt, nulla temeritate impulsi, nulla indigentia, nulla necessitate priuata coacti: ut Decij apud Romanos: ut Codrus apud Athenienses: ut Menæceus apud Thebanos: ut Macaria pro Herculana familia. Sed & hic uidetur delitescere σόφισμα παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. Huius enim rei etiam aliæ causæ esse possunt: ut impetus naturæ, nullum periculum reformi-

Mortes oppetitæ pro patria, uarias habere causas potuerũt.

formidans cuique dulce & decorum est pro patria mori; ut spes gloriæ, apud plerosque etiam incolumitatis: ut ignominiæ, & ad se nihilominus redundaturi periculi metus, si secus fecerint: ut cupiditas famæ & emolumentorum, quæ ad totam familiam reditura sint.

LXV. SENTENTIA.

Licuit esse ocioso Themistocli: licuit Epaminondæ: licuit (ne & uetera & externa quæram) mihi. Sed nescio quo modo inhæret in mentibus, quasi seculorum quoddam augurium futurorũ: idque in maximis ingeniis, altissimisque animis & existit maximè, & apparet facilimè. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis uiueret?

Negociũ ocio, propter gloriam, à nonnullis anteponitur.

EXPLICATIO.

Primo officiorum. Quis est (inquit) qui periculis aditis, laboribusque susceptis, nõ quasi mercedem desideret gloriam? Hoc si ita est: & si à maximis sapientissimisque uiris ita fit: difficile est dogma Stoicorum, atque etiam Peripateticorum consistere: ὅτι τὸ καλὸν

Si gloria potius spectatur, quã officium: dogmata philosophorũ concidunt.

δι' αὑτὸ αἱρετόν. (Honeſtum propter ſemetipſum expetendum eſſe.) Nam certè natura humana, uti nunc eſt (quicquid dicant aut agant philoſophi) requiem à labore deſiderat: fructumq́; aliquem laborum ſuorum: Et inter ipſos Stoicos, quamuis ſuperbè negent (ne impudenter dicam) dolorem eſſe malum, uoluptatem eſſe bonum: nemo tamen unquam honeſtam oblectationem contempſit: nemo non à cruciatibus corporis & doloribus animi diuturnis ac perpetuis abhorruit. Qui ſi intolerabiles ſint: ipſi Stoici necem ſibi conſciſcere ſapientem iubent. Vnde apparet, quàm hæc inter ſe conſentiant: dolor non eſt malum: & propter dolorem ſapiens mortem ſibi conſciſcere & poteſt & debet. *Quid enim aliud eſt illud Epicteti: ὑποκεῖται ἡ θύρα; Sed hic mihi fortaſſe quiſpiam φιλόσοφος reſpondebit: ideò fieri, quòd mors non ſit malum, ſed ἀποπροηγμένον. Eſto. Dolor igitur maius eſt ἀποπροηγμένον quàm mors. Sunt ergo τὰ προηγμένα καὶ ἀποπροηγμένα inæqualia: & ex conſequenti, etiam τὰ ἁμαρτήματα καὶ κατορθώματα. Chriſtiani quidem Anachoretæ & Martyres, tametſi tolerantia ſua, diuinitus adiuti & corroborati, omnes naturæ hu-*

Repugnantia Stoicorum.

Etiam ſancti cœleſti præmio [illegible]ĕcur.

humanæ uires superarũt: tamen diuini præmij spe, omnes ærumnas, omnes cruciatus sunt perpeßi: cùm quidam dicerent, unius malæ horulæ esse molestiam. D. item Paulus, apertè pronunciat: se, Apostolos, piosq́ homines omnium mortalium fore miserrimos, si nulla melior uita restaret post corporis interitum.

LXVI. SENTENTIA.

Loquor de principibus. Quid poetę? nónne post mortem nobilitari uolunt? Vnde ergo illud? IIII. Poetarũ & opificum gloriola.

*Aspicite, ô ciues, senis Ennij * imaginis urnã* * imaginĩ formam.
Hic uestrûm pãxit maxima facta patrũ.

Mercedem gloriæ flagitat ab ijs, quorũ patres affecerat gloria. Idemq́:

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? uolito uiuu' per ora uirûm.

Sed quid poetas? opifices etiam post mortem nobilitari uolunt? Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cùm inscribere non liceret?

EXPLICATIO.

Fortasse uiui etiam fruuntur sua gloriola, eamq́ cum futura contexunt.

LXVII. SENTENTIA.

Quid nostri philosophi? nónne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?

EXPLICATIO.

Arguit Cicero, ut & Isocrates in oratione sophistica, hoc loco τὰς ἐναντιώσεις τῶν ἔργων καὶ τῶν λόγων. Sed possent illi fortasse translatione uti: libros sine autorũ nominib. suspectos esse: & aliquãdo famosos libellos haberi. Hactenus absolutũ est primũ argumentũ de immortalitate animorũ, ab autoritate seu testimonio humano ductum, quæ autoritas inductione probatur, hoc modo: 1. Romani, maiores nostri (hos propter præstantiam seorsim nominat) 2. Nationes omnes (hic qa odiosa fuisset enumeratio, & res non ualde controuersa est: prolixitatem uitat) 3. Heroici uiri. 4. Poetæ. 5. opifices. 6. philosophi. 7. Atque adeò agricolæ spem habent immortalitatis. Si qui uerò (hæc ἀνασκευαστικὰ sunt) aliter sentiunt: ij homines sunt, non re sed nomine. Ergo animi hominum sunt immortales. Nam sententia ista est lex naturæ, diuinitus insculpta mentibus hominum. Ergo uera & certa. Sed duplex statui potest

Primum argumētum immortalitatis, autoritate humana constans, per inductionem.

potest immortalitas: una, ἡ ἀείμνηστος δόξα (immortalis gloria) quam tamen angustam & breuem esse, uerè probat Cicero in somnio Scipionis: & hac Ethnicis concedi potest: nec aliam in Panathenaico expectat Isocrates, cuius hæc uerba sunt: πλουτήσας τὸν βίον, δόξης μεθέξειν ἀθανασίας, οὐ τῆς τοῖς θεοῖς παρούσης· ἀλλὰ τῆς παρὰ τοῖς ἐπιγιγνομένοις περὶ τῶν διενεγκόντων ἐπί τινι τῶν καλῶν ἔργων, μνήμην ἐμποιούσης. *Quibus uerbis Deorum immortalitas à defunctorum memoria non obscurè distinguitur. Altera beata immortalitas: quæ ijs est proposita, qui diuinitus in ueteri & nouo Testamento, & (ut quidā sentiunt) Christi apud Inferos concione, ueritatem sunt edocti: fore scilicet, ut semen mulieris conculcet caput serpentis, id est, diaboli: & abolita morte, uitam æternam restituat. Id semen se Christum esse, asseuerasse: & salutem omnibus obtulisse. Profanos autem homines, quamuis doctos, & in speciem bonos,* ἀμφισβητήσιμον ὄναρ *potius iactasse uerbis magnificis, quàm reuera ita sensisse, certóque persuasum habuisse, probabile est: imò è Ciceronis ipsius & dubitationibus in philosophia, & affirmationibus in epistolis, planè indicatur.*

LXVIII. SENTENTIA.

Ex infirmis propositionibus nihil firmi concluditur.

Quòd si omnium consensus naturæ uox est, omnesque qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat qui è uita cesserunt: nobis quoque idem existimandum est. Et si, quorum aut ingenio aut uirtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturæ uim maximè: uerisimile est, cùm optimus quisque maximè posteritati seruiat, esse aliquid, cuius is post mortẽ sensum sit habiturus.

EXPLICATIO.

Epilogus est antegressis propositionibus similis. Nam si & consensus iste gentium labascit: &, si ea, quæ ab immortalitatis studio proficisci fingit Cicero, causas alias habuerunt: quid inde firmi concludatur, non est obscurum.

LXIX. SENTENTIA.

Opinio per se infirma, non satis imbecilla ratione roboratur.

Sed ut Deos esse, natura opinamur: qualesque sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur, consensu nationum omnium.

EXPLICATIO.

Illa ratio & cognitio perquàm tenuis, obscura,

ſcura, mutilata, & minimè ſalutaris eſt, niſi diuinitus & illuſtretur & cõpleatur. Exemplo ſunto Platonica & Ariſtotelica Theologia, & libri tres Ciceronis de natura Deorũ: ne quid dicã de poëtarum prodigioſis ſuperſtitionibus. Nã qui optimè ſenſerunt inter profanos homines, non ulterius progreſſi ſunt, quàm ut ſtatuerent, unum eſſe Deum, omniſcium, omnipotentem, benefacientem bonis, & punientem malos: et tamen inter hos ipſos alij Mundum à Deo eſſe conditum negarunt: alij prouidentiam diuinam à gubernatione rerum humanarum (quòd ſordidiſſimæ & minutiſſimæ, & tanta maieſtate indignæ uiderentur) remouerunt: alij, etſi principatum ſuo illi Ioui, quem optimum maximum uocant, detulerunt: tamen infinitos alios deos coluerunt. Ignorarunt itaq; et naturam Dei, quæ unica eſt in tribus perſonis: & uoluntatem Dei, quæ homines flagitioſos & ſceleratos, ſi reſipiſcant, & uera fide Chriſtum ſeruatorem amplectantur, beata immortalitate dignatur. Sed hæc petantur è ſacris literis, è quibus ſolis iudicium de rebus diuinis, & ſalute noſtra petendum eſt.

LXX. SENTENTIA.

Qua in ſede maneãt (animi defunctorum)

rum) qualesq́ sint, ratione (id est, è philosophica doctrina) discendum est.

EXPLICATIO.

Illa uerò ipsa ratio quàm dubia, incerta, obscura sit: è dissentientibus & cõtrarijs philosophorum opinionibus, quæ paulò pòst recensentur, apparet. Socrates in Platonicis dialogis apud Inferos uult esse beatus, Scipio Ciceronianus apud Superos: heroës nescio quas μακάρων νήσους occupant: ut Achilles Leucen, in ponto Euxino: Protesilaus Chersonesum, alij alias, ut Menelaus & Helena: de quibus prodigiosæ fabulæ extant in Heroicis apud Philostratum.

LXXI. SENTENTIA.

Cuius (rationis, id est, causarum naturalium) ignoratio, finxit Inferos: easq́ formidines, quas tu non sine causa contemnere uidebare.

EXPLICATIO.

Retorqueri locus hic in Ciceronem potest. Nam si cõsensu gentium, & natura Deorũ, & immortalitas animorum probatur: idem cõsensus, Inferos etiam probabit: quos pleræq́; gentes esse statuerũt. Sed Cicero distinctionẽ adhibet, & translatione utitur, nescio quàm firma:

firma: naturam humanam figmentis poëtarum, & praua consuetudine corruptam, uera falsis permiscere. Habent hîc studiosi occasionem tractandæ quæstionis simplicis, unde dicantur Inferi, Græcè, Latinè, Germanicè. An sint inferi? quid sint? Quæ causæ? Vbi? In antro terræ loco à cælo remotissimo? an infra orbem Lunæ? an alijs atque alijs in locis?

LXXII. SENTENTIA.

In terram enim cadentibus corporibus (hîc alludit ad Græcam & Latinam etymologiam πτώματος, & cadaueris: sic enim mortua corpora dicuntur) hisque humo tectis (ex quo dictum est humari) sub terra censebant reliquam uitam agi mortuorum. Vita morbus tuorũ sub terris.

EXPLICATIO.

Vita mortuorum, quiddam absurdum esse uidetur: ut si probum latronẽ dicas. Sed mors ad corpus, ad animum uita pertinet. Sed ij quos hîc reprehendit Cicero: crediderunt scilicet poëtis sic affirmãtibus: ut iam sequitur. Quorum propter & singularem eloquentiã, & quandã diuinitatis opinionem, summa fuit apud rude uulgus autoritas. Orpheus aũt, ut scribit Diodorus Siculus lib. 1. primus apud Græcos

Græcos talium præstigiarum autor fuit: cùm Aegyptiacas funerum cerimonias, falsa narratione aliorsum traduxisset. Nam illic fuit magna quædam palus, per quam cadauera trajiciebantur. In cuius altera ripa consessus fuit iudicum, qui de criminibus mortuo obiectis sententiam ferrent: eumq́ uel honore, uel ignominia sepulturæ dignum iudicarent. Hinc orta est Stygia palus, Charon portitor: Minos, Aeacus, Rhadamantus iudices, Tartarus, & campus Elysius. Fuit & Molossorum rex ætate Herculis & Thesei Ἀΐδωνεὺς, *id est, Pluto uel Orcus: cuius uxor* Δημήτηρ, *Ceres, filia fuerit* κόρη, *Proserpina, & habitarit iuxta Acherusiam paludem, & habuerit sæuißimum canem, Cerberum appellatum, à quo Pyrithoum, rapturum filiam eius Proserpinam, discerptum esse, in uita Thesei scribit Plutarchus. Sed poëtæ, ut & Isocrates, in Helena illos secutus, ea quæ in Epiro gesta sunt, apud Inferos esse facta fabulantur.*

Aegyptiacæ & Epiroticæ historiæ, ad Inferorum fabulas sũt detortæ.

LXXIII. SENTENTIA.

Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt.

EXPLICATIO.

Sic uulgò dicunt ex Aristotele, errorẽ principiò

cipiò paruum, tandem fieri maximũ: id quod & in itineribus accidit: & diuersis lineis, ex eodem puncto eductis, demonstrari potest. Est enim error fœcundus & multiplex: ueritas autem simplex & constans, uniusq; modi. Nã quicquid ab ea declinat, in mendacium delabitur.

Error est fœcundus: nec minus tamẽ scientia.

LXXIIII. SENTENTIA.

Quos (errores de Inferis) auxerunt poëtæ.

EXPLICATIO.

Si fecerunt ad deterrendos à facinoribus improbos: & ad uirtutem incitandos bonos (quem scopum Virgilius sexto Aeneidos de sententia Platonis, propositum habuisse uidetur) minus reprehendendi sunt: tametsi mendacia non satis habent uirium, uel ad scelera prohibenda, uel ad rectè facta augenda. Cæterùm dubitari potest, utrùm poëtæ ex uulgi sermonibus ista sumpserint? an carminibus suis uulgo persuaserint? Vtrum utrũ sit: qui falsa pro ueris uenditant: si non mentiuntur, certè poëtantur. Plutarchus (ut modò dixi) fabulã Inferorũ historiã facit, de rege quodã Epiri talia cõmemorans. Idẽ in uita Romuli, terrã cœlo miscere (id est, corpora humana in cœlũ trãsferri) uecordiæ esse affirmat, Græca

Mendacia, præsertim deprehensa, nõ permouẽt animos.

Plutarch⁹ cœlum terræ misceri, absurdum putat.

sic habent: ἐρανῷ μιγνύειν γλῶ, ἀβέλτερον. Facitq́; transitum animorum (ut & suprà dixi) ex hominibus in heroës, ex heroibus in genios (id est, dæmonas) è genijs denique in Deos.

LXXV. SENTENTIA.

Vulg⁹ poetis propheticam tribuit autoritatem.

Frequens enim consessus theatri: in quo sunt mulierculæ & pueri (alteræ ob sexus, alteri ob ætatis infirmitatem, creduli) mouetur audiens tam grande carmen,

Adsum atq; aduenio Acherõte, uix uia alta atq; ardua:
Per speluncas saxis structas asperis, pẽdẽtibus,
Maximis, ubi rigida constat & crassa caligo Inferûm.

Tantumq́; ualuit error (qui mihi quidẽ iam sublatus uidetur) ut corpora cremata cùm scirent: tamen ea fieri apud Inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possent nec intelligi.

EXPLICATIO.

Cato noster (nonnulli Ausonium poëtam hoc nomine appellatum censent: quòd Catonis sententias uersibus suis complexus esset) ait:

Ad-

Admiranda canũt, sed non credenda poëtæ.
Et Homerus ipse, fabularũ pater, negat poëtis fidem habendam, hoc hemistichio:
πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.
(Vates mendacia plurima dicunt.)
Horum commenta Lucianus in dialogis mortuorum, & alibi passim, egregiè deridet atq; exagitat; eâdemq; opera rerum humanarũ uanitatem præclarè demonstrat.

LXXVI. SENTENTIA.

Error de Inferis, Ciceroni quidẽ iam ſublatus uidetur.

EXPLICATIO.

Non mirum igitur extitiſſe Catilinas, Clodios, Craſſos, Cæſares: cùm nec pœnas iudiciorum timerent (has enim potentia & largitionibus freti, facilè, ut grandiores muſcæ telas aranearum, perrumpebant) & ea quæ cupiebant, morte, in qua nihil mali eſſet, bene emi crederent: ut loquitur ille apud Virgiliũ. Inferorum ſublato metu, mirum nõ eſt multos extitere ſceleratos.

LXXVII. SENTENTIA.

Tantùm ualuit error, ut, corpora cremata cùm ſcirent: tamẽ ea fieri apud Inferos fingerent, quæ ſine corporibus neç fieri poſſunt nec intelligi.

EXPLICATIO.

Hîc tractatur illa ſiue παράληψις ſiue ἀπόδιωξις,

δίωξις, qua Epicureos, contra Inferos disputantes, exagitat. Sed ueteres, ipsis animis etiam corpora quædam aëria & umbrosa tribuerunt, à quibus ista posse fieri putabant. A qua sententia & ij parùm abhorrent, qui purgatorium ignem instaurant. Fertur & tetrastichon nescio cuius autoris: in quo partes hominis quatuor statuuntur, hoc modo:

Mortuorũ aeria aut umbratilia corpora esse creduntur, obnoxia passioni.

Bis duo sunt hominis: Manes, Caro, Spiritus, Vmbra.
Bis duo suscipiũt quattuor ista loca.
Corpus humo tegitur: circũuolat ũbra sepulchrũ:
Orcus habet Manes: Spiritus astra petit.

Sed sunt hæc non dissimilia figmento poëtarũ de Hercule: qui in cœlo Deus sit, Hebes maritus, Alexiaris & Aniceti pater: cùm ossa eius & cineres in Oeta monte sepulta sint, umbra uerò uersetur apud Inferos. Apud Homerum crebrum est, νεκύων εἴδωλα καμνόντων: & νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα, & de Tiresia:

οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι:

Solus hic est sapiẽs: reliq; sunt puluis & ũbra.

Et apud Virgilium Anchisen patrem uidet, & multa uaticinantem audit Aeneas: sed cõtrectare non potest.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago

Par leuibus uẽtis, uolucriq́; simillima somno. Et quia hîc somni mentio fit, quàm multa in somnis & dicimus & agimus, quæ uigilantes nec uellemus nec possemus? Sed nos his & similibus poëtarũ nugis omissis, ea teneamus, quæ suprà è sacræ scripturæ autoritate de statu animarũ, quæ è corporib. migrarũt, attulimus.

LXXVIII. SENTENTIA.

Animos eñ per seipsos uiuentes, non poterant mente complecti: formam aliquam figuramq́; quærebant. Animi corporib. uacantes, à paucis intelligũtur.

EXPLICATIO.

Ea quæ Dialectici tradunt de nominibus abstractis, de accidentibus à substantia separandis, de speciebus & generibus: quæ itẽ Mathematici de corporibus ab omni concretione materiæ seiunctis: hæc, inquam, acuunt ingenia paulatim, accedente consuetudine et usu: ut humana mens & semetipsam, & genios, & Deum deniq; ipsum, sine circumscriptione corporea, aliquo modo possit comprehendere. Epicurus autẽ, ita siue crassus siue impudens fuit, itaq́; pertinaciter aduersatus est doctioribus: ut omne iudiciũ referret ad sensus: neq; quicquam in rerum natura esse diceret, nisi corporeũ: planè imitãs lenã illã apud Plautũ, cui manus oculatæ sunt; credũt quod uident.

Mirabile & ἀσύςατον commentum Atomorum.

Et tamen ex Atomis, quas nemo unquã ante ipsum, præter Leucippum, & cæcum (ut ferunt) Democritum, oculis uiderat, effecit scilicet & quatuor elementa, & ea quæ ex elementis constant omnia, & Mundos innumerabiles: cuius ineptias Silenus apud Virgiliũ sic explicat:

Nanq; canebat uti magnũ per inane coacta
Semina terrarũq;, marisq;, animæq; fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipse tener Mundi cõcreuerit orbis.

Exordia enim hîc dicit, quæ uulgò elementa uocantur.

LXXIX. SENTENTIA.

Euocatio Manium portẽtosa.

Inde Homeri tota νεκύα: inde ea quæ meus amicus Appius νεκυομαντεῖα faciebat: inde in uicinia nostra

Auerni lacus (ostio
Vnde animæ excitãtur obscura umbra, apto
Alti Acherõtis, falso sanguine imagines mortuorũ.

EXPLICATIO.

Νεκὺς καὶ νεκρὸς *dicitur, & inde* Νεκυομαντεία *&* Νεκρομαντεία *: & Homericæ Odysseæ* λ', *id est, liber undecimus, quem Aeneidos* VI. *Virgilius imitatus est,* Νεκύα, *quasi mortuorum historia, inscribitur. Audiui autẽ & ipse è curiosis hominibus, & istarum fortasse* præsti-

præstigiarum non imperitis, cùm species defunctorum appareãt, eas mirum in modum & pallere, & extenuatas uideri: quæ & Virgilius dicit, simulacra modis pallentia miris. Vnde Pallida mors æquo pulsat pede pauperũ tabernas, Regumq́; turres, apud Horatium. Referuntur & de monte Hirselbergo mirabilia: ubi tibicines in aula amplissima supernè considеant, in area uerò uiri fœminæq́; nobiles choreas ducãt, limbis uestium ardentibus & scintillantibus. Nec ita pridem iuxta syluam Ottoniam quidam homo simplex in antrum nescio quod, coruis præuolantibus, à quodam, quem ductorem ille diceret, se raptum, uidisse affirmauit, quosdã nobiles, assidentes mensæ & colludentes: è quorum dorsis ardentes cineres exciderent. Ac miser ille grauiter ex eo spectaculo affectus, paucis pòst diebus reductus in patriã, expirasse fertur. Iam quæ de Aetna Siciliæ, de Hecla Islandiæ monte, de antro Patricij alijsq́; pluribus commemorentur ab historicis: nemo uel mediocriter doctus ignorat. Quibus narrationibus dubites, fidem'ne habere, an abrogare sit difficilius? Credulitas enim, uecordiæ & superstitioni: inficiatio, imperitiæ temeritatiq́; tribui solet. Nam sacra quidem literæ sceleratis pœ-

Miræ siue historię, siue fabulæ.

nas grauißimas minitantur: totamq́ rerum naturã aduersari, & pœnas infligere impijs, cùm Deo uisum fuerit, est consentaneum. Pro νεκρομαντία *legendum uidetur,* νεκρομάντια *ἢ* νεκρομαντικὰ *neutro genere, pluraliq́ numero.*

LXXX. SENTENTIA.

Imagines incorporeas loqui negat Cicero.

Has tamen imagines loqui uolunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium, laterum, pulmonũ ui ac figura potest.

EXPLICATIO.

Fortaßis alium sermonem mortuorum & spirituum, quàm corporum uiuentiũ esse statuerunt. Quid enim mirabilius est uisis somniorum, quæ fiunt clausis oculis, cæterisq́ sensibus obstupefactis? Et tamen dormientes & loqui & audire, & præclara quædam sibi uidere, & ambulare, & nauigare, & uolitare in aëre atq; alia infinita, & facere & pati uidentur: quæ nõ minus prodigiosa censeas (nisi quotidiana essent) quàm defuncti hominis animum loqui. Deinde sunt qui existiment, spiritus, cum hominibus congressuros, accommodare sibi corpora quædam siue aëria, siue phantastica, siue etiam naturalia & mutuaticia.

LXXXI.

LXXXI. SENTENTIA.

Nihil enim animo uidere poterãt: ad oculos omnia referebant. Cæcitas uulgi, nihil sine oculis animo cernentis.

EXPLICATIO.

Hac cæcitate uulgus hominum laborat, à bestijs parùm differens, quæ solis corporum sensibus ducuntur: eosq́ deridet, qui sublimius aliquid afferunt: ut cum Satyrico exclamare liceat:

O curuæ in terras animæ, cœlestium inanes.

LXXXII. SENTENTIA.

Magni autem est ingenij, mentem reuocare à sensibus, & cogitationem à cõsuetudine abducere. Sensibus uti solis, belluarum est.

EXPLICATIO.

Hoc ideò difficile est plerisq́, quòd beluinã potius quàm humanam uitam agunt. Sensibus utuntur illi quidem, ut uulpeculæ & aquilæ: mentem uerò non adhibent, nec mathematicis eandẽ disciplinis expoliũt: quamuis nihil æquè magno adiumento sit ad rerũ cœlestium & diuinarum æternarumq́ contemplationem. Qua de causa uel in primis discendæ essent: ne perpetuò in terrena fece & corporum sordibus hæreremus. Inepti enim atque iniqui censores sunt, qui propterea illas aspernantur, quòd nec architecti, nec

quæstores aut mercatores, neq; cantores futu risint, neq; calendaria aut geneses cõfecturi.

LXXXIII. SENTENTIA.

Opinio immortalitatis à Pherecyde Ciceroni uidetur orta.

Itaq; credo equidẽ, etiam alios tot seculis disputasse de animis: sed quod literis extet, Pherecydes Scyrius, antiquus sanè, primus dixit, animos hominum esse sempiternos.

EXPLICATIO.

Literas Græcas intelligit Cicero, aut etiã Latinas. Hebraicas uerò aliarumq; Asianarũ & Africanarũ gentiũ, aut ignorauit aut nõ curauit. Vetus quidem testamentũ ante Ciceronis ætatem, liberalitate & industria Ptolemæi Philadelphi Græcè fuerat editum. Si aũt sempiternos animos ita dixit esse Pherecydes, ut Cicero naturã Dei sempiternã: nõ tantùm nunq̃ eos interituros esse: sed etiã omni principio caruisse, sensit: quorũ prius sacris literis cõsentaneũ est: posterius repugnat, æternitatẽ soli Deo tribuentibus. Etsi Cicero hac uoce de ijs quoq; rebus utitur, quæ initium habent, atq; adeò finẽ etiã: ut, cùm sempiternos hostes, & amicitias sempiternas dicit.

LXXXIIII. SENTENTIA.

Antiquus sanè. Fuit enim meo regnante gentili.

EX-

EXPLICATIO.

Is uerò minus annis quingentis ad summum, ante Ciceronem fuit. Tot secula autem dixit, quòd Mundum aut initio caruisse, aut antiquißimum certè fuisse, cum Platone & Chaldæis statuit: qui annorum multa millia commemorant. Romanorum autem antiquitas, cum Græcis, Græcorum, cum Hebræis collata, nihil est. Deus primùm dixit, animos hominum immortales: semine promisso, quod caput serpentis contereret: id qđ superuacaneum fuisset: si animi unà cum corporibus interirent. Eosdem autem initij expertes statuere, & temerarium est, nec sine iniuria diuinæ maiestatis affirmatur. Vbi autem interim est ille consensus nationum omnium? si Græci tandiu immortales esse animos, ignorarunt?

Deus ipse immortalitatem promulgauit.

LXXXV. SENTENTIA.

Hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maximè confirmauit: qui cùm Superbo regnante in Italiam uenisset: tenuit magnam illam Græciam: cùm honore & disciplina (alij, honore disciplinæ) tum etiam autoritate.

Pythagorica μετεμψύχωσις.

EXPLICATIO.

Docuit ille quidem immortalitatem τῆς

n s μετεμψυ-

μετεμψυχώσεως, Inferis non multò meliorẽ. Sed illa eius autoritas tandem suspecta & inuisa esse cœpit, ut quæ per speciem sapiẽtiæ tyrannidem affectaret. Itaque & schola Pythagoræ incensa esse, & ipse in fuga interfectus traditur.

LXXXVI. SENTENTIA.

Disciplinæ Pythagoricæ autoritas.

Multaq; secula postea sic uiguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alij docti uiderentur.

EXPLICATIO.

Isocrates Busiride: ἔτι καὶ νῦν τοὺς προσποιουμένους πυθαγόρου μαθητὰς εἶναι, μᾶλλον σιγῶντας θαυμάζομεν, ἢ τοὺς ἐπὶ τῷ λέγειν μεγίστην δόξαν ἔχοντας *(qui se, inquit, Pythagoræ discipulos profitentur: eos tacentes magis admiramur, quàm alios eloquentiæ laude celeberrimos.) Alludit autem ad illam* πενταετῆ ἐχεμυθίαν *(quinque annorum silentium.) Hanc porrò nominis illius rationem afferunt,* ὅτι οὐχ ἧττον τοῦ πυθίου τὴν ἀλήθειαν ἠγόρευεν *(quòd non minus quàm Apollo uera diceret) Et quidem è sententiis Pythagoræ & Pythagoreorum, quæ à Suida (utinam copiosius) Stobæo, Plutarcho, & alijs scriptoribus citantur: & è carmine Philolai itemq; Timæi Locrensis & Ocelli Lucani*

ni libellis apparet, homines fuisse excellētib. ingeniis, doctrinaq́; recōdita. Cōmēdata fuit eorū & amicitiæ fides, & in omni cultu atq́; uictu frugalitas et cōtinētia: quanq̄ ea à superstitione nō remota fuit: cū scilicet uererētur, ne in tauro patres uel auos suos deuorarent.

LXXXVII. SENTENTIA.

Sed redeo ad antiquos: rationem illi sententiæ suæ non ferè reddebant, nisi si quid erat, numeris aut descriptionibus explicandum.

ἤτοι ἀναλογιστικὴ ἢ ἀποδεικτικὴ φιλοσοφία καὶ αἰνιγματώδης.

EXPLICATIO.

Vox antiqui, nisi de ueteribus Pythagoreis intelligeretur, delenda uideretur esse: cùm suprà dixerit, antiquos rationes rerum ignorasse. Pythagoreorum autem, αὐτὸς ἔφα, satis notum est. In cæteris intelligantur αἵ τε τῶν ἀριθμῶν πρὸς ἀλλήλους ἀναλογίαι, καὶ αἱ γραμμικαὶ ἀποδείξεις: quibus usi uidentur, cùm ad certitudinem dogmatum probandam: tum ad profanos homines, id est, eos, qui maius uoluptatis, pecuniæ, ambitionis, quàm uirtutis & sapientiæ studium haberent: ab adytis philosophiæ excludendos; id quod illa Platonici uestibuli inscriptio: μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω: clarè docet, et alius quidā philosophus, cū se ei homo quidā omnis liber-

liberalis doctrinæ expers in philosophia erudiendum tradere uellet: οὗτος, inquit, ὁ πόκος παρ' ἐμοὶ οὐ γναφθήσεται. Sed nos miseri hic, caudices, stipites, asinos, canes, cuculos, & omnem ignauæ & flagitiosæ mendicitatis sentinam ferre cogimur.

LXXXVIII. SENTENTIA.

Transitio ad Platonicã argumenta.

Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiã uenisse, & in ea cùm alios multos, tum Archytam Timæúmque cognouisse, & didicisse Pythagorea omnia: primúmque de animorum æternitate non solùm sensisse idem quod Pythagorã, sed rationẽ etiã attulisse: quam (nisi quid dicis) prætermittamus, & hãc totã spem immortalitatis relinquamus.

Διαλογικά.

EXPLICATIO.

Ἀκκισμός ἐστι προκαταληπτικός τε καὶ προσεκτικός. Nam & Epicurei Platonicas rationes deridebant, ut & hodie faciunt homines impij: &, ut Ouidius ait:

Nitimur in uetitũ semper, cupimusq́; negata.

Fertur autem Plato in Theologia Pythagoram, in Physiologia Democritum, in doctrina morum, Socratem magna ex parte secutus esse.

LXXXIX.

LXXXIX. SENTENTIA.

A. An tu, cùm me in ſummam expe-ctationem adduxeris, deſeris?

EXPLICATIO.

Fruſtratio cùm permoleſta ſit, ſapienter monet Epictetus, cogitandum eſſe in omni re, id quod expetas non fore: futurum autem eſſe id, quod minimè uelis. Sic futurum, ut & agas id, quod officij tui eſſe uideatur: & repulſa minus doleas: & ſucceſſu magis lateris. Fruſtratio eſt moleſta.

XC. SENTENTIA.

Errare me hercule malo cum Platone (quem tu (Cicero) quanti facias ſcio: & quem ex ore tuo admiror) quàm cum iſtis (Epicureis & cæteris ψυχοκλόνοις) * uera ſentire. M. Macte uirtute. Ego enim ipſe cum eodem ipſo non inuitus errauerim. * uerè.

EXPLICATIO.

Ὑπερβολὴ eſt, qua ſignificat, eam fuiſſe ingenij Platonici excellentiam, ut, quæ illum præterirent, non uериſimile ſit, quenquam alium aſſecuturum eſſe: & Iulius Firmicus, Aſtrologus, eam illi geneſin attribuit, quæ ingenium decernat, quod ad omnia diuinitatis Platonis excellétia.

tatis arcana penetret. Ferũtur & magi quidam eidem Platoni, anno ætatis LXXXI *mortuo tanquam humana conditione superiori, immolasse. Alioquin explorata ueritas cognito errori, semper est præferenda. Sic alibi & ipse Cicero dicit, in omnibus, re, non teste, moueri nos oportere. Et, Vbi rerum testimonia adsint, nihil opus esse uerbis. In eandem sententiam præclarissimè scriptum est ab Aristotele:* Δόξειεν ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν, ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλωστε καὶ φιλοσόφους ὄντας. Ἀμφοῖν γὰρ φίλοιν ὄντοιν (τοῦτέ Σωκράτους καὶ πλάτωνος, καὶ τῆς ἀληθείας) ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν: *Hoc est, Fortaßis & melius esse & decere uidebitur, ut tuendæ ueritatis ergo, etiam nostra decreta euertamus: præsertim cùm Philosophi simus. Quamuis enim ambo sint amici (& Socrates & Plato & ueritas) ueritatem tamen illis anteferri, ius fasq́ postulat. Quam sententiam si homines eruditi omnium ætatum, tanquam oraculum secuti, cæco sui amore & affectibus, & è magistrorum autoritate præceptis opinionibus sepositis, aciem ingeniorum in unum ueritatis scopum intendissent: minus extitisset in omni doctri-*

Veritas ubique uincat.

na-

narum genere falsarum opinionum, errorum, turbarum. Sed hæc frustra expectes à natura humanæ prauitate. Semper & fuerunt & sunt & erunt plures sophistæ, qui quæstus & ostentationis gratia nugentur: quàm Philosophi, quibus proposita sit & indagatio & explicatio & defensio ueritatis, studiumq; uirtutis.

Plures sunt sophistæ, quàm philosophi.

XCI. SENTENTIA.

Num igitur dubitamus? An sicut pleraque sic & hoc? Quanquam hoc quidem minimè. Persuadent enim Mathematici, terram in medio Mundi sitam, ad uniuersi cœli complexum quasi puncti instar obtinere: quod κέντρον illi uocant.

E diuisione Mundi & elementorum, ratiocinatur, animos (si qua materia cõstent) neq; terreos esse neq; aqueos: sed uel aerios uel igneos.

EXPLICATIO.

Num igitur dubitamus? Scilicet animos esse immortales. An sicut pleraq; (dubitamus, pro, de plerisq;) sic etiam hoc? Scilicet quod sequitur. Quanquam hoc quidem minimè (dubitamus.) Cur uerò? quia persuadent Mathematici, &c. Et hæc de uerbis paulò intricatioribus. Nunc ad sententiam ueniamus, quæ pertinet ad Academicã ἐποχὴν καὶ διάσκεψιν: quæ rectè in rebus obscuris, dubiis,

Academica dubitatio, aliàs est prudentię, aliàs delirij, aliàs impudentiæ.

dubiis, controuersis adhibetur. Eadem uerò ad ea quæ integritate mentis & sensuum facilè à quouis percipiuntur, translata, nihil aliud est, nisi aut delirium quoddam, aut impudentissimum mendacium: ut si quis propterea in dubium uocet, an manus humanæ atque pedes quinis digitis constent: quòd unus atque alter sedigitus reperiatur: aut qui loco digitorum chelam cancri habeat: qualem olim Melhusæ Tyringicæ uidi nobilem uirum Ioannem Ebelebium. Mathematicæ porrò disciplinæ omnium certissimæ sunt: neque probant sed cogunt. Nam si quis dissentiat: parata est ἡ εἰς ἀδύνατον ἀπαγωγή. Itaque Galenus se per eas à Pyrrhonio errore reuocatum esse confirmat. Et tamen has quoque labefactare conata est Academica impudentia, cùm dicerent: nisi Geometris postulata sua (τὰ αἰτήματα) concederentur, eos ne unum quidem digitum posse progredi. Quibus ita respondet Viues: ea postulari à Geometris: quæ qui non concesserit: necesse sit, se ut aut indoctissimum, aut iniquissimum & impudentissimum esse fateatur. Sunt enim illa αἰτήματα καὶ ὑποθέσεις nihil aliud, quàm προοδοποίησις quædam & præparatio, qua tirones planiore quasi uia ad scientiam perdu-

Mathematicæ disciplinæ & certæ sunt, & mirabiliter acuunt & confirmant ingenia.

ducantur. Sed nunc parui æstimatur scientia: fugitur à plerisque discendi labor: amœnitates studiorum (ut ait Fabius) maxima discentium pars sequitur: ad quæstum & ambitionem referuntur omnia: nec mirum, cùm indoctissimus quisque doctor, ob ære emptum titulum, uiris in omni disciplinarum genere exercitatissimis uulgò anteponatur. Itaque studia linguarum eruditarum, Mathematum, & omnium bonarum artium procreatricis Philosophiæ, neglecta & contempta iacent. Barbaries uerò, uix extra limina pulsa, nunc omnia gymnasia, imò animos omnium atque ora occupans, in altissimo dignitatis gradu collocatur: & rectè quidem: ut SIMILES HABEANT LABRA LACTVCAS. *Sed ad propositum redeamus. Magnitudo Solis & Lunæ itemq́ terræ, ex ratione eclipsium, proportionibus Arithmeticis & Geometricis deprehensa est: quas imperiti homines facilius cauillantur, quàm intelligunt. Hinc est illud Diogenis Cynici dictum, in Mathematicum quendam, de rebus cœlestibus disserentem: quod hominibus indoctis nimium placet:* ὦ οὗτος, ποσταῖος ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἥκεις; *(Heus bone uir: quampridem cœlo aduenisti?) In-*

Barbaries dominatur ubiq;.

Magnitudo Solis controuersa.

gens tamen discrimen est inter Ciceronem, qui Solem terra duodeuiginti partibus maiorem esse tradit: & recentiores, qui centies sexagies sexies & amplius. Sed certitudinem doctrinæ, prædictionū euentus demonstrãt. Quod ipsum haud iniuria mirere: tam discrepantibus fundamentis, uel hos uel illos ædificium suum absq; ruina perducere ad fastigium potuisse. Plinius scribit, Hipparchum Solis & Lunæ defectus in sexcentos annos præcinuisse. Quem nostra ætate Sebastianus Munsterus & Cyprianus Leouitius noster, aliqua ex parte sunt imitati.

XCII. SENTENTIA.

Eam porrò naturam esse quatuor omnia gignentiū corporum: ut quasi partita habeant inter se, & diuisa momẽta.

EXPLICATIO.

Elemẽta inter sese permista.

Sic elementa appellat, quæ simplicia quidem corpora dicuntur à physicis: neq; tamen negãtur aliquo modo inter sese permista esse: quòd alioqui, si prorsus simplicia essent, nullum neq; saporem neq; odorem, neq; colorem essent habitura. Ex iis igitur elementis & stirpium & animantium, aliarumq; rerum moles componuntur. Loquuntur enim

illi

illi de proximis causis : non de remotioribus: quas statuit Aristoteles materiam primam, priuationem & formam : multò uerò minus de remotissima & principe atque effectrice rerum Deo. Momenta uerò intelligenda sunt αἱ ῥοπαὶ, inclinationes & motiones sursum & deorsum. Cœli autem motus statuitur in orbem & circa medium fieri. Quæ tria motus genera Græcis uerbis breuiter sic explicari possunt: τῶν κινήσεων αἱ μὲν ἀπὸ τοῦ κέντρου γίνονται, καθάπερ ἡ τοῦ ἀέρος καὶ πυρὸς, αἱ δὲ ἐπὶ τὸ κέντρον, οἷον ἡ τοῦ τε ὕδατος καὶ τῆς γῆς: αἱ δὲ περὶ τὸ κέντρον, ὡς ἡ τῶν οὐρανῶν κυκλοφορία. *(Motionum aliæ fiunt à centro, ut aeris & ignis : aliæ ad centrum, ut aquæ & terræ : aliæ circa centrum, ut orbicularis cœlorum conuersio.)*

Causarum distinctio.

Motus genera.

XCIII. SENTENTIA.

Terrena & humida suopte nutu & suo pondere ad pares angulos in terram & in mare ferantur. Reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis (aeria uel spirabilis) ut illæ superiores in medium locum Mundi, grauitate ferantur & pondere : sic hæ sursum rectis lineis in cœlestem locum subuolent: siue ipsa natura (ob leuitatem) superiora * appeten-

Diuersæ motiones elementorum.

* petentes

tes: siue quòd à grauioribus leuiora natura repellantur.

EXPLICATIO.

Sic repellitur aqua à terra: aer ab aqua: ignis ab aere: & terra ipsa à saxis & metallis. Nam grauissima quæque robustissima sunt, ijsque leuiora cedere, locumque dare coguntur: non minus in natura rerum, quàm in uita humana, ubi potentior opprimit imbecilliorem. Sunt enim nostræ res (uerè si considere res) nihil aliud nisi ἀλληλοφαγία quædam: ut cernitur in animalibus, piscibus, feris, hominibus, fluminibus, & reliquis.

Minus cedit maiori.

XCIIII. SENTENTIA.

Quæ cùm constent: perspicuum debet esse, animos cùm è corpore excesserint: siue illi sint animales (id est, spirabiles) siue ignei: sublimè ferri (alij sublimes, alij in sublime, legunt, μετεωρίζεσθαι ἢ ἄνω φέρεσθαι, ἢ ἀνωφερεῖς γενέσθαι.)

EXPLICATIO.

Argumentum ab animi materia sumptũ, non tã eius immortalita-

Primum argumentum ab autoritate ductum, probatione artis experte constat. Secũdum autem hoc est ἔντεχνον (artificiosum) sumptũ à proprio materiæ (ἀποδεικτικῶς tamen & non κατηγορικῶς: si qua ex materia con-

constet animus: quod non temerè à quouis, atque adeò ne ab ipso quidem Cicerone conceditur) etsi non tam probat, animum esse immortalem: quàm, opinionem de animorum descensu ad Inferos, refellit. Qua ratione & Pythagoreorũ labefactaretur dogma, non dubitantium, quin animos ex uniuersa mente diuina delibatos habeamus: nisi diuino imperio descensus ille excusaretur. Nam (ut in eodem Catone ait) dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodã necessitatis & graui opere perfungimur. Descendere autem ad Inferos illis fuit, animos corporibus humanis inseri, ut sint qui globũ terrenum tueantur. tẽ probat, quã descẽsum ad Inferos refutat.

XCV. SENTENTIA.

Si uerò aut numerus quidam sit animus: quod subtiliter magis quàm dilucidè dicitur.

EXPLICATIO.

Ἐσθλὸν τὸ σαφὲς: καὶ ὁ σοφὸς ἀθυρρήμων ἔστω *(perspicua quæ sunt, bona sunt: & uir sapiens rectè loquatur.) Symbola autem Pythagorica, & ænigmata eiusmodi sunt, ut ab aliis aliter explicentur: nec cuiusquã coniectura niti liceat. Ex hoc genere est & hoc dictum: cuius quæ uera uis sit, Pythagoras*

ipse uiderit. Animus certè neq; mercatorius numerus est, neq; uocalis, neq; scriptus: neque uel centum uel mille, uel centena millia significat: siue illa, deprompta pecunia, numerem, siue pronunciem, siue scribam. Nunquam enim inde existet animus, ne musca quidem, nedum hominis. Alios uerò numeros ignorare me fateor, nec qui nam & quales illi sint, & quam uim habeant, perspicere: nisi fortè ὁ λογικὸς ἀριθμὸς idem sit, quod ὁ λογισμὸς καὶ ὁ νοῦς: ut senserit Pythagoras, animum humanum in ratione & mente consistere: non ἐν τῷ φυτικῷ καὶ αἰσθητικῷ, quibus etiam τὸ θυμῶδες καὶ ἐπιθυμητικὸν continentur. Et hæc quidem mihi uidetur istius ænigmatis esse sententia.

Numeri ne pulicis qui dē animā possunt efficere.

Coniecturæ qd per numeros significarit Pythagoras.

1. *tia. Sed & collegæ mei D. Georgij Henischij censuram ascribam. Animam, inquit, ueteres quidam numerum dixerunt, quòd sola hæc numeret, quemadmodum & sola cum Dijs mens humana intelligit harmoniam. Quamobrem eam (in heroicis præsertim uiris) harmoniam dicere quidam non sunt ueriti. Est & alia eius appellationis*
2. *causa. Cernebant scilicet, grauissimos quandoque animi morbos numeris & concentibus Musicis curari: affectus item hominum*

&

& excitari & reprimi Musica. Sic Pythagoras, tibicine iusso mutare modulos cantionis, petulantes iuuenes à uiolanda ingenua matrona, reuocauit: & Timotheus Alexandrum Magnum, quoties uoluit, inter medias epulas, ita concitauit, ut exiliret & hastam atque arma postularet: mutatisq; modis, eundem ad conuiuij hilaritatem reuocauit. In Phædone uerò Socrates eos improbat, qui elementorum in corpore crasin per harmoniam intelligunt.

XCVI. SENTENTIA.

Aut quinta illa non nominata magis, quàm non intellecta natura: multò etiam integriora ac puriora sunt (quinta natura & numerus, quàm aut aer aut ignis) ut à terra longissimè se efferant.

EXPLICATIO.

Primum contra consensum codicum, uidetur legendum: Si ἐντελέχεια, *aut quinta illa natura. Coniecturæ meæ rationem inde duco, quòd suprà dixit, animũ ab Aristotele* ἐντελέχειαν *nominari: cum paulò ante fassus esset quintũ illud genus uacare nomine: ut et hic addit, quintã illam naturã non nominatã*

esse magis, quàm non intellectam: hoc est intelligi quidē sed carere nomine: ἐντελέχεια *uerò habet suum & peculiare nomen: quod tamen, ad animum translatum, nouum illius ætatis hominibus uisum fortasse fuit, sed quinta illa natura est* ἀνώνυμος ἢ ἀκατωνόμαστος, *certaq́ appellatione caret. Ergo aut quinta natura &* ἐντελέχεια *nō sunt unum atq́ idem: aut parum sibi constat Cicero, nominans id, quod carere nomine ait. Neq́ hoc quenquam paulò acutiorem & attētius considerātem, negaturum arbitror. Sed ad rem: cùm (ut alibi Cicero scribit) natura nihil sit rapacius, nihil appetentius similium sui: si cælesti materia constat animus: probabile est (Philosophica quidem ratione) eum & ultrò appetere cælum, ut partem suū totum: & à cælo sursum rapi. Nam Aristoteles quintam illam naturam, & cælis & animis humanis ex æquo tribuit. Sed aliud nos Euangelista Ioannes docet:* οὐδεὶς, *inquit,* ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν: εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ: *& Baptista:* οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *(Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis, qui est in cælo:*

Reditus animi in cœlum.

Neque

Neq; potest homo quicquam uendicare, nisi datum ei fuerit de cœlo.) Sed redeamus ad philosophos: si appetitio ista cœli, reditum animis in cœlum patefacit: quid illis fiet, qui totis & corporibus & animis, in terrenis demersi sordibus, aut inguinis & gulæ mancipia, aut formicis Indicis similes, aut uulpinis fraudibus, aut leoninæ rapacitati dediti: cœlũ uel nunquam suspiciunt: uel cùm id fortè faciunt aliquando: nõ magis de ascensu in illud cogitant, quàm piscis ille, qui ob cõuersos sursum oculos οὐρανοσκόπος *dicitur: aut oryges & elephanti, qui cœlum intueri, & Solem orientem adorare putantur. An non eâdem ratione talia monstra hominum (quibus terrarum orbis refertus est) rectà descendere ad Inferos existimandum? Ex hypothesi quidem hac Ciceroniana ita futurum est. Sed* ἀκατονόμαστος μὲν, ἀλλὰ οὐκ ἀκαταινόητος ἐστι, *quomodo intelligitur? Cogitamus, eam esse longè subtiliorem & præstantiorem elementis: atq; adeo diuinam & immortalem. Si uerò quæras, quid nam illa sit? qua forma? qua materia? tam erit non intellecta, quàm non nominata. Nihil enim aliud de ea tradidit Aristoteles, nisi differre ab elementis, iisq; plurimum antecellere. De* ἐντελεχείᾳ *porrò*

Descensus animorũ ad Inferos.

Quinta natura quid non sit, q̃ quid sit, facilius intelligitur.

(quæ ueteribus fortaſſe, ut antè dixi, aliud quippiam quàm Ariſtoteli ſignificauit) quanta, quàm uehementes ſunt et ueterum & recentium philoſophorum contentiones? Ego uerò malo indoctior atque ignauior haberi, quàm de rebus perplexis parumq; utilibus digladiari. Quid enim ad me quid ſenſerit Ariſtoteles? cum ſacræ literæ doceāt, animū humanum conditum eſſe ad imaginem Dei, atque uitalem illi & immortalem ſpiritum à uiuo & immortali Deo impertitum?

XCVII. SENTENTIA.

Horum igitur aliquid animus eſt: ne tam uegeta mens, aut in corde cerebróue, aut in Empedocleo ſanguine demerſa iaceat.

EXPLICATIO.

Perinde eſt ac ſi dicat: nefas eſt, ita abiectè & ſordidè ſentire de animo: quaſi gemmā precioſiſſimā in fimeto demergas. Ἀνασκευαστικὸν *hoc eſt, & ſimplici* ἀποδείξει *conſtat: docetq́;, non quid ſit, ſed quid non ſit animus.*

Cicero craſſā materiā mentis improbat.

Abſurdiſſimum enim Ciceroni uidetur rationem & intelligentiam, in tam craſſa materia, quæ etiā brutis animantibus inſit, collocari. Galenus tamē, non philoſophus minus quàm medicus excellens, ſubtiliſſimos quoſq;

ſpiritus

spiritus, è sanguine exhalantes, & cor, cerebrum, totumq́ adeo corpus fouētes, animum esse censet. Sed hæc opinio parùm secernit hominis animum, ab anima uulpeculæ, formicæ aut apis: quod dictu nefas est: cùm solus homo aliquam habeat Dei notionem: eaq́ cōprehendat intelligentia, memoria, prouidentia, quæ sub nullum sensum cadunt: nec à materia ulla comprehendi possunt. Spiritus porrò illi ex materia quadam constant, nec sunt incorporei.

Ne Galeni quidem subtilissimos spiritus satis esse è dignitate mentis humanæ.

XCVIII. SENTENTIA.

Dicæarchum uerò cum Aristoxeno, æquali & condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus: quorum alter ne condoluisse quidem unquam (hîc pro unquam, alij legūt, omnino, alij animo; quod posterius ego retinēdum censeo) uidetur: qui se animum habere non sentiat.

EXPLICATIO.

Magna quidem est συμπάθεια *corporum atq́ animorum: ut in morbis, ebrietate, affectibus uehementioribus cernitur: & libro huius operis tertio, morbos corporis hoc ipso esse odiosos ait: quòd ad animum pertineant,*

Corporis animiq́; & congruentia & discrepantia.

eumq́ꝫ ſolicitent. Sæpè tamen, dolente corpore, alacer eſt animus, idemq́ꝫ triſtis & abiectus, incolumi corpore: ut fit, cùm homini ualenti, malus: ægrotanti, bonus nuncius affertur. Vnde diſtinctam eſſe utriuſqꝫ naturam, conſentaneum eſt. Atqꝫ adeò in ipſo animo diſcrimen rationis & appetitus, haud obſcurè cernitur. Homines enim continentes & moderati, reprimunt iudicio mentis, efferueſcentem iracundiam, & quaſi ebullientes libidines. Vulgus autem hominū, exemplo Medeæ, uidet meliora probatq́ꝫ, Deteriora ſequēs. Sed tamen animi dolor, cùm paßio quædam ſit, et imbecillitas: interitum ei minitari uidetur. Quidam tamen (ut pòſt ipſe etiam Cicero, contra Panætium diſputans) argutantur: nō τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ τὸν νοῦν *dolore affici: ſed* τὸ θυμῶδες καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, *quæ ſunt homini cum beſtijs cōmunia, & penè corporea, unaq́ꝫ cum corpore interitura: ſola mente illæſa atqꝫ incolumi, & immortali permanente. Sed cur docti homines omittendi ſunt? cùm doctis potißimum aſſentiendum eſſe uideatur? Quia ſatis notum eſt, ac nimium potius, nullum hominem uſquequaqꝫ & ſapientem & bonum eſſe. Semper igitur illud exceptū ſit, ne uitia & errores eorum, quos admiramur, uel approbemus*

Illud exceptum ſit, ne doctorum errores & uitia imitemur.

probemus uel imitemur. Sed hoc iudicium, adolescenti præsertim, & in quæstionibus intricatis atq; obscuris, etiam adultis est difficilimum. Nam neq; de sapiente nisi sapiens, neq; de bono nisi bonus, quisquam rectè iudicare potest. Satagimus igitur nostrarum rerum, & fallimur atq; fallimus, alij scientes, alij imprudentes.

XCIX. SENTENTIA.

Alter ita delectatur suis cantibus: ut eos etiã ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex interuallis sonorum nosse possumus: quorum uaria compositio etiam harmonias efficit plures.

Cadauerũ nulla esse potest harmonia.

EXPLICATIO.

Scilicet, si sumus Musici, eruditis auribus præditi: qui habent μέσην, νήτην, ὑπάτην, δὶς διὰ πασῶν, *& multa alia ex his composita* συστήματα καὶ διαστήματα. *Qua de re consulatur* δωδεκάχορδον *Glareani. Horum igitur uaria compositio harmonias etiam efficit plures. Quæ utinam uulgo studiosorum tam iucundæ essent, quàm* τὰ ἀνάρμοστα κισσύβια, *& spumantes pateræ.*

C. SENTENTIA.

Membrorum uerò situs & figura corporis,

poris, uacãs animo, quam poſſit harmoniam efficere, non uideo.

EXPLICATIO.

Nec Orphei nec Amphionis cadauer τῶν μυστικωτάτων γινομένων, ullam harmoniã habuit: ſicut utriuſq; lyra & Demodoci & Orphei cithara muta fuit, ab illis non pulſata. Pertinet hæc ſententia, tã ad Ariſtoxeni harmoniam, quàm ad Dicæarchi ἀψυχίαν (ut ita dicam) refutandam: argumento ab ipſa experiẽtia & teſtimonio ſenſuum ducto. Sed reſponderit fortaſsis Ariſtoxenus, ſe non de cadauere, ſed de hominis uiuentis animo loqui.

CI. SENTENTIA.

Sed hic quidem, quamuis (quantumuis) eruditus ſit, ſicut eſt, hæc magiſtro concedat Ariſtoteli: canere ipſe doceat. Bene enim illo prouerbio Græcorum præcipitur:

Non mittenda falx in alienam ſegetem.

Quam quiſq; norit artẽ: in hac ſe exerceat.

EXPLICATIO.

Muſicæ figurata cõmendatio.

Fortaſsis Ariſtoxenus iſto commento artem Muſicam commendare uoluit, & oſtendenda eius cum animo conuenientia, efficere honoratiorem. Sicut & Pythagoram cenſent idem ſpectaſſe, cœleſtibus orbibus ſuas quaſdam harmonias tribuentem. In ſomnio tamen Scipionis

nis illa opinio probabilibus argumentis confirmatur: cōtraq; ab Aristotele negatur, cœlum, ut neq; cymbam secundo flumine delatam, resonare.

CII. SENTENTIA.

Discipulus magistro cōcedat abstrusiora & obscuriora.

EXPLICATIO.

Scilicet, nisi errorem illius aliquem perniciosum, firmis argumentis, possit conuincere, & officij ratione coarguere necesse habeat. Tum enim ueritatis reuerentia, præceptoris obseruantiæ debet anteferri. Cauenda tamē in hoc genere arrogantia, æmulatio, inuidia, maledicentia: quibus affectibus nostra ætate nōnulli impulsi, magistris suis malam gratiā retulerunt: non sine ingrati & peruersi animi crimine. Quos non puduit in eos scribere, sine quibus nihil scribere ipsi potuissent. Ad hunc modum Diogenes coarguit maledicum filium quendam, cùm diceret: non te pudet, patri maledicere? absq; quo si esset, proloqui ne uerbum quidem posses.

Discipulus ne temerè magistrū reprehendat.

Cuculi & serpentes.

CIII. SENTENTIA.

Quā quisq; norit artē: in hac se exerceat.

EXPLICATIO.

Ἔρδοι δ' ἕκαστος ἣν τιν' εἰδείη τέχνην.

Vetatur

Sua cuiq; curanda sunt.

Vetatur hoc dicto & ἀπραγμοσύνη, id est, ignauum ocium, & πολυπραγμοσύνη, id est, ne quis in aliena se negocia ingerat, nulla officij ratione coactus. Vnicuique, ne sit ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης (telluris inutile pondus) honesta quæpiam ars discenda est, qua & sibi & suis, & Reipublicæ etiam inseruiat, cùm usus postularit. Verùm hoc nemo neq; ignauo ocio, neq; ἀλόγῳ τριβῇ (exercitatione rationis experte) sed aßiduitate diligētiæ, & methodo certaq; ratione, consequetur.

CIIII. SENTENTIA.

Illam uerò funditus eijciamus indiuiduorum corporum, leuium & rotundorum concursionem fortuitam. Quam tamen Democritus concalefactam, & spirabilem, id est, animalem, esse uoluit.

EXPLICATIO.

Quia (ut suprà dixi) nec ratione demonstrari, nec sensibus comprehendi potest: nec quicquam turpius est, quàm dicere, fieri aliquid sine causa. Videntur Leucippus, Democritus, Epicurus derisisse homines, isto atomorum commento: & (ut Demosthenes quodā loco ait) aut ipsi adeò stupidi fuisse (quod secus est) aut alios ita stupidos indicasse. Huic

Atomi per ludibrium celebratæ.

commento

commento parùm dißimilis eſt Anaxagoræ ὁμοιομέρεια, id eſt, ſimiliū particularū quaſi confluxus quidā. Cæterùm huiuſmodi oſtentatores, magis ipſi deridendi & explodendi ſunt, uel propter abſurditatem opinionis, & ingenij petulantiam: uel propter obſcuritatem: etiamſi concedas, eos, ex minimis principijs maxima quæq; gigni, ſic innuere uoluiſſe: quod quidam opinantur, ut antè dixi. Præterea atomorum Democriti concurſio fortuita, ſi concalefacta & ſpirabilis (id eſt, animalis) eſt: calorem aliunde habet: eoq; atomi non ſunt principia rerum omnium: cùm aliquid habeant ſe & antiquius & potentius, calorem inquam & ſpiritum: niſi fortè hi ex ipſis atomis oriri dicantur: ſicut rota, per ſe frigida, agitatione concaleſcit, adeò, ut etiam flammam eiaculetur. Sed nugarum ſatis, ac potius plus ſatis: niſi hoc addere libeat, inter Ariſtotelis opera extare libellum περὶ τῶν ἀτόμων γραμμῶν (de lineis indiuiduis) & nō tantùm leuia & rotunda ſtatui corpora illa, ſed etiam anguloſa & hamata, ut inter ſeſe cohærere poßint,

Anaxagoræ ὁμοιομέρεια.

CV. SENTENTIA.

Is autem animus (τὸ QVI, abundare puto) ſi eſt ex aliquo horum quatuor generum

Animus ſi eſt igneus: ſurſum fertur.

nerum (elementis) ex quibus constare omnia dicuntur: ex inflammata anima constat (ut potissimum uideri uideo Panætio) & superiora capessat necesse est.

EXPLICATIO.

Alia uidetur esse corporum cœlestiũ materia, quã terrenorũ.

Ex elementis constare dicuntur inferiora corpora lapidum, stirpium, animantium: in quibus sit aliquid, quod cum terra, aqua, aëre, igni, proportionem & cognationem aliquam habeat. Sed Plato (ut antè diximus) ne cœlestia quidem corpora pura puta esse cẽset: quòd nec sine terra solidum, nec sine igni, lucidum quicquã esse poßit. Quod ut ita esse cõcedamus: longè certè aliam terram, alium ignem, quàm hũc nostrum esse, cõsentaneum est, & quintam illam Aristotelis naturam referre. Cœlestia enim corpora, omnium qualitatum expertia esse censent: ut nec caleãt nec frigeant, nec humida neq; sicca sint per se & re ipsa. Talia quidem dici, quòd talem uim et caloris & siccitatis & frigoris & humoris imprimere corporibus inferioribus existimẽtur. Ignem porrò & igneum animũ ferri sursum: naturæ quidem ordine concedi potest. Sed nõ præscribitur diuinæ potentiæ, nõ alligatæ causis secũdis. Quæ si Luciferum præcipitauit in Tartarum: impiorum animos ignea ista na-

tura

tura ab interitu non uindicabit: & fulmina descendũt, sed fortasse uiolento motu. Aonius autem Palearius, ignem, quem purgatorium uocant, infra orbem Lunæ collocans, nemini patêre aditum in cœlos, nisi illo transito, ἢ φυσιολογεῖ ἢ μυθολογεῖ. Nam quid poëtæ sentiant, coniectare difficile est: cùm fabulis delectentur, & admirabilitatem captent. Cæterùm ignis ille (ut concedatur ita esse) animos piorum incorporeos, & corpora spiritualia, lædere nequaquam poterit; sicut neq; angelos, nec Christum descendentem aut ascendẽtem potius, læsit.

Purgatorium ante Lunam.

CVI. SENTENTIA.

Nihil enim habent hæc duo genera (aer & ignis) proni, & supera semper petunt.

EXPLICATIO.

Si uentus est agitatio aëris: isq; arbores radicitus sæpè euellit, & ædificia euertit (id quod, me puero, accidisse memini) etiã proni aliquid uidetur habere: nisi fortè dicas, aut agitationem illam esse uiolentam & contra naturam eius: aut, eum, è terræ cauernis erumpentem, ista designare. A Platone quidem definitur: ἀὴρ στοιχεῖον, ὃ πᾶσαι αἱ

Motus aëris multiplex.

κατὰ τόπον κινήσεις, κατὰ φύσιν εἰσὶν.(eiuſmòdi eſſe elementū aërem, cuius omnes loci mutationes, ſecundum naturā ſint.) Ita & ſurſum & deorſum & in orbem mouebitur.

CVII. SENTENTIA.

Ita ſiue diſſipantur (id eſt, animi euaneſcunt, & quaſi in nihilum recidunt) procul à terris id euenit.

EXPLICATIO.

Animos nō deſcendere ad Inferos, probare uult Cicero.

Et ex conſequenti, non deſcenderūt ad Inferos, ut poëtæ tradunt, & uulgo perſuaſum eſt. Propterea tamen nec immortales ſunt. Verùm Ciceroni (ut dictum eſt.) non tam probatio immortalitatis hoc loco eſt propoſita: quàm cōfutatio opinionis de animis, poſt obitum apud Inferos uerſantibus, quòd aëria & ignea natura animi, non ad centrum, ſed à centro ad ambitum (τὴν περιφέρειαν) id eſt, ad cælum feratur.

CVIII. SENTENTIA.

Animus penetrat aërem.

Siue (animi) permanent & conſeruāt habitum ſuum (*τὴν ἕξιν, ἥτις ἀντίκειται τῇ στερήσει, τὸ εἶναι ἢ τὴν οὐσίαν, καὶ τὴν φύσιν τὴν ἀνωφερῆ*) hôc magis etiam neceſſe eſt ferantur ad cælum, & ab his perrumpatur

&

& diuidatur crassus hic & concretus aër: qui est terræ proximus.

EXPLICATIO.

Est & hoc argumentum superiori consentaneum, ac potius idem, alijs uerbis pronunciatum: quod ductum esse diximus à proprio naturæ igneæ motu. Quòd si Platonicis igneũ est cælum: ne animum quidem ex elemento ignis constare, absurdum illis fuerit. Elementa porrò, quamuis (ut dixi) corpora simplicia dicantur: tamen siue certo arcanoq; naturæ ordine, siue propter salutem & commoditatem animantium, inter sese permiscentur. Vnde & colorem & saporem & odorem consequi traduntur: alioqui talium qualitatum expertia futura. Habet itaq; terra & aquei aliquid, & aerij & ignei: aqua item nec terræ, nec aëris est omnino expers: eodemq; modo aër & ignis. Cæterùm aëris magna sunt, pro uarietate locorum, discrimina: et pro his, etiam ingeniorum acies uel subtilior uel retusior: ut notũ est de Atticis & Bœotijs, de Græcis & Barbaris. Sed tamen diuturnitate temporum, & mutationibus imperiorum, & ratione uictus, istiusmodi differentiæ penè in contrarium uersæ sunt. Ac ne olim quidẽ uel Græcis stulti, uel Barbaris uiri cordati defuerunt.

Elementorum per mistio.

Aeris uis, & mutatio ingeniorũ.

runt. Sed iudicium fit, in hoc genere similibusq; rebus, ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, id est, ab eo quod præcellit atq; frequẽtius est: Vt, si dicas: Turcos esse crudeles: nõ idcirco negaueris, aliquos etiam humanos & clementes inter Turcos reperiri: sed lõgè pauciores ijs esse, qui immanitate belluina grassẽtur in imbecilliores.

CIX. SENTENTIA.

Calidior est enim, uel potius ardentior animus, quàm est hic aer: quem modò dixi crassum atq; concretum.

EXPLICATIO.

Calor iste animi atq; ardor coniectari uidetur ex mirabilibus animi operibus, summaq; celeritate, flagrantiaq; cupiditate. Quòd si aer sursum tendit: quantò magis animus? Vnde autem ille ardor intelligitur? Ex halitu, è uehemẽti agitatione corporis, ex iracundia, & (ut modò dixi) è cupiditate & intentione ingenij, densam errorum caliginem & discutientis & illustrantis. Sed nunquid ardentior est humanus animus leonino & aquilino? à quorum ardore si uincimur: nónne illi (si hæc ratio ualeat) altius nobis ascendẽt?

Ardor Leonis & aquilæ maior, quàm hominis.

CX. SENTENTIA.

Quod ex eo sciri potest: quia corpora

nostra

nostra terreno principiorum genere cõfecta (materiam terrenam dicit: confectorem autem Deum non nominat) ardore animi concalescunt.

EXPLICATIO.

Id est, ardor animi corpora per se frigida calefacit. Et caliditatis signum est ἡ ψύχωσις, id est, animatio (ut ita dicam) corporũ: ipsa uerò caliditas, ascensionis. Cæterùm ardor iste animi, à Mose imago Dei, & spiritus uitalis à Deo inditus, dicitur. Imago Dei, & spiritus uitalis.

CXI. SENTENTIA.

Accedit, ut eò facilius animus euadat ex hoc aere (quem sæpe iam appello crassum) eumq; perrumpat: quòd nihil est animo uelocius: nulla est celeritas, quæ possit cũ animi celeritate cõtẽdere. Animi celeritas eximia.

EXPLICATIO.

Nec sagittæ, nec globi bombardici, nec uenti, nec secũdo uento concitatæ naues, nec præcipites torrentes, nec Nili aut Rheni catarrhactæ, nec ignes, nec ipsa fulmina. Tertium hoc argumentum immortalitatis numerari potest, sumptũ siue ab adiunctis animi, siue ab effectis, id est, à ui & efficacitate. Nam celeritas incredibilis, & amplitudo immensa, Animi diuinitas Physicis est naturalis facultas.

& inexplebilis auiditas animorum, præteritarumq́; rerum noticia, futurarũ prouidentia, præsentium intelligentia, earum quæ corpore uacant, comprehensio & perceptio, diuinitatem quandam animorum arguũt. Quos tamen, qui mortales esse uolunt: ijdem hæc δύναμιν φυσικὴν esse aiunt, ut in magnete ferri, in succino paleæ attrahendæ: in echeneide siue torpedine (quam & remoram dicũt) sistendi nauigij uim: in aquila Solis aduersos radios oculis non conniuentibus intuendi, & præpete uolatu altissima nubila penetrandi facultatẽ. Huc accedit, quòd in plerisq; illud Metrodori accidit, ὅτι αὐξανομένῳ μὲν τῷ σώματι, συναύξονται: μαραινομένῳ δὲ, συμμαραίνονται αἱ φρένες. Hoc est: Ingenia unà cum corporibus adolescunt: unaq; cum ijs tabescentibus, cõtabescũt. Videmus certè et experimur, plerunq; maiorem ingenij uim in adolescentibus et iuuenibus esse: in senibus uerò plerisq; omnia tardiora & segniora. Quibus tamen prudentiæ laus maior, ob diuturnum rerum usum, & eruditionem, longa ætate partã, tribuitur. Et tamẽ ijdẽ, lõgius ætate pgressi, debilitatis corporis uiribus, et sensib. hebetatis, in obliuionẽ & deliriũ plerunq; incidũt. Ita & hæc omniũ potẽtissima et firmissima in speciẽ ratio,

Ingenia senio deficiunt.

ratio, nisi diuinis fulciatur & roboretur oraculis, labascit atque corruit. Tanta est uanitas humanæ superbiæ atq; sapientiæ.

CXII. SENTENTIA.

Qui, si permanet incorruptus, suiq; similis: necesse est, ita feratur, ut penetret & diuidat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, uentiq; coguntur: quod & humidum & caliginosum est propter exhalationes terræ. Quam regionem crassi aeris cùm superauit animus (hanc Hermes Trismegistus attingi à montibus quibusdam & promontorijs tradit: nec terreum quicquam ulterius posse ascendere) naturamq; sui similem contigit & agnouit: iunctus ex anima tenui, & ex ardore Solis temperato: ignibus insistit: & finem se altius efferendi facit. Cùm enim sui similem & leuitatem & calorem adeptus est: tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem mouetur: eaq; ei demum naturalis est sedes: cùm ad sui simile penetrauit: in quo, nulla re egens, aletur & sustentabitur ijsdem rebus, quibus astra sustentantur & alũtur.

Ignei animi sedes & uictus in igne.

EXPLICATIO.

Hactenus dictum est de natura animi si-

Aeria & ignea natura animi, parum læ-tabilẽ arguit immortalitatem.

ue aeria siue ignea, siue ex aere & igni temperata: & de motu alta appetente: qui quasi peregrinatio est, uel potius ex peregrinatione domum reuersio: nunc ipsam etiam patriam & domicilium addit. Quietem autem animorum declarat similitudine libræ lancium, æquè insistentiũ, ac neutram in partem inclinantium. Sed si elementum ignis infra orbem Lunæ est, in eoq́; insistit animus: quæ tandem est illa beatitudo eius? quæ natura cœlestis? quæ diuinitas? Quòd si propter temperationem, ex ardore Solis, ad Solem ipsum penetrat: nónne propter animam tenuem, pars eius fortasse non minor in aere residebit? & quia compositus est, diuidetur? & quia diuidetur, interibit aliquando? Sed hæc ἀσύςατα καὶ ἄπορα (id est, secum ipsa pugnantia & inexplicabilia) missa faciamus. Hermes autem Trismegistus (quisquis ille fuit) mirabilia quædam philosophatur de animorũ è cœlis in terras descensu: & quæ secum munera à Deo, à geniis, ab anima Mũdi, à planetarum singulorum orbibus deferãt in elemẽtare corpus, explicat: quæ denuo in cœlos ascensuris suis relinquẽda sint locis omnia: ut nihil præter puram mentem (cuius ita perpurgatæ, & quasi omnibus exutæ

Hermetis Trismegisti portẽta de ascensu & descẽsu animorũ.

uesti-

uestibus, ea sit subtilitas & nuditas, ut aciem nostram effugiat) ad Deum Optimum Maximum reportēt. Idem à summo cœli fastigio usque ad orbē Lunæ tradit Dei & geniorum esse habitationem. Ab orbe uerò Lunæ usq; ad terram pertingere aerem, in quo sexaginta sint distinctæ regiones, & quasi prouinciæ, suis limitibus determinatæ. In iis regionibus uersari animos, et partim relictis corporibus ascendere: partim ex aere in corpora descēdere. Id uerò, cùm corpora subeāt, suppliciū esse animorū. Nam intra Lunā & terrā, etiam alij tradiderūt, esse ortus & interitus locum: supra Lunā æterna diuinaq; omnia. In ascensu autem quò quisq; animus purior sit & melior: eò altiorem & illustriorem aeris locum obtinere. Et in fine huius narrationis addit, Μίαν μὲν καὶ τὴν αὐτὴν τῶν ψυχῶν σύστασιν εἶναι: οὐκ ἔτι δὲ τιμήν. *Hoc est, Vnam atque eandem esse naturam animorum: sed honorem & dignitatem non eandem: qua quidem in parte non admodum à D. Paulo dissentit, dicente: ut stella alia aliam splendore antecellat: ita esse etiam mortuorum resurrectionem. Sed cùm istius Mercurij (utcunque ter maximus dicatur, ob philosophiam, regnum & sacerdotium)*

non

non sacrosancta sit autoritas: & (si Goropio credimus) Aegyptij ueteres, illi omnes suos libros, ut Thraces & alij Orpheo inscripserint: & quæ illorum nomine extant, diuersorum, ac nõnulla recentium autorum sint: si ergo ista ita se habent, nec firmis rationibus probari possunt: audiamus cætera tanquam fabellam non iniucundam, quæ ipsa nouitate & admirabilitate non parùm delectat homines curiosos. Christus aũt quamuis dicat, in domo patris sui multa esse domicilia: tamen nec numerum neque locum definit. Satis itaque nobis esse debet, quòd in ijs domicilijs beati futuri simus. Quæ enim nũc credimũs: ea suo tempore experiemur.

Domicilia cœlestia.

CXIII. SENTENTIA.

Animus cum ad sui simile penetrauit: in eo, nulla re egens, aletur & sustentabitur ijsdem rebus, quibus astra sustentantur & aluntur.

EXPLICATIO.

Alimenta deorum.

Nunc etiam pastum decernit animis, qui qualis sit (si quis tamen est) non dicit. Alentur autem fortassis (loquor hic philosophicè & potius poeticè) Nectare & Ambrosia.

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽ οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον:

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Nec nigra uina bibunt, Cereris neq; dote fruuntur.

Sanguinis expertes, uita durante beati: ut de diis suis fabulatur Homerus: quibus etiam sedem, illorum præstantia dignam, assignat, (ὄμβρῳ

Οὐλύμπου ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί: ὃ οὔτε ποτ'
Δεύεται οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται.

Quæ non concutitur uentis, non imbre madescit

Cœli firma domus, nullo mutabilis æuo.

Nam illorum opinione, qui terræ uaporibus ali sidera garriunt, nihil fingi potest ineptius: quòd illi uapores nec quorundam montium (ut ex Hermete didicimus, & docet experientia, in altissimis montibus serenitatem esse, cùm infrà sint nubila & imbres) cacumina attingunt; & tantilli sunt, immensi cœli respectu, ut ne minimã quidem fixam stellam (Mercurius enim, Venus & Luna minores esse terra perhibentur) quarum nulla sit, quin decies & octies magnitudine terrã excedat, à fame uindicare possent. Sol autẽ (si fame urgeretur atq; siti) uel in una cœna totam terram deuoraret, & Oceanum cum omnibus fluminibus exhauriret. Christus item

Absurda eorum opinio, qui terræ marisq; uaporibus censent ali corpora cœlestia.

Christus humanę sapientiæ stulticiam arguit.

item seruator noster, Sadducæorum delirium grauiter castigans, πλανᾶσθε, inquit, οὐκ εἰδότες τὰς γραφὰς, οὔτε τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ. ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται: ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσίν. Animi ergo soluti corporibus, neque ueste neq; cibo & potu egebunt: sed maiestate Dei amicti, inenarrabili illius conspectu in omnem æternitatem satiabuntur. Notetur hic obiter grauissima rationis humanæ reprehensio: qui (inquit sacrosancta Christi autoritas) scripturas ignorant, ij mortuorum resurrectionem, æternamq; uitam, animi sui imbecillitate, non diuina potentia metiuntur: hoc est, philosophi omnes de rebus diuinis & statu post mortem animorum, in maximis uersantur erroribus.

CXIIII. SENTENTIA.

Affectus praui, homines faciunt miseros.

Cúmque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes ferè cupiditates: eóque magis incendi, quòd iis æmulamur, qui ea habent, quæ nos habere cupiamus: profectò tunc erimus beati, cùm corporibus relictis, & cupiditatum & æmulationum erimus expertes.

EX

EXPLICATIO.

Et animos à corporibus, & ab animis affici corpora, ita constat, ut nemo sit, quin hoc in semetipso frequenter experiatur. Constat item pro ratione temperamenti (quas medici compléxiones uocant, Galenus κρᾶσιν appellat) uarios effici mores, uaria studia excitari in hominibus. Itaque biliosi (quos uulgò cholericos dicunt, parùm propriè, cùm χολέρα non naturalem humorem, sed morbum quendam, eumq́ permolestum significet) ferè sunt ingeniosi, iracundi, ambitiosi, diserti, Mathematicis disciplinis percipiendis apti. Melancholici, tristes, taciturni, inuidi, poesi accommodati, nisi sit asinina quædam Melancholia. Phlegmatici somniculosi, tardi, doctrinæ morum apti: ij uerò, quos sanguineos appellant, sunt hilares, animosi, alacres, ingeniosi, studio rerum naturalium & medicinæ gaudentes. Quod cùm ita sit: non ita pridem utilis libellus à Ioseph Valdanio scriptus est, de perturbationibus animi, medica ratione ad tranquillitatem, aut certè ad moderationem aliquam reducendis: id quod fiat & prauis ac superuacaneis humoribus expurgandis, & ratione

Ἀλληλοπάθεια, & mutua affectio corporum & animorum.

Medici animorum & corporũ.

uictus

uictus, naturæ cuiusque accommodanda. Ioannes item Vuierus de iræ morbi curatione philosophica, medica & Theologica nuper librũ scripsit: pereruditè atque utiliter & externis & internis remediis cõiunctis. Extat & Gregorij Palamæ disputatio corporis & animi: utrum alteri sit causa prauitatis & calamitatis? quæ ita explicatur: ut omnis culpa in animum, cui à natura dominatus corporis mandatus sit, transferatur. Addenda hic est appendix è Catone: At illa quanti sunt, animum, tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse; secumque, ut dicitur, uiuere? Beatitatem igitur his uerbis statuit Cicero, siue Stoicam ἀπάθειαν, siue Democriti εὐθυμίαν, id est, tranquillitatem animi: in quem profectò magnam exercent tyrannidem affectus, eique eripiunt libertatem. Sed nos in tot uitæ casibus, in tot tantisque morbis & læsionibus corporum, in tot improborum hominum aduersationibus & oppugnationibus uel insidiosis uel uiolentis, Aristotelicam μετριοπάθειαν, id est, affectuum moderationem, consequi si possumus: præclarè nobiscum agi putemus. Sed ista στερητικὴ εὐδαιμονία, id est, felicitas in uacuitate malorum

Ἀπάθεια & uacuitas perturbationum, non parua felicitatis pars.

Rebus humanis non moueri, arduum est.

lorum posita, quanti tandem æstimāda est? Videtur enim perinde esse, ac si nihil debeas, nec tamen teruncium habeas, unde panem possis emere. Christus autem θελικὴν εὐδαιμονίαν, id est, eiusmodi felicitatem, quæ uera bona afferat, nobis proponit, τὴν τῆς θείας συνουσίας ἀπόλαυσιν, id est, diuinæ familiaritatis fructum. Christiana enim felicitas in altera illa uita, tribus quasi partibus uidetur constatura esse: θεογνωσίᾳ, θεοσεβείᾳ, φιλαδελφίᾳ, id est, cognitione & cultu Dei, & fraterna charitate, qua pij homines & cū Deo ipso, & cū sanctis geniis cōiungentur, & quasi in unū quiddam conflabuntur.

Vera felicitás est, non carere malis, sed frui bonis.

CXV. SENTENTIA.

Quódque, nunc facimus, cùm laxati curis sumus, ut spectare aliquid uelimus & uisere (fortasse scire) id multò tum faciemus liberius: totosq; nos in contemplandis rebus perspiciendisq; ponemus.

EXPLICATIO.

Modò priorem felicitatis partem, τὴν ἀπάθειαν καὶ εὐθυμίαν exposuit: hic τὴν θεωρίαν τῶν ὄντων, alteram felicitatis partem statuit: quanquā primo extremo de officiis paulò secus: sed utrobiq; ad institutum accōmodatè differit. Illic enim ciuilis societatis ratio

Contēplatio mirabiliū rerum, altera felicitatis pars.

nem habet: quæ, in hac inopi & ærumnosa uita maximè actionẽ desiderat: nec satis est, θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, nisi etiã sis πρακτικὸς τῶν δεόντων. Id est, cõiungenda est uirtutis actio cum inquisitione ueritatis. Hic autem de animis singulorum, corpore solutis, nulláque re indigentibus, & ocio abundantibus, agit. Quod ocium cùm & studiosis adolescentibus optatissimum, nullísque curis & solicitudinibus interpellatum, nulla indigentia impeditum (nisi ignauia, luxu, nequitia, superbia, ipsi de sese malè mercantur) uel benignitate parentum, uel patronorum liberalitate contigerit: quid causæ est, quò minus tractent contemplentúrque res cognitione dignissimas? Et cum eis, quæ ad uictum cultúmque pertinent, quasi uirgula diuina, ut aiunt, suppeditentur: cur non optimo quisque ingenio, negociis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret? Sed non sine causa uiri sapientes pronunciarunt, difficile esse, ἑαυτὸν γνῶναι (se nosse) χαλεπὸν δὲ διαθέσθαι (ocium bene collocare) ἀδικούμενον ἀνέχεσθαι (iniuriam tolerare) μηδὲν ἁμαρτεῖν (nunquam impingere. Verùm hic scrupulus quidam nobis injicitur; cùm tertio de officiis finem bonorum, etiam

Adolescẽtes ociũ & cibũ alienũ utinam rectè collocarent.

etiam dum sumus in his inclusi compagibus corporum: simplicem & unius esse generis oportere dicat: quomodo hic soluti animi beatitatem, ex tranquillitate & contemplatione quasi coagmentat? Vtrum ἡ ἀπάθεια καὶ ἡ θεωρία unum quiddam illi sunt? & uno indissolubili societatis uinculo continentur? Theologi certè quidē (ut modò attigi) felicitatē statuūt sitā esse ἐν θεοψίᾳ καὶ θεοσεβείᾳ, καὶ θεοφιλίᾳ. Neq; tamen interim negant τὴν φιλαδελφίαν, & immortalium corporum ac spiritualium agilitatem immensam: ut puncto temporis, ubi uelint, ibi esse poßint. Hæc beatitudo nos inflammare cupiditate uitæ cœlestis debebat: & ab amore terrenarū rerum auocare: eos item, qui morbis, paupertate, calamitatibus alijs premuntur, consolari, cogitantes, illa breui esse finiēda, & ea successura, quibus meliora ne optari quidē, aut animis concipi poßint. Felicitas è pluribus quasi partibus coagmētatur.

Appendix è Catone.

Si animus habet aliquod tanquam pabulum studij atque doctrinæ: nihil est ociosa senectute iucundius. Doctrina est pabulū animi.

Alia è primo de officijs.

Veri cognitio maximè naturam attingit

humanam Omnes enim trahimur & ducimur ad ſcientiæ & cognitionis cupiditatem. Iſocrates Paræneſi : τὰ μὲν σώματ⊕, τοῖς συμμέτροις πόνοις: ἡ δὲ ψυχὴ, τοῖς σπουδαίοις λόγοις αὔξεσθαι πέφυκε.

CXVI. SENTENTIA.

Veri uidēdi cupiditas. Propterea quòd & natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas (ἀπλησία τὶς) ueri uidendi: & oræ ipſæ locorum illorū, quò peruenerimus: quò faciliorē nobis cognitionem rerum cœleſtium, eò maiorem cognoſcendi cupiditatem dabunt.

EXPLICATIO.

Obſeruandus ordo: primum eſt ἡ φυσικὴ φιλομαθία, de qua Ariſtoteles, πάντες, inquit, ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. Id eſt. Omnes homines natura ipſa impellit ad ſcientiæ cognitioniſq; cupiditatem. Alterum eſt locorū opportunitas: deniq; cum hac coniuncta cognitionis facilitas. Sentētia igitur huius loci eſt, naturalem illā ſciētiæ cupiditatē, & loci cōmoditate, & facilitate cognitionis, maximopere auctū iri. Nūc enim homines, etiā nec ignaui, nec ſordidi, ſed ſciētiæ cupiditate flagrātes, non pauci, mathematum difficultatibus, & ab interiore philoſophia

Facilitas cognitionis alit ſtudium.

per-

perquirenda, & à rerum cœlestium contemplatione deterrentur.

CXVII. SENTENTIA.

Hæc enim (rerum cœlestium) pulchritudo etiam in terris patriam (alij patritam, inepte opinor) illam & auitam (ut ait Theophrastus) philosophiam, cognitionis cupiditate incensam excitauit.

EXPLICATIO.

Admiratio, inquit, rerum cœlestiũ peperit philosophiam, hoc est, inquisitionẽ causarũ ortus & occasus. Solis, longitudinis & breuitatis dierũ, discriminis quatuor anni tẽporum, eclipsium, magnitudinis stellarũ, diuersitatis prouinciarum: eorũ item, quæ in sublimi fiunt, atque à physicis μετέωρα appellantur. Vulgus hominum uidet ista quidem & sentit: sed cur ita fiant hæc & similia, minimè considerat. Atque adeò Lactantius, uir alioqui doctus, nec indisertus, perridiculus est in exagitanda doctrina philosophorum de Antipodibus & rotunditate Mundi: usque eò delirans, ut cœlum planum & extensum esse putet: non considerans, quàm multa, si ita esset, & fierent, quæ nunc non fiunt: & non fierent, quæ indies fieri cernimus.

Vulgus, q̃ fiunt, uidet: causas negligit.

Sed ineptiæ hæ satis firmis argumentis sphæricæ doctrinæ refutantur. Antiquissima porrò philosophia in contemplatione cæli, naturæq́; rerum, potissimum occupata fuit. Vnde Pythagoras ad amicum quendam scribit: ὅτι οὐκ ἀεὶ καλὸν αἰθερολογίη: ἀλλὰ δεῖ καὶ τῇ πατρίδι μελεδωνὸν γενέσθαι. *Hoc est, non semper probari cælestium rerum disputationes: sed & patriæ curam suscipiendam esse. Quæ & Socrati causa fuisse uidetur philosophiam è cælis in terras deuocãdi: quæ profectò ualde friget (ut autor noster libri secundi proœmio conqueretur) nisi igne cælesti concaluerit.*

CXVIII. SENTENTIA.

Vita studiosa, uitam post mortẽ adiuuat.

Præcipuè uerò fruẽtur ea, qui tũ etiã, cùm has terras incolentes circũfusi erãt calígine: tamen acie mẽtis díspicere (hoc est, quasi per caliginem & nebulas ad claram lucem penetrare) cupiebant.

EXPLICATIO.

Multũ nos noxia corpora tardãt: Terreniq; hebetant artus, moribun-

Non ea est, inquit, acies nostræ mentis, ut ueritatẽ ipsam perspiciamus: sed ignoramus multa, in errores multos incidimus. Itaq; Socrates moriturus, disputat, philosopho nihil optabilius esse morte: ut qui sit cognoscendæ

uerita-

ueritatis appetẽtiſsimus: cuius aut tũ demũ ſit compos futurus, aut nunquã. Illuſtri autẽ ſimilitudine utitur Cicero: quemadmodum, inquit, oculos nebulæ & nubes impediunt, quò minus res paulò remotiores, ita uti ſunt, perſpiciãt: ſic corporis mole mens à cognoſcẽdi ueritatẽ, quaſi maceria quadã interiecta, repellitur. Eandem in rebus diuinis caliginem capite 13. epiſtolæ primæ ad Corinthios multò etiam euidentius deſcribit D. Paulus, his uerbis: βλέπομεν ἄρτι δι᾽ ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι· τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δ᾽ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. *(Nunc per ſpeculum cernimus per ambages: at tunc præſentes coràm. Nunc aliquatenus cognoſco: at tunc recognoſcam: quemadmodum recognitus ſum.) Continetur autem hic præclara* παραίνεσις καὶ παράκλησις: *Chriſtianis à cœlo, ad cœlorũ autorẽ Deũ, & angelos, omnesq́; ſanctos transferenda. Vnde D. Paulus exclamat,* ὅτι ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανῷ ἐστι *(rempublicam noſtrã in cœlo eſſe) Et alibi:* ὅτι οὐκ ἔχομεν ἐνθάδε πόλιν διαμένουσαν· ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν *(nos hic non habere permanentẽ ciuitatẽ, ſed futurã inquirere.) Et,* ἐπιθυμῶ ἀναλύεσθαι καὶ σὺν τῷ χριστῷ

daq; membra.

Vera cognitio æternæ uitæ reſeruatur.

Spectacula terrena sordent collata cœlestibus.

(cupio dissolui & uiuere cum Christo. Hæc cupiditas æternæ uitæ, excitanda & alenda est, tum despiciētia rerum humanarum (earum præsertim, quæ non necessitati, sed luxui seruiunt) cùm eæ plenæ sint errorum, falsarum opinionum, flagitiorum, scelerum, insidiarum, periculorum, miseriæ deniq; infinitæ: tum lectione & auscultatione sacrarū literarum: tum meditatione æterni boni, id est, ipsius Dei, in quo uno, cætera bona omnia insunt. De his Paulina hæc sententia teneatur.

Non oculus uidit: non audiit auris: in altos
Pectoris haud penetrāt felicia dona recessus,
Quæ Deus instruxit se depereuntibus, antè
Quā iaceret uasti fundamina prasci⁹ orbis.

Idem monet, ne ἐπενδυσάμενοι γυμνοὶ εὑρεθῶμεν*: id est, ne diuinam gratiam temerè effundamus: & Christus affirmat,* ὅτι τῷ ἔχοντι δοθήσεται*: hoc est, dona diuina augeri in iis, qui ea solicitè & gratis animis custodiāt.*

CXIX. SENTENTIA.

Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti uiderunt, & eas angustias, per quas penetrauit ea, quæ est nominata,

Argo, quia Argiui in ea delecti uiri

Vecti petebant pellem inauratam arietis:
aut ij qui Oceani freta illa uiderunt:
Europam Libyamq́; rapax ubi diuidit unda:
quod tandem spectaculum fore putamus, cùm totam terram cõtueri licebit?

EXPLICATIO.

Descendit Cicero (si dicere fas est) ab equis ad asinos, hoc est, à cœlis in terras: ut & Scipio facit in Somnio, quem Paulus pater, terram intuentem castigans, quaeso, inquit, quousq; humi defixa tua mens erit? non aspicis quae in templa ueneris? Et Virgilius Despicim⁹ potius, q̃ suspicim⁹.
Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusq́; uidet nubes et sidera Daphnis.
Sed tamen, quamuis cœlestia terrenis infinito utiq; interuallo, propter et magnitudinem & pulchritudinem splendoremq́; praestent: terrena haec nõ, nisi è superiore loco monstrare Cicero potuit. Vnde argutari liceat, eos, qui è terris cœlestia suspiciant, feliciores esse (hac quidem in parte) ijs, qui è cœlo terrena despiciant. Sed ea est cœli amplitudo atq; immensitas, ut abundè diuinorum miraculorũ, uel neglecta terra, suppeditet: quae non modò cœlo, sed uni Soli collata, uix puncti instar obtinet. Et quid sunt omnes amœnitates & deliciae terrae, si uel cũ unica stella cõparẽtur?

CXX. SENTENTIA.

Pictura terræ quædã, è sublimi æthere cõspicienda.

Eiusq; (terræ) cùm situm (in centro Mundi) formam (uel rotundam uel cordi uel ouo similem) circumscriptionem (limites & terminos. Pendet autem in aëre: nec sursum ferri potest, cùm sit grauissima: nec cadere deorsum, cùm sit infima: & cælum undiq; sursum: cuius cæli motu rapidissimo, diuinæ prouidentiæ nutu, stabilitatẽ suam tueri putatur. Psalmo autem 74. Deus se terræ columnas confirmasse dicit, quòd nulla re, nisi manu, id est, potentia sua sustentetur: circumfusam intra suos alueos Oceano: & mari, fluuijs, montibus, syluis, paludibus quasi interruptam) tum & habitabiles regiones (quinq; Zonas hîc attingit: de quibus in Somnio quoq; agit: quæq; à Virgilio & Ouidio eleganter describuntur) & rursum omni cultu propter uim frigoris (ut quę sub polo Arctico & Antarctico sitæ sunt) aut caloris (ut Zona torrida sub Aequinoctiali) uacantes.

EXPLICATIO.

Loca ueteribus incognita inculta [illegible]

Nostra ætate constat, etiam in his, quas incultas putarunt ueteres, habitare homines:

nes: & quidem satis commodè: idq; magis industria incolarum, quàm clementia cœli, & terræ bonitate. Abundat Septentrio apibus, unde mel & aqua mulsa præstantissima, & cera conficitur, & piscibus, qui uel fumo uel Sole durantur, & preciosis ferarum pellibus, quæ in remotissimas prouincias exportãtur. Itaq; τὸ ἀοίκητον uidetur esse τῶν πρός τι, ut Laponia fuerit ἀοίκητος Troglodytæ, perusto Solibus: & Troglodytica Laponi, intra ursorum pelles, rigori nobis intolerabili assueto. Rectè igitur Scythæ apud Iustinum asserunt: naturam cùm primùm incremẽta caloris & frigoris regionibus distinxerit: statim ad locorum patientiam animalia quoq; generasse. Sed & arborum atq; frugum pro regionum conditione, aptè genera uariata. Hactenus ille. Sed & nos quotidie uidemus in agricolis & mendicis nostratibus, in tolerandis frigoribus & æstibus, quantum ualeat consuetudo.

CXXI. SENTENTIA.

Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quæ uidemus.

EXPLICATIO.

Scilicet solis. Cadauer & surdũ & cæcũ est, quamuis

Instrumentū est corporis, facultas, animi.

quamuis & oculos & aures habeat integras: quæ quidem sunt αἰσθητήρια, quasi uasa & instrumenta uisionis atq; auditionis: non ipsæ αἰσθήσεις: id quod Plato his uerbis docet: ἡ αἴσθησις, ψυχῆς ἐστὶ καὶ σώματος κοινωνία, πρὸς τὰ ἐκτός. ἡ μὲν γὰρ δύναμις τῆς ψυχῆς: τὸ δ' ὄργανον τοῦ σώματός ἐστιν. Ἄμφω δὲ διὰ φαντασίας ἀντιληπτικὰ τῶν ἔξωθεν. Hoc est. In externis rebus sensu percipiēdis, animus & corpus mutuas tradunt operas. Nam ipsa quidē uis & facultas sentiēdi, est animi: instrumentum uerò corporis. Ambo porrò res externas per phantasiam (uulgò imaginationem, inusitata ueteribus uoce dicunt: Cicero uisa & uisionē et imagines (nisi fallor) apprehendūt.

CXXII. SENTENTIA.

Sensus corpori à Cicerone detrahuntur.

Neq; enim est ullus sensus in corpore: sed (ut non solùm Physici docent: uerùm etiam medici: qui ista aperta & patefacta uiderūt) uiæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares, â sede animi perforatæ.

EXPLICATIO.

Animus & corpus mutuas tradunt operas.

Quasi uerò cerebrum, unde sensus oriri putantur, non & ipsum corpus sit, & in corpore, ut pars in toto. Dicitur igitur hoc ἢ ἀναι-

σχύντως

σχιώτως ἢ ἀπεισκέπτως: ῥερητορευμένως γ᾽ οὖν μᾶλλον καὶ ὑπερβολικῶς, ἢ φιλαληθῶς τι καὶ φυσιολόγως. Eruat ſibi oculos Democritus, et animo perſpiciat fibras diſſectorum à ſe animalium. Vlyßis certè ſocij obturatis cera auribus, Sirenum cantum non exaudierunt.

CXXIII. SENTENTIA.

Medici (Anatomici) ea quæ intra corpus ſunt, aperta & patefacta uiderunt.

EXPLICATIO.

Et quidem incredibili ſiue ſubtilitate ſiue curioſitate: nec ſine crudelitatis crimine: ut eſt apud Cornelium Celſum: non minore certè nauſea ſordium, quàm admiratione diuini opificij, ac prouidentiæ diuinæ: ut Galenus docet de uſu partium. Et tamen ſunt, qui illa eadẽ longè alia eſſe putent in uiuentibus corporibus: quàm in ſanguine & ſpiritu deſtitutis, aut elixis & recoctis cadaueribus: id quod Cicero in Lucullo his uerbis attigit. Corpora noſtra non nouimus: quæ poteſt fieri, ut patefacta & detecta mutentur. Anatomicæ ſubtilitates & ſordes.

CXXIIII. SENTENTIA.

Itaque ſæpe aut cogitatione (ἐκστάσει θεία ἢ μελαγχολικῇ) aut aliqua ui morbi (ἐπιληψίᾳ, λειποθυμίᾳ, μανίᾳ, ληθάργῳ) impediti,

pediti, apertis atq; integris & oculis & auribus, nec uidemus nec audimus.

EXPLICATIO.

Sensuum cessatio. *Fit hoc quidem interdum: sed κατὰ συμβεβηκὸς, casu quodam & fortuitò. Sed sensus ipsos per se plurimum posse, declarat Aristoteles, cùm ait: τὴν αἴσθησιν μὴ πλανᾶσθαι περὶ τὸ ἴδιον: περὶ δὲ τὸ συμβεβηκὸς, hoc est, sensum in obiecto suo non decipi: sed in eo quod fortuitò contingat. Animum uerò sine oculis & auribus aut uidere aut audire, ἔκστασις ista non probat.*

CXXV. SENTENTIA.

Animus agit per instrumenta. Vt facilè intelligi possit, animum & uidere & audire: nõ eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi.

EXPLICATIO.

Alludere uidetur ad illud Heracliti: ὁ νοῦς ὁρῇ, ὁ νοῦς ἀκούει: τὰ δὲ λοιπὰ τυφλὰ καὶ κωφὰ πάντα (Mens uidet, Mens audit. Cætera cæca & surda sunt omnia) Esto sint partes animi præcipuæ. Non tamẽ is solus agit. Quid enim uideas, oculis aut erutis, aut clausis, aut læsis, siue externa quapiam ui, siue κακοχυμίᾳ, siue obturatione τῶν ὀπτικῶν πόρων, animo quantumuis intento? Nisi fortè τὴν φαντασίαν, uisionem

stionem dicas. Andromache apud Virgilium, conspecto Ascanio, animo sibi cernere uidetur filium iam olim à Graecis interfectum, cùm dicit:

O mihi sola mei super Astyanactis imago,
Sic oculos sic ille manus sic ora ferebat.

Nec tamen eà phantasia commodè satis fieri potest, sine antegressa uisione.

CXXVI. SENTENTIA.

Non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi (τὰ αἰσθητήρια) quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat & adsit.

EXPLICATIO.

Transferatur hoc ad auscultationes & lectiones. Ingenium ubi intenderis ualet. Docilis est, qui attentè audit. Apud Terentium (quem autorem, quò longius ætate procedo, eò magis admiror) parasitus militi neganti, sibi istuc in mentem uenisse: ὡς κολακευτικῶς μᾶλλον ἢ ἀληθῶς, ridiculum, inquit. Nō enim cogitaras. Cæterùm idē hoc tute melius quantò inuenisses, Thraso? Mihi certè sæpè hoc dubitanti accidit, ut, interrogaturo alios, & quæstionem apud animum meum informāti, ob intentionē utique ingenij, ultrò quod requirebā in mentē ueniret, omni exēpto scrupulo. Attentio multū adiuuat ingenium.

CXXVII.

CXXVII. SENTENTIA.

Mentis cõprehensio amplissima est: sensuum, angusta.

Quid quòd eâdem mente res dissimilimas comprehendimus (sensus uerò singuli res fere singulas & similes) ut colorem (obiectum oculorum) saporem (palati) calorem (sub quo & cæteræ qualitates intelliguntur, ut, calorem, frigus, asperum, leue, molle, durum: quæ sunt obiecta tactus, τῆς ἀφῆς, fusi per totum corpus) odorem (narium) sonum (aurium obiectum.)

EXPLICATIO.

Sensus cõmunis.

Hic sensus communis dicitur in scholis, singulorum sensuum obiecta dijudicans. Apud Epictetum est κοινὴ φρόνησις: quæ Luciano πολιτικὴ σύνεσις est, quæ & ipsa uulgò sensus cõmunis nomine intelliguntur: hoc est, mediocris quædam intelligentia, sine aliquo singulari acumine. Sed ueterum descriptiones in mediũ afferamus. Aristoteles igitur ait. Sensus communis est, qui species seu formas dijudicat, cui singuli sensus simplices sua quisque obiecta conferunt: in quo fit digreßio ab alio ad aliud: ueluti à figura, à motu, à corpore. Is sensus communis in confinio situs est naturæ ratione prædita, & brutæ, memoriæ & mentis

Aristotelis.

tis particeps. Ac ille ad brutos usq; animantes pertingit, quatenus eæ cogitationis proportionem aliquam habent. Idem etiam explicat, quæ obiecta (sic enim uulgò appellantur) quibus sensibus sint inter ipsos communia: ut figuram & uisus & tactus percipiunt: interuallum uisus et auditus: omnes uerò, motum, magnitudinem, numerum. Atq; hæc Aristoteles. Plato autem in Timæo: Est, inquit, & compositus quidam sensus, in quo & omne phantasticum & memoria & opinatio existunt, quæ mentis non sunt expertia. Sentimus autem affectione sensuum. Sed hæc appendix controuersa est. Nam eos alij statuũt affici ab obiectis: alij sensus agere in obiecta: alij (qui quidem rectissimè uidentur sentire) esse ἀλληλοπάθειαν, id est, mutuam quandam actionem & passionem inter sensus & obiecta sensuum: ut, color mouet oculos et uisum, contraq; oculi uim quandam quasi eiaculantur in colorem. Qui quidem color si solus uim agendi obtineret: æquè à cæcis atque oculatis perciperetur. Nam quòd uulgò dicunt, obiectis moueri sensus, ita uerum est, si & ipsi sensus eadem percipiendi facultatem habeant. Platonis. Ἀλληλοπάθεια sensuũ & obiectorum.

Atq; hìc obiter notetur: ad eundem finem cõsequendum, plerunq; plures concurrere causas: Vnius effectus causæ plures.

sas: ut ad parandam eruditionem insignem, requiritur egregium ingenium, diligentes et docti præceptores, boni libri: ὧν οὐχ ἡ κτῆσις ἀλλ' ἡ χρῆσις ὄργανον παιδείας ἐςί: (quorũ non possessio sed lectio instrumentum est eruditionis) diligentiæ assiduitas, imitatio & exercitatio frequens: quæ omnia constare non possunt sine mediocribus facultatibus, quæ ociũ & cõmoditatem studijs suppeditent, & absq; prospera ualetudine: qua ingenium, quamuis præclarum, si careat: languescit, & interrupta exercitatione, quasi obsolescit. Vnde non malè Ouidius:

Adde quòd ingenium longa rubigine læsum,
Torpet: et est longè quàm fuit antè minus.
Item:
Carmina secessum scribentis & ocia quærũt;
Me mare, me uenti, me fera iactat hyems.

Quæ cùm ita sint: studiosi magna religione illud Apellis dictum, tanquam oraculum obseruent: NE QVA DIES ABSQVE LINEA. *Nemo enim, ut opinor est, quin in semetipso experiatur, quantopere studijs incõmodet per aliquot tantùm dies studiorũ intermissio. Sed ad Platonem redeamus, qui naturam sensuum eleganter cum cælo & quatuor elementis comparat. Ait enim uisum cæ*

Nunquam cessandũ.

li

li quandã referre similitudinẽ, auditum aëris, olfactũ ignis, gustatũ aquæ, tactũ terræ.

CXXVIII. SENTENTIA.

Quæ (res dissimilimas) nunq̃ quinq; nuncijs (id est, sensibus. Nam animus regi: sensus ueredarijs, uenustè comparãtur) animus cognosceret: nisi ad eũ omnia referrentur: & is omniũ iudex esset.

Sẽsus sunt animi nuncij.

EXPLICATIO.

Sensus & animus tradunt mutuas operas in cognoscendis & iudicandis rebus. An uerò animi, soluti corporibus, colorem, saporem, odorem, sonum, & ea quæ tactum mouent, ut calidum, frigidum, leue, asperum, & reliquas qualitates cõprehensuri sint: iudicent experti. Mihi quidem spiritus, res corporeas requirere nõ uidentur: neq; nos, dum in his sumus inclusi compagibus corporum, uitam corporis expertem satis intelligere posse arbitror. Et si sunt (quorum est & Tycho Braheus nòster, uir excellenti ingenio & doctrinã) qui in tota rerum natura nihil planè corporis esse expers censeant, præter autorem rerum omnium Deum: Corporum porrò infinita esse discrimina, & ipsa nobis ignota pleraque. Cælos & astra esse corpora, nemo dubitat; cùm sub aspectum oculorum cadant:

An animi soluti corporibus, corporea curẽt, quærendum.

qualia aũt corpora ſint, ſcire puto neminem. Superioris tamen ætatis homines, præſentem opem diuorum ſuorum tutelarium iactarũt, unde & inuocatio eorum orta uidetur eſſe: non minus, quàm ueteres Caſtorum, Panos, Echetli & aliorum lata in periculis auxilia.

CXXIX. SENTENTIA.

Atq; ea (quæ cognoſcimus) profectò tum (ſcilicet ubi corpus reliquerit animus) multò puriora & dilucidiora cernentur: cùm, quò natura fert (in cælum ſcilicet) liber animus peruenerit.

EXPLICATIO.

Animum poſt mortẽ cõditione meliore futurum eſſe, probabile eſt.

Non ſanè deteriore illum conditione fore, quàm nunc ſit, probabile eſt. Sed illud probabilius, eum terrena hæc & corporea neglecturum: rebus melioribus & diuinioribus occupatum. Quis enim, aula ſplendidiſsima ſpreta, ſimetum diutius intueri ſuſtineat?

CXXX. SENTENTIA.

Inſtrumenta ſenſuum ſæpè laborant.

Nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quæ patent ad animum à corpore (τὰ περὶ αἰσθητήρια) callidiſſimo artificio natura fabricata eſt: tamen terrenis concretiſq; corporibus ſunt interſepta quodammodo.

EXPLICATIO.

Intelligit, opinor, ossa, carnes, uenas, neruos, cartilagines, tendines, membranas, & si qua sunt in corporibus id genus alia, è quibus τὰ αἰσθητήρια constant, suosq; meatus habent. Ii porrò siue meatus, siue fenestræ, siue foramina, & κακοχυμία sæpe obstruuntur: & crassis fumis ac uaporibus è crapula maláue ratione uictus, in cerebrum exhalantibus, subinde impediuntur. Neq; profectò ulla uel capitalior uel turpior pestis est, tam corporũ quàm ingeniorum, quàm γαστριμαργία: quo uitio ætas nostra inquinatissima est. Vnde & stupor ingeniorum, & mala corporum affectio, & uitæ breuitas consequuntur. Rectè uerò celebratur illud Heracliti: ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη, id est: siccus animus est sapientissimus. Vel (ut ex Eusebio Beroaldus citat) Aër siccior, anima prudentior & melior. Ἀὴρ ξηρότερος, ψυχὴ φρονιμωτέρα, καὶ ἀμείνων. *Quæ sententia sic intelligenda est, ut ad siccitatem corporis referatur: quòd ingenij & sensuum actiões minus impediat. Etsi immodica quoque siccitas non minus quàm* ἡ κακοχυμία, *& corporibus & animis nocet: unde & senilis existere uidetur obliuio, propter cerebrum pene arefactum, accedente præsertim frigiditate.*

Crapula malos humores, hi mala multa gignũt.

Et siccitas immodica nocet.

ditate. Maiore certè compendio, & per grauiores plerunque cruciatus, si qua inflammatio accesserit, interficit siccitas.

CXXXI. SENTENTIA.

Animorũ spectacula Cicero nõ explicat.

Cùm autem nihil erit præter animum: nulla res obiecta impediet, quò minus animus percipiat, quale quidque sit: quamuis copiosè (id est, copiosissimè) hæc diceremus, (si res postularet) quàm multa, quàm uaria, quàm magna (uel, quãtaque) spectacula animus in locis cælestibus esset habiturus.

EXPLICATIO.

Cicero parũ sibi constat.

Præcîdit longiorem commemorationem τῶν τῆς ψυχῆς ἐπιτηδευμάτων, *quæ* προκαταληπτικῶς *inserta sunt, ne secum ipse pugnare uideatur: qui, cùm suprà Manibus sermonem ademerit, nũc iisdem pari absurditate uisum tribuat.*

Animorũ spectacula.

Quòd si spectacula illa describere uoluisset, eum illa, quæ in Somnio breuiter attigit de naturis Planetarum copiosius enarraturum, & omnem rerum cælestium historiã, καὶ τὴν κατ' οὐρανὸν πολιτείαν *explicaturum fuisse, probabile est: sicut Theologi quidam* τὴν ἐπουρανίαν ἱεραρχίαν *depingunt. Qua de re libellus lectu non iniucundus D. Pothonis*

de

de domo Dei inſcriptus extat, & Dionyſii Areopagitæ de ἱεραρχίᾳ Eccleſiaſtica. Dionyſius item Carthuſianus in libello de quatuor hominis nouiſsimis, de morte, de iudicio diuino, de miſeria impiorum, de felicitate piorũ, omnem ſtatum animorum copioſiſsimè deſcribit. Quo ego legendo, non tam ſuperſtitioſa, quæ (ut illa tempora ferebant) admiſcuit, deteſtatus ſum: quàm ea, quæ ad uitæ correctionem, & cœleſtia meditanda incitant, grato animo amplexus.

CXXXII. SENTENTIA.

Quæ quidem cogitans, ſoleo ſæpe mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur: eiusq; inuentori & principi gratias exultantes agunt: eumq; uenerantur ut Deum.

Inſolentia Epicureorũ, uanæq; gloriationes pſtringuntur.

EXPLICATIO.

Nunc κατ' ἀντίθεσιν tranſit ad inſectationem & deriſionem Epicureæ ψυχοκτονίας καὶ πανολεθρίας: eamq; cum immortalitate comparat: quæ ut uerior non ſit (nam ſiue ab Academica ἐποχῇ nõ recedens, ſiue ſuis argumentis diffidens, rem in medio relinquit) ſit tamen præclarior & iucundior. Etſi profectò

Res dubiæ nec aſſenſionem firmam, nec delectationem uerá habent.

res dubia quantò plus delectationis habeat, quàm iucunda ſomnia, uel ſimul cum ſomno, uel non multò pòſt euaneſcentia: & nihil præter inane ſui deſiderium relinquentia, non uideo.

CXXXIII. SENTENTIA.

Liberatos enim ſe per eum dicũt grauiſſimis dominis, terrore ſempiterno, & diurno ac nocturno metu.

EXPLICATIO.

Nos ab impio & ſtolido Epicuro hæc ad IESVM CHRISTVM *transferentes, cognitionis diuinæ naturæ, & humanæ inuentori & principi, gratias exultantes agamus: eumq́ ueneremur ut Deum.*

CXXXIIII. SENTENTIA.

Quo terrore? quo metu? quæ eſt anus tam delira, quæ timeat iſta? quæ uos uidelicet, ſi Phyſica non didiciſſetis, timeretis?

Acherontia templa, alta Orci, pallida Leti, obnubila, obſita tenebris loca.

EXPLICATIO.

Inferos phyſici negant, Chriſtus aſſerit.

Deliriũ hoc ſumma ſapientia eſt Chriſtianorũ: & ſumma phyſicorũ ſapientia, eſt deliriũ pernicioſum. Nã Inferos eſſe, & ſupplicia æterna:

æterna: Christus, in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ diuinæ, affirmat: qui, ut huius sententiæ rationem nullam afferat (quid enim homini & Deo nō tribuamus?) ipsa autoritate nos frangit. Dura quidem & horribilis est hæc sententia: sed sacris oraculis confirmata, & consensu Ecclesiæ per annos mille quingentos approbata: imò etiam in ueteri testamento eadem, licet obscurius, reperitur. Facessant igitur argutiæ humani ingenij: una, Deum nec lædi ab homine posse: nec irasci tam misero animanti & abiecto. Altera, finito tempore, infinitam pœnā commereri posse neminem: quæ alioqui delicto futura esset maior: id quod pugnet cum iusticia. Denique, non esse consentaneum diuinæ clementiæ, maximam, &, in speciem præstantissimam humani generis partem, ad exitium sempiternum esse conditam & destinatam. His humani ingenij uanis rationibus opponatur sacri Euangelij autoritas: & unusquisque, implorata ope diuina, det operam, ut ipse unus sit eorum, quibus diuina misericordia æternam uitam pollicetur. De iis uerò, qui semper in flagitiis & sceleribus uolutantur, nec ab impietate sua, & neglectu contemptuque Dei recedunt, ne laboret:

Argutiæ aduersus diuina oracula.

Non cōtrà disputandum: sed piè uiuendum.

(nihil enim pugno) quid habet ista res aut lætabile aut gloriosum?

EXPLICATIO.

Nihil profectò, si ualeas, & prospero fortunæ flatu utaris: nisi quòd animorum interitus impiis est optabilior, quàm cruciatus Inferorum. Itaque hac una spe minimè firma, ac potius fallacißima, in peruersitate sua perseuerant, præcipites in omnia facinora ruentes. Christus autem de Iuda Iscariote pronunciat: melius ei fuisse, nunquam esse natum, quàm precio adductum, innocentem sanguinem tradidisse. Sed Epicurei, de malis (inquiunt) minima: hoc est, minus malum est uniuersus hominis interitus, quàm immortalitas cruciatu plena. Rectè sanè, si hæc optio penes ipsos foret: nec à diuina prouidentia iam olim decreta & constituta essent & præmia & supplicia.

Vana spes impiorum de uniuerso hominis interitu.

CXXXVII. SENTENTIA.

Nec tamen mihi (Ciceroni) sanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis (de animorum immortalitate) uera sententia.

EXPLICATIO.

Obseruetur modestia orationis. Primùm negat

negat se aduersari Epicureis. Deinde, se Platonis sententiam improbare posse. Aliquis enim gradus est ad assensionem, eorum, quæ dubios reddunt animos, remotio: quamuis id ad eosdem confirmandos non sit satis. Vlpianus tamen, Antiochenus rhetor, & enarrator aliquot orationum Demosthenis, in causis dubiis & suspectis monet, confutatione in primis utendum esse, hac addita ratione : ὅτι τῶν ἀντιπιπτόντων ἀναιρεθέντων τὰ λοιπὰ μηδεμίαν ἐπιδέχεται ἀντίῤῥησιν. Id est: Sublatis iis quæ auditori obstant, ea tantùm restare, quæ nullam habeant controuersiam. Remotio dubitationis, gradus est ad assensionem.

CXXXVIII. SENTENTIA.

Vt enim rationem Plato nullam afferret (uide quid homini tribuam) ipsa autoritate me frangeret.

EXPLICATIO.

Nulli homini est nimium tribuendum: cùm sit animal & fallax & natura mutabile. Autoritas autem, opinione uirtutis & sapientiæ parta, perpetua esse non potest: cùm ipsa uirtus & sapientia sæpenumerò euanescat. Vna sacrarum literarum autoritas frangit Christianos. Sed multi ferrei sunt Nemini mortaliũ nimis fidẽdum.

ex-

pediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec uidemus nec audimus.

EXPLICATIO.

Sensuum cessatio.

Fit hoc quidem interdum: sed κατὰ συμβεβηκὸς, casu quodam & fortuitò. Sed sensus ipsos per se plurimum posse, declarat Aristoteles, cùm ait: τὴν αἴσθησιν μὴ πλανᾶσθαι περὶ τὸ ἴδιον· περὶ δὲ τὸ συμβεβηκὸς, hoc est, sensum in obiecto suo non decipi: sed in eo quod fortuitò contingat. Animum uerò sine oculis & auribus aut uidere aut audire, ἔκστασις ista non probat.

CXXV. SENTENTIA.

Animus agit per instrumenta.

Vt facilè intelligi possit, animum & uidere & audire: nõ eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi.

EXPLICATIO.

Alludere uidetur ad illud Heracliti: ὁ νοῦς ὁρῇ, ὁ νοῦς ἀκούει· τὰ δὲ λοιπὰ τυφλὰ καὶ κωφὰ πάντα (Mens uidet, Mens audit. Cætera cæca & surda sunt omnia) Esto sint partes animi præcipuæ. Non tamẽ is solus agit. Quid enim uideas, oculis aut erutis, aut clausis, aut læsis; siue externa quapiam ui, siue κακοχυμίᾳ, siue obturatione τῶν ὀπτικῶν πόρων, animo quantumuis intento? Nisi fortè τὴν φαντασίαν, ui-

sionem

sionem dicas. Andromache apud Virgilium, conspecto Ascanio, animo sibi cernere uidetur filium iam olim à Græcis interfectum, cùm dicit:

O mihi sola mei super Astyanactis imago,
Sic oculos sic ille manus sic ora ferebat.

Nec tamen eà phantasia commodè satis fieri potest, sine antegressa uisione.

CXXVI. SENTENTIA.

Non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi (τὰ αἰσθητήρια) quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat & adsit.

EXPLICATIO.

Transferatur hoc ad auscultationes & lectiones. Ingenium ubi intenderis ualet. Docilis est, qui attentè audit. Apud Terentium (quem autorem, quò longius ætate procedo, eò magis admiror) parasitus militi neganti, sibi istuc in mentem uenisse: ἢ κολακικῶς μᾶλλον ἢ ἀληθῶς, ridiculum, inquit. Nō enim cogitaras. Cæterùm idē hoc tute melius quantò inuenisses, Thraso? Mihi certè sæpè hoc dubitanti accidit, ut, interrogaturo alios, & quæstionem apud animum meum informāti, ob intentionē utiq; ingenij, ultrò quod requirebā in mentē ueniret, omni exēpto scrupulo.

Attentio multū adiuuat ingenium.

CXXVII. SENTENTIA.

Mentis cō-prehensio amplissima est: sensuum, angusta.

Quid quòd eâdem mente res dissimilimas comprehendimus (sensus uerò singuli res fere singulas & similes) ut colorem (obiectum oculorum) saporem (palati) calorem (sub quo & cæteræ qualitates intelliguntur, ut, calorem, frigus, asperum, leue, molle, durum: quæ sunt obiecta tactus, τῆς ἀφῆς, fusi per totum corpus) odorem (narium) sonum (aurium obiectum.)

EXPLICATIO.

Sensus cō-munis.

Hic sensus communis dicitur in scholis, singulorum sensuum obiecta dijudicans. Apud Epictetum est κοινὴ φρόνησις: quæ Luciano πολιτικὴ σύνεσις est, quæ & ipsa uulgò sensus cōmunis nomine intelliguntur: hoc est, mediocris quædam intelligentia, sine aliquo singulari acumine. Sed ueterum descriptiones in mediū afferamus. Aristoteles igitur ait. Sensus communis est, qui species seu formas dijudicat, cui singuli sensus simplices sua quisque obiecta conferunt: in quo fit digressio ab alio ad aliud: ueluti à figura, à motu, à corpore. Is sensus communis in confinio situs est naturæ ratione præditæ, & brutæ, memoriæ & mentis

Aristotelis.

tis particeps. Ac ille ad brutos usq; animantes pertingit, quatenus eæ cogitationis proportionem aliquam habent. Idem etiam explicat, quæ obiecta (sic enim uulgò appellantur) quibus sensibus sint inter ipsos communia: ut figuram & uisus & tactus percipiunt: interuallum uisus et auditus: omnes uerò, motum, magnitudinem, numerum. Atq; hæc Aristoteles. Plato autem in Timæo: Est, inquit, & compositus quidam sensus, in quo & omne phantasticum & memoria & opinatio existunt, quæ mentis non sunt expertia. Sentimus autem affectione sensuum. Sed hæc appendix controuersa est. Nam eos alij statuũt affici ab obiectis: alij sensus agere in obiecta: alij (qui quidem rectissimè uidentur sentire) esse ἀλληλοπάθειαν, id est, mutuam quandam actionem & passionem inter sensus & obiecta sensuum: ut, color mouet oculos et uisum, contraq; oculi uim quandam quasi eiaculantur in colorem. Qui quidem color si solus uim agendi obtineret: æquè à cæcis atque oculatis perciperetur. Nam quòd uulgò dicunt, obiectis moueri sensus, ita uerum est, si & ipsi sensus eadem percipiendi facultatem habeant. Platonis.

Ἀλληλοπάθεια sensuũ & obiectorum.

Atq; hîc obiter notetur: ad eundem finem cõsequendum, plerunq; plures concurrere causas: Vnius effectus causæ plures.

sas:

ſas: ut ad parandam eruditionem inſignem, requiritur egregium ingenium, diligentes et docti præceptores, boni libri: ὧν οὐχ ἡ κτῆσις ἀλλ' ἡ χρῆσις ὄργανον παιδείας ἐστί: (quorũ non poſſeßio ſed lectio inſtrumentum eſt eruditionis) diligentiæ aßiduitas, imitatio & exercitatio frequens: quæ omnia conſtare non poſſunt ſine mediocribus facultatibus, quæ ociũ & cõmoditatem ſtudijs ſuppeditent, & abſq; proſpera ualetudine: qua ingenium, quamuis præclarum, ſi careat: langueſcit, & interrupta exercitatione, quaſi obſoleſcit. Vnde non malè Ouidius:

Adde quòd ingenium longa rubigine læſum,
Torpet: et eſt longè quàm fuit antè minus.

Item:

Carmina ſeceſſum ſcribentis & ocia quærũt,
Me mare, me uenti, me fera iactat hyems.

Quæ cùm ita ſint: ſtudioſi magna religione illud Apellis dictum, tanquam oraculum obſeruent: NE QVA DIES ABSQVE LINEA. *Nemo enim, ut opinor eſt, quin in ſemetipſo experiatur, quantoperè ſtudijs incõmodet per aliquot tantùm dies ſtudiorũ intermißio. Sed ad Platonem redeamus, qui naturam ſenſuum eleganter cum cœlo & quatuor elementis comparat. Ait enim uiſum cœ-*

Nunquam ceſſandũ.

li quandã referre ſimilitudinẽ, auditum aëris, olfactũ ignis, guſtatũ aquæ, tactũ terræ.

CXXVIII. SENTENTIA.

Quæ (res diſſimilimas) nunquam quinque nuncijs (id eſt, ſenſibus. Nam animus regi: ſenſus ueredarijs, uenuſtè comparãtur) animus cognoſceret: niſi ad eũ omnia referrentur: & is omniũ iudex eſſet. Sẽſus ſunt animi nuncij.

EXPLICATIO.

Senſus & animus tradunt mutuas operas in cognoſcendis & iudicandis rebus. An uerò animi, ſoluti corporibus, colorem, ſaporem, odorem, ſonum, & ea quæ tactum mouent, ut calidum, frigidum, leue, aſperum, & reliquas qualitates cõprehenſuri ſint: iudicent experti. Mihi quidem ſpiritus, res corporeas requirere nõ uidentur: neque nos, dum in his ſumus incluſi compagibus corporum, uitam corporis expertem ſatis intelligere poſſe arbitror. Etſi ſunt (quorum eſt & Tycho Bracheus noſter, uir excellenti ingenio & doctrina) qui in tota rerum natura nihil planè corporis eſſe expers cenſeant, præter autorem rerum omnium Deum: Corporum porrò infinita eſſe diſcrimina, & ipſa nobis ignota pleraque. Cælos & aſtra eſſe corpora, nemo dubitat: cùm ſub aſpectum oculorum cadant: An animi ſoluti corporibus, corporea curẽt, quærendum.

qualia aũt corpora ſint, ſcire puto neminem. Superioris tamen ætatis homines, præſentem opem diuorum ſuorum tutelarium iactarũt, unde & inuocatio eorum orta uidetur eſſe: non minus, quàm ueteres Caſtorum, Panos, Echetli & aliorum lata in periculis auxilia.

CXXIX. SENTENTIA.

Atq; ea (quæ cognoſcimus) profectò tum (ſcilicet ubi corpus reliquerit animus) multò puriora & dilucidiora cernentur: cùm, quò natura fert (in cælum ſcilicet) liber animus peruenerit.

EXPLICATIO.

Animum poſt mortẽ cõditione meliore futurum eſſe, probabile eſt.

Non ſanè deteriore illum conditione fore, quàm nunc ſit, probabile eſt. Sed illud probabilius, eum terrena hæc & corporea neglecturum: rebus melioribus & diuinioribus occupatum. Quis enim, aula ſplendidiſſima ſpreta, ſimetum diutius intueri ſuſtineat?

CXXX. SENTENTIA.

Inſtrumenta ſenſuum ſæpè laborant.

Nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quæ patent ad animum à corpore (τὰ περὶ τὰ αἰσθητήρια) callidiſſimo artificio natura fabricata eſt: tamen terrenis concretiſq; corporibus ſunt interſepta quodammodo.

EX-

EXPLICATIO.

Intelligit, opinor, ossa, carnes, uenas, neruos, cartilagines, tendines, membranas, & si qua sunt in corporibus id genus alia, è quibus τὰ αἰσθητήρια constant, suosq́ meatus habent. Ii porrò siue meatus, siue fenestræ, siue foramina, & κακοχυμίᾳ sæpe obstruuntur: & crassis fumis ac uaporibus è crapula maláue ratione uictus, in cerebrum exhalantibus, subinde impediuntur. Neq; profectò ulla uel capitalior uel turpior pestis est, tam corporũ quàm ingeniorum, quàm γαστριμαργία: quo uitio ætas nostra inquinatissima est. Vnde & stupor ingeniorum, & mala corporum affectio, & uitæ breuitas consequuntur.

Crapula malos hu-mores, hi mala mul-ta gignũt.

Rectè uerò celebratur illud Heracliti: ξηρὰ ψυχὴ σοφωτάτη, id est: siccus animus est sapientissimus. Vel (ut ex Eusebio Beroaldus citat) Aër siccior, anima prudentior & melior. Ἀὴρ ξηρότερος, ψυχὴ φρονιμωτέρα, καὶ ἀμείνων. Quæ sententia sic intelligenda est, ut ad siccitatem corporis referatur: quòd ingenij & sensuum actiões minus impediat. Et si immodica quoque siccitas non minus quàm ἡ κακοχυμία, & corporibus & animis nocet: unde & senilis existere uidetur obliuio, propter cerebrum pene arefactum, accedente præsertim frigiditate.

Et siccitas immodica nocet.

ditate. Maiore certè compendio, & per grauiores plerunq; cruciatus, ſi qua inflammatio acceſſerit, interficit ſiccitas.

CXXXI. SENTENTIA.

Animorũ ſpectacula Cicero nõ explicat.

Cùm autem nihil erit præter animum: nulla res obiecta impediet, quò minus animus percipiat, quale quidq; ſit: quamuis copioſè (id eſt, copioſiſſimè) hæc diceremus, (ſi res poſtularet) quàm multa, quàm uaria, quàm magna (uel, quãtaq;) ſpectacula animus in locis cæleſtibus eſſet habiturus.

EXPLICATIO.

Cicero parũ ſibi conſtat.

Præcîdit longiorem commemorationem τῶν τῆς ψυχῆς ἐπιτηδευμάτων, quæ περικαταληπτικῶς inſerta ſunt, ne ſecum ipſe pugnare uideatur: qui, cùm ſuprà Manibus ſermonem ademerit, nũc iiſdem pari abſurditate uiſum tribuat. Quòd ſi ſpectacula illa deſcribere uoluiſſet, eum illa, quæ in Somnio breuiter attigit de naturis Planetarum copioſius enarraturum, & omnem rerum cæleſtium hiſtoriã, καὶ τὴν κατ᾽ οὐρανὸν πολιτείαν explicaturum fuiſſe, probabile eſt: ſicut Theologi quidam τὴν ἐπουρανίαν ἱεραρχίαν depingunt. Qua de re libellus lectu non iniucundus D. Pothonis

Animorũ ſpectacula.

de

de domo Dei inscriptus extat, & Dionysii Areopagitæ de ἱεραρχίᾳ Ecclesiastica. Dionysius item Carthusianus in libello de quatuor hominis nouißimis, de morte, de iudicio diuino, de miseria impiorum, de felicitate piorũ, omnem statum animorum copiosißimè describit. Quo ego legendo, non tam superstitiosa, quæ (ut illa tempora ferebant) admiscuit, detestatus sum: quàm ea, quæ ad uitæ correctionem, & cœlestia meditanda incitant, grato animo amplexus.

CXXXII. SENTENTIA.

Quæ quidem cogitans, soleo sæpe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui naturæ cognitionem admirantur: eiusq́ inuentori & principi gratias exultantes agunt: eumq́ uenerantur ut Deum.

Insolentia Epicureorũ, uanæq; gloriationes pstringuntur.

EXPLICATIO.

Nunc κατ' ἀντίθεσιν transit ad insectationem & derisionem Epicureæ ψυχοκτονίας καὶ πανολεθρίας: eamq́ cum immortalitate comparat: quæ ut uerior non sit (nam siue ab Academica ἐποχῇ nõ recedens, siue suis argumentis diffidens, rem in medio relinquit) sit tamen præclarior & iucundior. Etsi profectò

Res dubiæ nec assensionem firmam, nec delectationem uerã habent.

res dubia quantò plus delectationis habeat, quàm iucunda somnia, uel simul cum somno, uel non multò pòst euanescentia: & nihil præter inane sui desiderium relinquentia, non uideo.

CXXXIII. SENTENTIA.

Liberatos enim se per eum dicũt grauissimis dominis, terrore sempiterno, & diurno ac nocturno metu.

EXPLICATIO.

Nos ab impio & stolido Epicuro hæc ad IESVM CHRISTVM *transferentes, cognitionis diuinæ naturæ, & humanæ inuentori & principi, gratias exultantes agamus: eumq́ ueneremur ut Deum.*

CXXXIIII. SENTENTIA.

Quo terrore? quo metu? quæ est anus tam delira, quæ timeat ista? quæ uos uidelicet, si Physica non didicissetis, timeretis?

Acherontia templa, alta Orci, pallida Leti, obnubila, obsita tenebris loca.

EXPLICATIO.

Inferos physici negant, Christus asserit.

Deliriũ hoc summa sapientia est Christianorũ: & summa physicorũ sapientia, est deliriũ perniciosum. Nã Inferos esse, & supplicia æterna:

æterna: Christus, in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ diuinæ, affirmat: qui, ut huius sententiæ rationem nullam afferat (quid enim homini & Deo nō tribuamus?) ipsa autoritate nos frangit. Dura quidem & horribilis est hæc sententia: sed sacris oraculis confirmata, & consensu Ecclesiæ per annos mille quingentos approbata: imò etiam in ueteri testamento eadem, licet obscurius, reperitur. Facessant igitur argutiæ humani ingenij: una, Deum nec lædi ab homine posse: nec irasci tam misero animanti & abiecto. Altera, finito tempore, infinitam pœnā commereri posse neminem: quæ alioqui delicto futura esset maior: id quod pugnet cum iusticia. Denique, non esse consentaneum diuinæ clementiæ, maximam, &, in speciem præstantissimam humani generis partem, ad exitium sempiternum esse conditam & destinatam. His humani ingenij uanis rationibus opponatur sacri Euangelij autoritas: & unusquisq́, implorata ope diuina, det operam, ut ipse unus sit eorum, quibus diuina misericordia æternam uitam pollicetur. De iis uerò, qui semper in flagitiis & sceleribus uolutantur, nec ab impietate sua, & neglectu contemptuq́ Dei recedunt, ne laboret:

Argutiæ aduersus diuina oracula.

Non cōtrà disputandum: sed piè uiuendum.

Pictorũ & poetarum commenta non tollũt ueritatem.

sed eos suo iudici relinquat, qui nemini facit iniuriam. Iam quòd poetæ atq; pictores ueræ sententiæ de Inferis, à patribus (ut probabile est) acceptæ, pro sua quiduis audendi licẽtia, portẽta quædã & monstra affinxerũt: id ueritatẽ nihilo magis euertit, quàm si Aethiopem propterea neges hominẽ esse, quòd ab imperito pictore sit albus ei color attributus. Nam homo ille quidem eŝt, propter lineamẽta corporis humani. Error autem eŝt in colore: qui facit, ut nõ uideatur esse æthiops. Falsa enim narratio non tollit rei ueritatem. Vt enim adulator aliquis Neronem fuisse tyrannum neget, atq; optimũ potius extitisse principem contendat: non propterea uel tyrannus non fuit, uel optimus princeps extitit. Ανίκητον μὲν γὰρ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται, *ut ait Clemens Alexandrinus. Hoc est, Cicerone interprete, opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.*

CXXXV. SENTENTIA.

Non pudet philosophum in eo gloriari, quod hæc non timeat? & quòd falsa esse cognouerit? Ex quo intelligi potest, quàm acuti natura sint, qui hæc (tam absurda) sine doctrina credituri fuerint.

EX-

EXPLICATIO.

Τὸ ταχυπειθὲς, *id est, credulitas, finitima creditur esse stulticiæ, & quasi gemina soror: & Lucianus confidenter exclamat (ut suprà indicauimus)* θαῤῥῶμεν, ὦ Φιλότης, μέγα λέγων ἔχοντες ἀλεξιφάρμακον τὴν ἀπιστίαν. *Ac in philosophicis quidem, ciuilibusq́ rebus ingenium acuunt doctrina & usus rerum. In diuinis uerò præstat esse hebetiorē (etsi Deo diuinisq́ hominibus credere summum acumen & summa sapientia est) quàm cum interitu sempiterno, insanientis Epicuri consultum errare sapientiæ, ut canit Horatius. D. Paulus iubet nos* μὴ φρονεῖν, ὑπὲρ ὃ δεῖ φρονεῖν: ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, καὶ τὴν ἰδίαν σωτηρίαν ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ καλεργάζεσθαι: *hoc est, sapientiam nostram intra certos limites esse cohercendam, & modestiæ subijciendam: salutiq́ nostræ cum timore & tremore consulendum. Cui si obtemperaretur: omissis curiosis disputationibus: uita nostra & sanctior esset & beatior.*

Credulitas in diuinis rebus præstat diffidentiæ.

CXXXVI. SENTENTIA.

Præclarū aūt nescio quid adepti sunt, qui didicerunt, se, cùm tēpus mortis uenisset, totos esse perituros: quod ut ita sit (nihil

(nihil enim pugno) quid habet ista res aut lætabile aut gloriosum?

EXPLICATIO.

Nihil profectò, si ualeas, & prospero fortunæ flatu utaris: nisi quòd animorum interitus impiis est optabilior, quàm cruciatus Inferorum. Itaque hac una spe minimè firma, ac potius fallacissima, in peruersitate sua perseuerant, præcipites in omnia facinora ruentes. Christus autem de Iuda Iscariote pronunciat: melius ei fuisse, nunquam esse natum, quàm precio adductum, innocentem sanguinem tradidisse. Sed Epicurei, de malis (inquiunt) minima: hoc est, minus malum est uniuersus hominis interitus, quàm immortalitas cruciatu plena. Rectè sanè, si hac optio penes ipsos foret: nec à diuina prouidentia iam olim decreta & constituta essent & præmia & supplicia.

Vana spes impiorum de uniuerso hominis interitu.

CXXXVII. SENTENTIA.

Nec tamen mihi (Ciceroni) sanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis (de animorum immortalitate) uera sententia.

EXPLICATIO.

Obseruetur modestia orationis. Primùm negat

negat se aduersari Epicureis. Deinde, se Platonis sententiam improbare posse. Aliquis enim gradus est ad assensionem, eorum, quæ dubios reddunt animos, remotio: quamuis id ad eosdem confirmandos non sit satis. Vlpianus tamen, Antiochenus rhetor, & enarrator aliquot orationum Demosthenis, in causis dubiis & suspectis monet, confutatione in primis utendum esse, hac addita ratione : ὅτι τῶν ἀντιπιπτόντων ἀναιρεθέντων τὰ λοιπὰ μηδεμίαν ἐπιδέχεται ἀντίρρησιν. Id est: Sublatis iis quæ auditori obstant, ea tantùm restare, quæ nullam habeant controuersiam. Remotio dubitationis, gradus est ad assensionem.

CXXXVIII. SENTENTIA.

Vt enim rationem Plato nullam afferret (uide quid homini tribuam) ipsa autoritate me frangeret.

EXPLICATIO.

Nulli homini est nimium tribuendum: cùm sit animal & fallax & natura mutabile. Autoritas autem, opinione uirtutis & sapientiæ parta, perpetua esse non potest: cùm ipsa uirtus & sapientia sæpenumerò euanescat. Vna sacrarum literarum autoritas frangit Christianos. Sed multi ferrei sunt Nemini mortaliũ nimis fidendum.

extrinſecus, intrinſecus uerò lutei, qui illa ne moueantur quidem.

CXXXIX. SENTENTIA.

Tot autem rationes (pro immortalitate animorum) attulit (Plato) ut uelle cæteris, ſibi certè perſuaſiſſe uideatur.

EXPLICATIO.

Rationum Platonicarũ pro immortalitate, qualitas.

Rationes illæ partim nituntur falſo principio τῆς μετεμψυχώσεως, *id eſt, migrationis animorum poſt obitum in alia corpora: quam Hermeti Triſmegiſto, & qui eam inde ſumpſit Pythagoræ, Platoni, Syneſio, Simplicio, præſtantibus philoſophis, tãtopere placuiſſe miror: nec firmius argumentum eſt de perpetua motione animorum (ut ſuo loco oſtendetur) partim ita ſunt obſcuræ, ut à paucißimis intelligantur, ne dicam nullis: cuiuſmodi ea ſunt, quæ de numeris diſputat: quorum obſcuritas in prouerbium abiit: partim ambiguæ, ut collatio animorum cum corporibus: partim fabuloſæ, ut narratio illa de Ere Pamphylio, qui duodecimo poſt mortem die reuixerit: & deſcriptio neſcio cuius terræ admirabilis: partim allegoricæ: ut commemoratio de ſortitione animorum apud Inferos.*

ros. Hæ igitur rationes, scrupulos dubitationum in animis residentes, nequaquam euellunt: sed plus habẽt admirationis, quàm persuasionis. Vnum argumentum, celeritatis & amplitudinis humanæ mentis, & comprehensio quædam rerum corporis expertium atque æternarum, habet ponderis aliquid: cui tamen & ipsi opponuntur aliqua, non ferè leuiora: ut, cùm initium habeat mens: finem sit habitura. Vt enim dicas, animos è primis parentibus, diuinitus inspiratos, & in omnem posteritatem esse propagatos: initium certè tamen habuerũt, peccato prolapsi in mortem. Opponitur immortalitati & pueritiæ ignorantia, & obliuio ac delirium senectutis: morbi item animorum, hoc est, praui affectus, erroresq́; multiplices: & dissensiones infinitæ, ætatis cõstantis & optimæ, quæ ἀκμὴ *Græcè dicitur. Sint sanè accidentia distinguẽda à substãtiis. Substãtiæ tamen, talibus accidentibus obnoxiæ, quid habent firmitatis? Ipsa robora tandem non minus quàm poma computrescunt. Eodem etiam pertinet Aristotelicum illud:* ὅτι τῶν μὲν φθαρτῶν καὶ αἱ ἀρχαὶ φθαρταί· τῶν δ' ἀϊδίων ἀΐδιαι: *hoc est, rerum earum quæ intereunt, etiam principia intereunt: æter-*

Ne præstãtia quidẽ mentis, æternitatem eius satis probat.

æternarum uerò ſunt æterna.
Mortalia facta peribunt (inquit Horatius)
Nedum uerborũ ſtet honos & gloria perpes.

Eluditur & argumẽtũ de præmiis & ſupplicijs.

Nam ne illud quidem ſatis firmum eſt, reſtare aliam uitam, in qua & malis malè, & bonis benè ſit futurum. Sumus enim natura omnes mali, bonus ne unus quidem: omniáque humana (nec ipſa uirtute & ſapientia exceptis) plena uanitatis eſſe conſtat. Omiſſis itaque humanis ratiunculis, τὸ αὐτὸς ἔφα, *eſt tenendum. Nam autor animi Deus, naturam animi perſpectiſſimam cùm habeat, eámque nobis aperuerit, unus eſt fide dignus autor. Huic qui fidem habere noluerint: ueritatem comminationum illius, ingenti ſuo malo, ut è contrario homines pij, promiſſionum æterna cum lætitia experientur. Sic ergo concludamus: Chriſtus apertè negat animos occidi: negat Deum eſſe Deum mortuorum: prædicit iudicium: in quo boni à malis ſint ſeparandi. Ergo animi ſunt immortales. Et quod philoſophiæ multò incredibilius eſt: ijdem animi ſua corpora recipient, immortalia & ipſa futura: ac alia quidem in æternam uitam, alia in gehennam tranſitura. Hæc qui in controuerſiam uocant, nec firma fide percepta tenent:*

Deus iuſſit animos eſſe immortales, ergo ſunt.

nent: Academici potius philosophi sunt aut Epicurei (quorum nostro tempore plenus est orbis terrarum) quàm homines Christiani: quæ rara admodum auis esse cæpit. Quotusquisq; enim uitiositatem suam agnoscit, & ex animo detestatur? quotusquisq; promissioni gratuitæ condonationis constanter assentitur? quotusquisq; uitam agit homine Christiano dignam? Hæc non dico perstringendi cuiusquam causa: sed ut adolescentes officij sui commonefaciam.

Christianus rara auis.

CXL. SENTENTIA.

Sed plurimi contrà nituntur: animósque quasi capite damnatos morte mulctant: neq; aliud est quicquam, cur incredibilis iis animorum uideatur æternitas: nisi quòd nequeunt, quid aut qualis animus sit, uacans corpore, intelligere, & cogitatione cõprehendere. Quasi uerò intelligant, qualis sit in ipso corpore? quæ cõformatio? quę magnitudo? qui locus? aut (si iam possent in homine uno cerni omnia, quæ nũc tecta sunt) casurúsne in conspectũ uideat? an tãta sit eius tenuitas, ut fugiat acie? Hæc reputẽt isti, qui negãt, animũ sine corpore se intelligere posse. Videbũt, quę in ipso corpore intelligant.

Incredulitas oritur ex ignorantia ueritatis.

EXPLICATIO.

Animus q sit, nec intra nec extra corpus satis intelligitur.

Est hoc ἀνασκευαστικὸν, in hanc sententiam: qui confitentur animum esse in corpore, quamuis non cernatur: aliquid eum esse posse, etiã extra corpus, diffidere non debent. Argumẽtum ducitur à pari: si tamẽ par est. Nam actiones animi, in corpore dum est, in sensus atque oculos incurrunt: extra corpus non item. Sicut enim nemo unquam Deum uidit: ita neque uel suum uel alienum animum. Deinde per totum corpus, cui uitam & motũ impertiat, ita æquabiliter esse fusum, ut aliis membris alias atque alias uires impertiat: est probabile. Pedibus enim ambulandi, palpandi manibus, uidendi atq; audiendi oculis & auribus, linguæ loquendi uim atq; facultatem communicat idem animus: quo siue digresso, siue extincto, facultatum istarum instrumenta nihil sunt, nisi cadauer immobile. Conformatio porrò & magnitudo in rebus incorporeis (qualem animum esse plerique uolunt) requiri non debent: neque scilicet sine forma & magnitudine conspici oculis quicquam potest. De loco autem animi, uersantis in corpore, iam aliquid diximus. Facultates tamen eius, aliis atq; aliis corporum partibus assignantur.

Nam

Nam mens & ratio cerebro, uitalis uis & cupiditas atque affectus cordi, brutus appetitus hepati tribuitur Medici appellant facultatem animalem, uitalem, naturalem & sentientem. Neque uerò cuiquam ignota est Platonica diuisio animi. Sed obseruatu digna est elegans metaphora : Qui animos quasi capite damnatos, morte mulctant. *Quibus uerbis ἡ ψυχοκτονία describitur, diuinitus illa quidem inflicta primis parentibus: sed non eo sensu, quo Epicurei censent, accipienda.*

CXLI. SENTENTIA.

Mihi quidem (Ciceroni) naturam animi intuenti, multò difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam alienæ domi : quàm qualis, cùm exierit: & in liberum cœlum, quasi in domum suam, uenerit. **Animũ in corpore peregrinari putat Cicero.**

EXPLICATIO.

Est hæc ingeniosa inuersio Epicurei argumenti : cui non dissimilis in Catone locus est, his uerbis : Mihi quidẽ nunquã persuaderi potuit : animos, dum in corporibus essent mortalib. uiuere: cũ exissẽt ex iis, emori, &c.

Animũ dicere cœlestem, nihil uetat.

Sumit autem id Cicero, quod alij negant, pro confesso, ex autoritate Pythagorica: cœlestis naturæ esse animum. Quod non malè affirmari uidetur. Vt enim è cœlo non descenderit: imago tamen Dei est, & uitalis spiritus, cœlis omnibus (si Theologis credimus) præstantior. Vnde consequitur, terrenum corpus esse illi tanquam exilium & carcerem. Sed est is huic carceri, quo delectatur, sic annexus, ut cochlea testæ: in quo exercet opera & sensuum & intelligentiæ. Corpus enim, animi quasi officina potius est, quàm (quod Socrates dicebat) instrumentum: quod instrumentum is in semetipso continere, ut fila araneus, uidetur.

CXLII. SENTENTIA.

Si enim, quod nunquam uidimus, id quale sit, intelligere non possumus: certè & Deum ipsum, & diuinum animũ, corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus. Dicæarchus quidem & Aristoxenus: quià difficilis erat animi, quid aut qualis esset intelligẽtia: nullum omnino animum esse dixerunt.

Negāt esse, quod quid aut quale sit, non intelligunt.

EXPLICATIO.

Esse Deum, esse animum: ex operibus eorum cognoscimus: ipsam uerò et Dei naturã,

&

& animi, non satis intelligimus. Quamuis enim spiritum esse dicas, illum ipsum spiritum æquè ignoras, nisi uentum aut halitum aliquem, qui & ipse corporeus est, tibi fingas. Lux autem Solis, quæ separatis animis aptissimè confertur: ut corporea non sit: at è corpore Solis procedēs, aerem corporeum illustrat, alioqui non casura sub aspectum oculorum. De Dicæarchi opinione suprà dictum est: cui nunc euanescentem Aristoxeni harmoniam similem facit.

Nulla similitudo, uel Dei uel animi naturã satis declarat.

CXLIII. SENTENTIA.

Est illud quidem uel maximũ, animo ipso animum uidere: & nimirũ hanc habet uim præceptum Apollinis: quo monet, ut quisq; se noscat. Non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturã figuram'ue noscamus. Neq; nos corpora sumus: neq; ego tibi dicens hoc, cor pori tuo dico. Cùm igitur (Apollo) NOSCE TE, dicit: hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi uas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur: id agitur à te. Hunc igitur nosse nisi diuinum esset: non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptum: sic ut Deo tributum sit.

Apollo iubet homines animũ suũ cognoscere.

EXPLICATIO.

Pauci sese norunt.

Plato in Prothagora septem sapientes cõmuni consilio hæc duo dicta: γνῶθι σεαυτόν: καὶ μηδὲν ἄγαν: aureis literis consecrasse Delphis scribit. Vnde factum est, ut ipsi Apollini tribuerentur. Hinc & Satyricus: de cœlo, inquit, descendit γνῶθι σεαυτὸν, & alibi exclamat: ut in se tentat descẽdere nemo? Sed extat oraculum Apollinis antiquius paulò, ut opinor: quamuis Crœsus septem sapientum tempore uixerit:

Σαυτὸν γιγνώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.

Id est.

Fine bono potiere, studens te noscere Crœse. Verùm ille, dulci fortuna ebrius, ut qui se omnium beatissimum iudicans (ut autor est Herodotus) Solonem, uitæ longæ finem spectandum esse, monentem (ὅτι δεῖ τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου) contempsit: & suas opes, suam potẽtiam sibi noscendam ab Apolline proponi ratus, temerè lacessito Cyro, uix flammis ereptus, in seruitute consenuit, uicaria morte ministri cuiusdã, crudelitate furiosi Cãbysis uix euitata. Libro aũt quinto de finibus Cicero τὸ γνῶθι σεαυτὸν, sic exponit: iubet nos Pythius Apollo noscere nosmetipsos. Cognitio aũt hæc est una, ut uim nostri corporis animíq;

niq; norimus: sequamurq; eam uitã, quæ rebus ipsis perfruatur. (Res ipsas appellat, ut opinor, more Platonico, non τὸ ὄναρ ἀλλὰ τὸ ὕπαρ.) Cæterùm (ut ad Crœsum redeam) illo uersu regem superbum, sibiq; præsidentẽ, nec humanæ cõditionis fragilitatẽ, fortunæq; inconstantiã considerantẽ, à conatu rerum periculosarum deterrere Apollo (ut dixi) uoluit, si tamẽ uoluit generis humani hostis diabolus, sub Apollinis nomine delitescẽs: & ambiguis uerbis miseros mortales ludificari solitus. Est itaq; hoc τὸ γνῶναι ἑαυτὸν, idẽ quod τὸ γνωσιμαχεῖν καὶ σωφρονεῖν, ἀλλὰ μὴ πολυπραγμονεῖν. Cõsideret igitur unusquisq; uires & corporis & ingenij animiq; sui, fortunasq; suas: et omnia cõsilia, omnia dicta et facta sua, inprimis implorata ope diuina, pro istarũ rerũ ratiõe moderetur: et cũ hac politica prudẽtia, philosophicã & medicã animi sui corporisq; cognitionẽ coniungat: ut, quoad eius fieri possit, totus sibi, quãtus quantus est, sit cognitus & perspectus: neq; (ut autor noster primo de officiis docet) aut temerè desperet propter ignauiam: aut nimis confidat ꝓpter cupiditatẽ. Opes, honores, uoluptates, nemo est qui non appetat, aut saltẽ optet: sed alia aliorum & industria et fortuna est: eaq;

Quomodo se homo noscat.

unicuiq; & æquo animo ferenda, & prudentia singulari regenda. Neq; enim homo sibi quicquã sumere potest, nisi detur diuinitus.

CXLIIII. SENTENTIA.

Neque nos corpora sumus: neque ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico.

EXPLICATIO.

Hominem constare ex animo atq; corpore: quis aut nescit, aut negat, præter Dicæarchum (τὸν ἥκιστα δικαίως ἄρχοντα) *& Aristoxenum*, τὸν ἀναρμοστάτην ἁρμονίαν εἰσάγοντα; *Et Cicero ipse id initio tertij libri huius operis, confitetur. Sed huiusmodi hyperbolis Socrates, aliiq; uiri sapientes monere uoluerunt, curam animo præcipuam esse impendendam: quod uulgò fieri contrà solet. Etsi autem Plato in Timæo, pariter & corpus & animum curari iubet, ut utrumq; alteri seruire possit: & rectè quidem: tamen pluribus aliis locis penè pro nihilo habet corpus, ab eoq; ad animum omnia studia nostra conuerti iubet.*

Philosophi animũ excolendũ esse, corpore extenuando, monere uoluerunt.

CXLV. SENTENTIA.

Corpus quidem quasi uas est, aut aliquod animi receptaculum.

EXPLICATIO.

Animus ergo quasi uinũ erit in dolio: aut hospes

hospes in diuersorio. Alÿ corpus naui & equo, animum nautæ & equiti comparant: etsi fortasse hippocentauri & conchylÿ similitudo esset melior & aptior. Socrates uerò animum artifici, corpus instrumento (pro quo ego malim officinã substitui) conferre solebat. Vnde illud Platonis, ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον: *id est, id quod sub aspectum oculorum cadat, non esse hominem: & ualde probatur dictum Ecclesiastici potius alicuius doctoris, ut opinor, quàm profani hominis Anacharsidis: ut corpus animi, sic anim⁹ ipse, Dei quoddam est instrumentum.* Ὄργανον ψυχῆς μὲν τὸ σῶμα: ἡ δὲ ψυχὴ τοῦ θεοῦ. *Notandũ hîc obiter propter* ὁμωνυμίαν *multa dicta suis autoribus adempta, alÿs tribui: ut Epicteto philosopho, ea quæ sunt Epicteti, cuiusdam Episcopi, è Melissa Antonÿ Monachi excerpta. Idem accidit, cùm diuersi autores eodem uolumine compingũtur: & primo nominato, cæteri per negligentiam scriptorum,* ἀνεπίγραφοι *relinquuntur. Sed quisquis huius dicti autor est: Quàm præclara fuerit respublica & ecclesia: si omnium animi Deo se regendos præberent: & è diuino præscripto corpora etiam sua, id est, omnia & dicta & facta regerent?*

Similitudines uasis, diuersorÿ, nauis, eq, hippocentauri, conchylÿ, instrumenti, officinę, naturam corporis & animi utcũque declarant.

CXLVI. SENTENTIA.

Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te.

EXPLICATIO.

Animi opera maiora sunt, quàm corporis.

Animi (à quo cordati hominis omnia consilia, actiones omnes proficiscũtur) opera maiora esse quàm corporis, et potiora, significat. Primo tamen de officijs, cogitationem omnẽ in seipsa uerti, ait: eloquentiam uerò (quod idem & de cæteris actionibus intelligatur) complecti eos, quibus cum communitate iuncti simus. Sallustius autem maiore compendio, Animi imperio, inquit, seruitio corporis magis utimur.

CXLVII. SENTENTIA.

Propter ea quæ ignoramus, nõ negligẽda sunt quæ scire possumus.

Sed si, qualis sit animus, ipse animus nesciat: dic, quæso, ne esse quidẽ se, sciet? ne moueri quidem se?

EXPLICATIO.

Vt oculus nec aduersum Solem intueri, nec se ipse uidere, cùm cætera uideat, nisi in speculo aut aqua, potest: sic animus plurimarum rerum cognitione præditus, de Deo & semetipso cogitans, quasi obstupescit: atq;, Simonidis exemplo, quo diutius de his cogitat: eò minus quid & cuiusmodi sint, inuenit: imo & sacra-

ſacrarum literarum oraculis de Deo trino & uno, cœleſti luce deſtitutus, uix ac ne uix quidem aſſentitur. Quia ergo neq; Dei neq; animi naturam perſpicimus: utrunq; ex operibus eius & actionibus utcunque noſcere ſtudeamus: ad quam cognitionẽ Theologia nos & philoſophia, atq; inprimis cœlorum & ſiderum contemplatio, quaſi manu ducunt: & lumen animorum, ſi non extinctum, at ualde obſcuratũ, quaſi redaccendere conantur.

CXLVIII. SENTENTIA.

Ex quo ratio illa nata eſt Platonis: quæ à Socrate eſt in Phædro explicata: à me autem eſt poſita in ſexto libro de Republica. Quod ſemper mouetur, id æternum eſt.

Ratio de motu animi Platonica.

EXPLICATIO.

De hac Plato ipſe ſcribit: ἡ ἀπόδειξις ἔσαι δεινοῖς μὲν ἄπιστος: σοφοῖς δὲ πιστή: *hoc eſt, Demonſtratio hæc hominibus callidis (id eſt, ijs, qui tantùm ingenio & uſu rerum ualent, doctrinæ ſubtilioris expertes) erit incredibilis: eruditis autem fide digna cenſebitur: poſtea proponit,* πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. *Omnis anima eſt immortalis. Sic & culicis & formicæ aĩa æquè ac hoĩs, erit immortalis. Qđ ſi uerũ ſit (neq; uerò Moſes id cõcedit, q beſtiarũ aĩam*

in

in sanguine earum esse dicit: qui utiq; morta lis est, & tandem non minus quàm aqua eua nescit) eam illis immortalitatem equidẽ non inuiderim: cùm non modò non destruat, sed etiam magnopere cõfirmet immortalitatem meã. Nam si formica mortis expers est: quantò magis homo? etsi profectò infiniti homines formicis & apibus sunt nequiores, indigni (si dicere fas sit) qui nascerentur: nedum ut permaneant æterni. Ac ex hoc Platonico axiomate (quod & in Axiocho extat) sumpti hi Virgiliani uersus uidentur:

Si, Platone autore, omnis anima immortalis est: quãtò magis humana.

His quidam signis atq; hæc exempla secuti:
Esse apibus partem diuinæ mentis, et haustus
Aetherios dixere. Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq; maris, cœlũq; profundũ.
Hinc pecudes, armẽta, uiros, genus oẽ ferarũ
Quenq; sibi tenues nascentẽ arcessere uitas:
Scilicet huc reddi deinde: ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum: sed uiua uolare
Sideris in numerum atq; alto succedere cœlo.

Opinio de Mundi anima, omnia animante, & corporibus mortuis, omnes animas ad sese reuocante.

Hos uersus eò libentius ascripsi: quòd ad alia quoq; loca huius libri rectius intelligenda nõnihil cõferunt. Sed his Pythagoricis commentis omißis, quæ ortum & interitum & animantium & stirpium infra Lunæ terræq; orbem, perpetuis uicibus uersari asserunt, &

nescio

nescio quam Mundi animã, omnia animantem, statuunt, ad Platonem redeamus: qui ea tribuere uidetur hũanis animis, quæ sunt unius DEI *propria: in quo uiuimus, mouemur & sumus: nec tam id uelle, animos humanos suapte natura (id quod in Timæo apertè negat) esse immortales, quàm Dei uoluntate ac munere fore æternos. Itaq;* θείας καὶ ἀνθρωπίνης ψυχῆς πάθη τε καὶ ἔργα, *ea quæ & diuinus & humanus animus & capiat & faciat, iubet intueri. Cælos etiam nonnulli propterea censent æternos, quòd illis genij (quos* νόας *appellant) semper aßistant. At animi nostri corporibus nostris non eâdem constantia suum præstant officium. Neq; enim mouebantur, antequam in corporibus extitissent: & hoc ipsum quæritur, an destituti corporibus moueantur? Ac Deum quidem philosophi statuunt immobile principium, à quo moueantur & genij, & cæli, & elementa, & animantes, & stirpes: summa illa & prima ui, per gradus intermedios, ad ima & postrema, ratione mirabili penetrante. Motus igitur animi, secundum illos, & à Deo est, & à cælis, & ab elementis, & à uictu, & ab obiectis sensuum: ne quid iam dicam de impulsu geniorum utriusq; generis. Qui autem non credit, motũ animi*

Immortalitas & motus animorũ, à Deo, motore primo, pendet.

Animi humani multifariam uidentur moueri.

animi à rebus externis etiam pendêre: comprimat spiritum per semissem horæ: abstineat cibo & potu per dies quatuordecim (de homine ualente, non de ægroto: de natura, non de miraculis loquor) & uideat, quorsum motus ille animi recidat? Vt autem moueatur animus rebus pulchris, iucundis, utilibus, honestis, harumq́ contrarijs: quis nescit? Etsi fortè hic οὐχ ἡ παθητικὴ, ἀλλ' ἡ ζωτικὴ κίνησις, id est, is tantùm motus tractatur, qui uitalis est, non qui est passioni obnoxius. Et tamen illud ipsum παθητικὸν τῆς ψυχῆς, καὶ τὸ ἐμπαθὲς, nõ parùm immortalitati animi refragatur. Neq; enim appetitus tantùm (quod postea dicet autor) sed & ipsa mens & ratio unà mouetur. Certè τὸ θυμῶδες καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, per se neq; uirtutem neq; sapientiam admirantur, nihilò magis in Socrate, & Platone, quàm in cane & equo.

CXLIX. SENTENTIA.

Qui aliunde pendet, facilè cadit.

Quod aũt motum affert alicui: quodq; ipsum agitatur aliunde: quãdo finem habet motus (τῆς κινήσεως) uiuendi quoq; finem habeat, necesse est. Solum igitur quod seipsum mouet: quia nunquã deseritur à se: nunquam ne moueri quidem desinit.

EXPLICATIO.

Hac ἀντιθέσει τοῦ ἑτεροκινήτου Plato τὸ αὐτοκίνητον illuſtrat. Ego uerò argumentationem ſic pertexo: At animus corpori motum affert, & ipſe (ut modò oſtenſum eſt) agitatur aliunde. Ergo quando finem habet motus (id eſt, quãdo aliunde moueri deſinit) uiuendi quoque finem habeat, neceſſe eſt. Omnino certè quidem, ſi deſeratur à Deo: cõſentaneum hoc eſt. Sed non deſeretur, autore etiam Platone in Timæo: qui Deum, omnium parentem, dijs iunioribus (ſic genios appellat) ita loquentẽ facit: quando orti eſtis: immortales uos quidẽ eſſe & indiſſolubiles nõ poteſtis: nec unquam tamen diſſoluemini: nec ulla uos mortis fata periment. Et particula QVANDO, *αἰτιολογικῶς uidetur capi, pro* QVONIAM, *nõ χρονικῶς: etſi parùm intereſt. Græcè παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχοι ζωῆς, id eſt, ἐπειδὴ ἔχει, cùm habeat finem motionis: etiam uitæ finem eſſe habiturum. Significat enim externum illum motorem ab opere illo & mouendi labore, quaſi feſſum aut pertæſum, aliquando eſſe receſſurum: idq; quod hactenus motum fuerit, quietum eſſe deinceps.*

CL.

CL. SENTENTIA.

A' primo principio mouentur omnia.

Quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi (τοῦ κινεῖσθαι, παθητικῶς, ἀλλὰ μὴ ἐνεργητικῶς, τοῦ κινεῖν.) Principij autē nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde.

EXPLICATIO.

Sic ratiocinatur: Nullius principij est origo. Omnis animus est principium Ergo nullius animi est origo. Ego uerò distinguo maiorem: eamq́; de Deo, unicò & summo principio rerum omnium, concedo esse ueram. Minorem nego. Vt enim sit motor & principium corporis animus: tamen & ipse tam ortum quàm motum habet aliunde. In uerbis Ciceronis est ἐπιμονὴ *quædam seu expolitio: cui adhibenda est (ut modò dixi) distinctio principij primi atque proprij, & principiorū secundorum: quæ sic* καταχρηστικῶς *appellātur. Filij principium est pater: qui & ipse ab aliis principiis ortus est, hoc est, à maioribus suis, ut regrediendo patris ortus ad primum hominem Adamum referatur, qui unus*

ἀμέσως

ἀμέσως à primo principio Deo factus est: sicut fecit D. Lucas in genealogia seruatoris nostri IESV CHRISTI:*cū D. Matthaus ab Adamo ad Iosephum, uulgi opinione Christi patrem progrediatur.*

CLI. SENTENTIA.

Quòd si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam.

EXPLICATIO.

Pertexatur syllogismus, hoc modo: At animus, qui est principium, nunquam oritur. Ergo, Animus ne occidet quidem unquam. Maior propositio est κοινὴ ἔννοια, etsi subobscura: quòd angustiæ humani animi, rerum omniū quasi limites quosdam, hoc est, initia & fines constituunt: at in æternitatis cogitatione, homo quasi absorbetur, & uelut attonitus obstupescit. Assumptionem iam negauimus. Aeternitatis est difficilis comprehensio.

CLII. SENTENTIA.

Nam principiū extinctum, nec ipsum ab alio renascetur: nec à se aliud creabit (ut de phœnice ferunt, è suis cineribus renascente) siquidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principiū ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori. Principij extinctionem sequetur interitus uniuersi.

EXPLICATIO.

Animi humani & diuini discrimen est infinitum.

Hoc syllogismo argumentum concludatur: Extincto principio naturæ interitus consequetur. At naturæ interitus absurdus est. Ergo principium non extinguetur. Priorem hypothesin concedo. Est enim κοινὴ ἔννοια: diuinitus omnia & condita esse, & conseruari. Assumptionem declarat D. Petrus, cùm asserit, fore ἐκπύρωσιν καὶ ἀνακαίνωσιν. Totum uerò argumentũ est ἀπροσδιόνυσον, nec æternitatem τῆς ἀνθρωπίνης, ἀλλὰ τῆς θείας ψυχῆς (animi diuini, non humani) quas de industria permiscuisse Plato uidetur, probat.

CLIII. SENTENTIA.

Vel concidat omne cælum, omnisq́ natura consistat necesse est: nec uim ullã nanciscatur, qua primo impulsu moueatur.

EXPLICATIO.

Particula VEL: *obscuritatem habet: ut & Græca,* ἢ πάντα τε οὐρανὸν, πᾶσάν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι: καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται: *& poni uidetur pro alioqui: absurditatem certè secuturam innuit: itaq́ τὴν ἀφθαρσίαν τοῦ κόσμου, de qua præclarum*

opus

opus Philonis Hebræi Græcum extat, demonstrat. Sed uerbis idē dicamus (si poterimus) clarioribus: Si principiū extingueretur: omne & cœlum & uniuersa terra corruerēt atq; cōsisterent: nec posset ab ulla re alia motus ijs afferri: sed mortua & immobilia iacerent omnia.

CLIIII. SENTENTIA.

Cùm pateat (pareat, pro appareat) igitur æternum id esse, quod seipsum moueat: quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo. Quod autem est animatum, id motu cietur interiore, & suo. Nam hæc est propria natura animi atq; uis: quę si est una ex omnibus, quæ seipsam semper moueat: neq; nata certè est, & æterna est.

Motus animi à Deo pendet, nō à se: ergo & immortalitas.

EXPLICATIO.

Cùm nihil præter Deum sit αὐτοκίνητον (per se moueatur) neq; natum & æternum: istis uerbis nec animi immortalitas probabitur, aut certè cum pulicibus & muscis cōmunicabitur.

Insultat Cicero tarditati & insciētiæ philosophorū quorundā.

CLV. SENTENTIA.

Licet cōcurrāt plebeij omnes philosophi (sic enim ij, qui à Platone & Socrate,

& ab illa familia (αἱρέσεως secta, disciplina) dissident, appellandi uidentur) non modò nihil unquam tam eleganter explicabunt: sed ne hoc quidem ipsum quàm subtiliter conclusum sit, intelligent.

EXPLICATIO.

Epicurei potissimum perstringuntur, mathematum, poëseos, artificiosæ Dialecticæ, & eloquentiæ cõtemptores: quorum doctrina in uulgus plausibilis sanè fuit: etsi eandem, in uita & moribus, plerique eorũ etiam secuti sunt, qui dogmata uehementissimè oppugnarunt. Contraque hortulos Epicuri plures & uiros et amicos habuisse bonos, quàm uel Academiã, uel Lyceum, uel Stoam ipsam, ipse Cicero, præter cæteros, acerrimus illius dogmatis; in libris quidem suis, in uita nõ item, insectator, dissimulare nõ potuit: optimos illos homines, sed non satis acutos uocitando. Sed hoc loco πρὸ νίκης ἐγκώμιον (ante uictoriam triumphus.) Non enim hîc spectatur explicationis elegantia, aut magnificentia uerborum: neque subtilitas conclusionis: sed rei ipsius ueritas, & argumentorum firmitas. Equidem mihi plebeio philosopho à Platone fucum fieri existimo, duos animos, diuinum & humanum,

Epicurei, cæteris philosophis hebetiores, uiri plerunque meliores fuerunt.

Plato quot animos per se immortales, totidem etiam Deos statuit.

infinito

infinito interuallo seiunctos, quasi in unum conflando: & primum principium atq; unicũ & æternũ: qui Deus Optimus Maximus est, cum principijs caducis, καταχρηστικῶς ita dictis, & respectu quodam rerum humanarũ, & non causæ, sed ratione ordinis, & progressionum in actionibus, confundere & permiscere. Nihil æternum est, hoc est, nihil principio & fine caret, nisi unus Deus. Quòd si infiniti hominum & aliorum animantium æterni statuantur animi, eadem absurditate innumeri etiam dij statuentur.

Animus diuinus ab animo humano distinguendus est.

CLVI. SENTENTIA.

Sentit igitur animus se moueri. Quod cùm sentit: illud unà sentit, se ui sua, non aliena moueri: nec accidere posse, ut ipse unquam à se deseratur. Ex quo efficitur æternitas.

EXPLICATIO.

In Deo uiuimus, mouemur & sumus; ut D. Paulus Athenis concionatur. Et Dauid ita canit: A te, DEVS, *pendent omnia: ut eis suo tempore pastum suppedites: quem, te dante, colligunt: te manum aperiente, satiantur bonis. Si faciem tuam abdis: conturbantur. Si eorum spiritum comprimis: expirant, & in*

D. Pauli cõcio, & cantio Dauidis, Platonis & Ciceronis sententiam euertunt.

suum puluerem redeunt. Si spiritum tuum emittis: recreantur: et faciem terræ renouas. Hæc longè alia cantilena est, quàm Platonis & Ciceronis: cuius uerba tamē expendamus. Animus sentit se moueri. *Quomodo? Varijs cogitationibus, affectibus, appetitu rerū necessariarum & iucundarum.* Se ui sua, non aliena moueri. *Nunquid uerò scit, illam uim se à semetipso habere? Ego, Cicero, hoc non sentio: tibi (etsi meliore sensu es) fidem habere non possum.* Nec accidere posse, ut ipse unquàm à se deseratur. *At in profundo somno uel inuitus quodammodo à se deseritur, & in animi deliquio, & morbo comitiali, & in corporis humoribus, tanquam gurgite quodam, summergitur. Quid de morte dicas? ubi certè suum corpus deserit: an ipse permaneat, & quò recedat: nunc certè quidem ignorat: nisi sacris assentiatur oraculis. Quæ ergo ex dubijs aut etiam falsis propositionibus efficitur æternitas?*

CLVII. SENTENTIA.

Διαλογικά. A. Nisi quid habes ad hæc? Ego uerò facilè sum passus, ne in mentem quidem mihi aliquid contrà uenire (contra argumenta immortalitatis) ita isti faueo sententiæ

tentiæ (adeò cupio animos esse immortales.)

EXPLICATIO.

Aliud est uelle & optare: aliud posse & debere fieri aliquid.

φιλαυτία καὶ φιλαλήθεια, *id est, ratio & appetitus multum differũt: nec propterea Isaacio Comneno restituti sunt oculi, quòd assentatores monachi, delirum senem cõsolantes, recuperaturum esse uisum dictitabant. Astrologi odio minui maxima dicunt, amore augeri minima. Itaq; uetant quenquam de sua genesi pronunciare. Qua de causa medici etiã, in periculosis morbis suis, alios medicos in cõsilium adhibent. Demosthenes autem* ῥᾷστόν ἐστιν (*inquit*) τὸ ἑαυτὸν ἐξαπατᾶν· ὃ γὰρ βούλεταί τις, καὶ οἴεται: *sed idem &* χαλεπώτατον, *hoc est,* βλαβερώτατον *esse dicit,* ὅτι τὰ πράγματα οὐχ οὕτω πέφυκεν (*semetipsum decipere facilimum est. Nam quod quisque expetit, id uerum etiam putat. Quæ res nocentissima sit, propterea quòd non ea sit natura rerum, ut se uoluntatibus hominum accommodent.) Quidam tamẽ censent, appetitionem hanc immortalitatis, quòd ab ipsa natura generosis animis sit insita, non esse uanam. Sed quàm multi regnum & diuitias, eadem Naturæ ui, appetentes, plebeiorum & mendicorum conditionem nunquam superarunt? At*

Appetitio æternitatis nihilo magis probat immortalitatẽ, quàm appetitio uolandi, alas affert homini stulto: nisi forte à Diabolo, capro impositꝰ, uolite·

At hanc ambitionem & auariciam non omnium esse dices? Esto. At cibum & potum non'ne appetunt omnes? & multi tamen fame aut siti moriuntur, in bellis præsertim, & annonæ caritate. Iam, si uulgus hominum spectes, quotumquenque reperies, qui uitam æternam magnopere desideret? Fruuntur plerique ex beatioribus re sua familiari, quandiu licet: miseri atque inopes ærumnosam uitã cum morte quamprimum commutatam uellent. Qui autem uotorum suorum compotes fieri, & omnia optata ferre cupiunt, ij hac una ratione id consequentur, ut suam uoluntatem uoluntati diuinæ conforment, συγκαταταξαντες ἑαυτοὺς (ut Epictetus loquitur) τῇ θείᾳ τῶν ἀνθρωπίνων διοικήσει. Ita enim fient κοσμοκράτορες καὶ παντοκράτορες.

Si uerè o-res: Fiat uolũtas Dei: ea quæ tu uolueris, fi-ent omnia.

ÇLVIII. SENTENTIA.

Quid illa tandem? Num leuiora censes, quæ declarant inesse in animis hominum diuina quædam? Quæ si cernerem, quemadmodũ nasci possent: etiã quemadmodum interirent, uiderem.

EXPLICATIO.

Redit ad firmissimũ argumentũ immortalitatis

litatis animorum: à ui & effectis sumptum: quod suprà etiam breuiter attigit, in Aristotelicæ ἐντελεχέιας commemoratione. Etsi autem modestè admodum proponit, hoc modo, quia ortum animi non cerno: ne interitum quidem eius uideo (Maxima enim, ut in scholis uulgò uocant, seu axioma huius loci est, Mens ortu caret, ergo & interire nequit) tamen cognitio aut ignoratio nostra nihil ad rerum uel ortum uel interitum facit. Est ergo hæc ratio παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. Vim attrahendi ferri habet magnes, paleas succinum, tenendi naues Echeneis, quam Latini remoram uocant: etsi, uis illa unde & cuiusmodi sit, ignorant philosophi. Sed uerba Ciceronis hoc uolunt: nulla ratione, diuina illa uel nasci uel interire posse: quòd immortalitas sit & æternitas diuinarum rerum propria. Animus (inquit) humanus est diuinus: ergo æternus. Sed physicus fortè quispiam negarit antecedens: esse quidem mirabilia humani ingenij opera concedens: sed non propterea diuina: nihilò magis quàm mirabiles stirpium, gemmarum, aliorum animantium uires & facultates: quas & nasci & interire uideamus. Sed est profectò ingens intelligentis, brutæq́ naturæ,

Nostra sciẽtia & inscientia non mutat naturã rerũ.

Physici quidam, parũ prudenter mentis humane uim, à uiribus stirpium & gemmarũ non distinguunt.

t 5 quam-

quamuis mirabilia quædam ea efficiat, discrimẽ. Nulla stirps, nulla gemma ratiocinatur, genera & formas & mathematica corpora considerat: cœlum suspicit: Deum agnoscit & ueneratur. Sed mens humana (nisi excæcata à diabolo) facit hæc omnia.

CLIX. SENTENTIA.

Nam sanguinẽ, bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, oẽm deniq; mẽbrorũ & totius corporis figurã uideor posse dicere, unde concreta, & quomodo facta sint.

EXPLICATIO.

In semine delitescũt omnes animalis secuturæ facultates.

Corporeas res oẽs cõstare permistione quadam & contemperatione quatuor elemẽtorum inter sese, inter physicos plerosq; & medicos constat. Iidemq; affirmãt, semen esse qd dam ab omnibus totius corporis partibus externis, internis, paruis, magnis, auulsum atq; abstractũ. In eo semine, qđ quasi chaos quoddam sit, delitescere ea omnia, quæ Cicero hic cõmemorat: suoq; tẽpore distingui & informari, donec integer & perfectus homo prodeat in lucem. Sed hæc petenda sunt è suis autoribus: Hippocrate præsertim περὶ φύσιος παιδίου, καὶ περὶ φύσιος ἀνθρώπου, item περὶ σαρκῶν. Qui quidem ea si non uerè & certò, mirabiliter tamen & probabiliter explicãt.

Est

Est igitur illud ἀπόσπασμα ὅλου τοῦ σώματος, καὶ ἡ οὐσίη τοῦ σπέρματος, ut uitæ cõseruatrix, & ingenij atq; sanitatis amplificatrix solicitè custodiẽda, multò solicitius, q̃ argentũ, aurũ, gẽmæ. Nam hæc quidem reparari possunt amissa. Mentis & sensuũ integritas semel amissa uel crapula uel intẽpestiua & immodica uenere instaurari nunquam ita possunt, ut τῷ ἐμφύτῳ θερμῷ respondeant.

CLX. SENTENTIA.

Præterea (alij per) animũ ipsũ, si nihil esset in eo, nisi id, ut per eũ uiueremus: tã natura putarẽ hominis uitã sustentari, q̃ uitis, q̃ arboris. Hęc.n. etiã dicimus (didicimus) uiuere (scilicet *καταχρηστικῶς καὶ καθ' ὁμόιωσίν τινα.*) Itẽ, si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret, aut refugeret: id quoq; esset ei commune cum bestiis.

EXPLICATIO.

Pro id quoq; esset, *legunt alij*, id quod esset, *quæ lectio si uera sit: ἀπὸ κοινοῦ repetendum est id quod antecessit:* natura sustẽtari uitã hominis putarẽ. *Sed ad rẽ. Obseruetur uitã homini cũ stirpib. (siue eæ herbæ sint, siue frutices, siue arbores, siue alia quæpiã è terra nascentia) appetitionẽ & fugã cũ bestiis esse cõmunem: quò minus summum bonũ in* Homo id potissimũ excolere debet, quo differt à cęteris animalibus.

his

his rebus collocãdum est: sed in animo atque mente diuina: eaq́; potißimum excolenda: & in hac breui & calamitosa uita, ad beatam immortalitatem expetendam & meditandam, exercenda. Neq; tamen hinc sequitur, propterea & uitam esse contemnendam, sine causa necessaria: aut negligenda esse caducæ huius commoda. Modus præcipitur, & præstantiori parti, qui est animus, plus & laboris impendendum, & honoris habendum, quàm mortali corpori. Obseruetur quod dicit, uitam stirpium & animalium sensum, natura sustentari, hoc est, ui diuinitus insita. Quæro tamen, an non eadem uis diuina homini mentem et dederit & sustentet? Omnia sunt igitur & stirpium & bestiarum & hominis, diuinæ liberalitatis munera, gratis animis & agnoscenda & prædicanda.

CLXI. SENTENTIA.

Habet (animus hominis) primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium.

EXPLICATIO.

Memoriæ & rationis simulacra quædam sunt & in bestiis.

Memoriam (quàm hic à mente Cicero nõ accuratè distinguit) habent, sed fortasse modicam, ut & rationis simulacra quædam, etiam bestiæ nõnullæ: ut Plutarchus, Plinius, Aelia-

Aelianus, & alij autores, plurimis exemplis demonstrant: & nos in equis & canibus uidemus. Imò Homerus ille prophetarum, Esaias: Nouit (inquit) bos herum suum: & asinus præsepe dominicum: Israelitæ non nouerunt: populus meus non sapit. Sed eadem memoria est in nõnullis hominibus perexigua: in infantiæ humoribus, quasi Lethæo flumine demersa, latet: in senectutis ariditate & frigore, plerunque languescit, minuitur, exolescit: sæpe etiam uel externa ui, uel interno morbo prorsus amittitur, aut certè, quasi cineribus ignis, ita obruitur, ut ne scintilla quidem appareat: nec ullo uel medicinæ, uel doctrinæ flatu excitetur. Vnde conijcias, uim illam, quamuis admirabilem, à cerebri affectionibus & spiritibus pendere: eoq; magis, quòd multa commemorantur à medicis, per quæ ingenium & acuatur & hebescat: memoria & augeatur & minuatur. Quæ res cùm corpora sint: etiam illam ipsam uim corporeum quiddam esse, & simile nutriri simili, contrario marcescere, est consentaneum. Quod tamen negat Cicero: quem mouet uis memoriæ, ut diuinum quiddam esse statuat. Medici eiusdem & incrementa & decrementa spectantes, diuersum sentiunt.

Humana memoria multis est impedimẽtis & incõmodis obnoxia.

CLXII.

CLXII. SENTENTIA.

Memoria Platoni recordatio est uitæ superiori.

Quam quidem (memoriam) Plato recordationẽ esse uult uitæ superioris. Nã in illo libro, qui inscribitur Menon (siue de uirtute) pusionẽ quendam Socrates interrogat quædam Geometrica, de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer: & tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eò perueniat, (quò, si) quasi Geometrica didicisset. Ex quo effici uult Socrates, ut discere nihil aliud sit, quàm recordari. Quem locũ multò etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excesßit è uita. Docet enim quemuis, qui omnium rerum rudis esse uideatur, bene interroganti respondentem, declarare se non tum illa discere, sed reminiscẽdo recognoscere: nec uerò fieri ullo modo posse, ut à pueris tot rerũ, atq; tantarum insitas, & quasi cõsignatas in animis notiones, quas ἐννοίας uocant, haberemus, nisi animus, antequam corpus intrasset, in rerum cognitione uiguisset.

EXPLICATIO.

Somnium hoc est τῆς κατὰ πυθαγόραν μετεμ-

μετεμψυχώσεως: *etsi eandem & Synesius, Cyrenaicæ pentapoleos episcopus: sed philosophus potius quàm Christianus (ea quidem in re) approbat: scribit ille certè quadã epistola,* ἔξω μὲν, καὶ πρὸς τοὺς πολλοὺς, θεολογήσω: ἔνδον δὲ, καὶ πρὸς ἐμαυτὸν, φιλοσοφήσω *(foris & apud uulgus pro Theologo me geram: intus uerò & mecum, ipse philosophabor.) Idem* τὴν φιλόσοφον, *Theonis Alexandrini filiam, Hypatiam, eiusq́; Pythagorica dogmata pluris fecisse uidetur, quàm sacrarũ literarum autoritatem. Quod exemplum ideo cõmemoro, ne mirentur adolescentes, si quãdo in tales Theologos inciderint: quorum consuetudo & collocutiões remis uelisq́; fugiẽdæ sunt. Sed ad Platonẽ redeamus. Si uera esset illa* ἀνάμνησις: *quisque puer ei arti discendæ maximè uideretur idoneus, cuius cognitionẽ eius animus in alio corpore habuisset: neq; cerdonis ullius ingeniũ pdiscẽdis mathematicis disciplinis foret accõmodatũ: neq; qcquam liberale prodiret ex officina. Gemistus Pletho, Si, inquit, anima infantis (ut tradit Aristoteles) tabulæ politæ similis esset, omnis scripturæ experti, & cuiusuis capaci: qd phiberet, si hoc corpore antiquior esset anim⁹: ne cogitaret, ne cerneret, ne cognosceret,* ante-

Pythagorica transanimatio non nullis nimium placet.

Animus ea tantùm ui detur recordaturus, quæ in alio corpore tenuisset.

antequam corpus ingrederetur? Quòd ſi cogitabat, cernebat, cognoſcebat: quomodo in prima ſua in corpus ingreſsione, illorum oblitus, poſtea uerò recipiens eadem, quæ antea ſciuit, non reminiſci dicatur? Sed alij, his perplexis & uanis cauillationibus reiectis, docilitatem humani ingenij τῇ φυσικῇ δυνάμει, καὶ ταῖς προλήψεσι *tribuũt: & Porphyrius hominem definit,* ζῶον λογικὸν, θνητὸν, νοῦ καὶ ἐπιστήμης δεκτικόν. *Homo, inquit, eſt animal ratione & ſermone præditum, mortale, intelligentiæ ſcientiæq; capax, hoc eſt, ut opinor (nihil enim affirmo) mens & intelligentia non tam innaſcitur homini, quàm doctrina inſeritur, ut & ſcientia. Puto enim* λόγον καὶ νοῦ *hic diſtingui, & menti maiorem quandam uim tribui, quàm* τῷ λόγῳ*: quẽ ſermonem fortaſsis hic rectius interpreteris. Vtcũque ſit, ut auis ad uolatũ, equus ad curſum, piſcis ad natandum: ſic ad diſcenda plurima homo natus eſt: ad alia tamẽ alij ſunt aptiores, pro ratione temperamenti, & poſitu ſiderum: ut phyſicis & Aſtrologis placet. Neque uerò uel aues uel equi uel piſces omnes pari & agilitate & magnitudine & uiribus ſunt, etiam in eodem genere: nec ullum denique genus animantium. In hominum autem*

Docilitas & memoria (quæ uno ingenij nomine cõtinentur) ſunt facultatis cuiuſdam, natura inſitæ.

tem ingeniis & moribus, maximum apparet discrimen: adeò ut Cardanus non omnium hominum animis parem immortalitatem tribuere uideatur: sed plebeias animas hebetium & indoctorum hominum, ab animis bestiarum caducis non distinguere.

CLXIII. SENTENTIA.

Cumq; nihil esset: (animus hominis) ut omnibus locis à Platone disseritur (nihil enim putat * esse, quod oriatur & intereat: idq; solum esse, quod semper tale sit: qualem ἰδέαν appellat ille: speciem nos) non potuit animus hæc in corpore inclusus, agnoscere: cognita attulit (ut magnes uim attrahendi ferri.)

Plato nihil esse censet id, quod oriatur & intereat. μὴ εἶναι, ἢ τὸ μηδὲν εἶναι.

EXPLICATIO.

Est hæc μείωσις κατὰ σύγκρισιν τῶν κρειττόνων *(extenuatio collatione præstantiorum) ut accidens substantiæ, terra cælo, cælum Deo (qui & in sacris literis* ὁ ὢν *dicitur) comparatũ, nihil est: quamuis per se magna atq; amplissima: ita mortalia & caduca si conferas cum æternis, pene euanescunt. Obseruetur* τὸ εἶναι, *uerbum esse, id est,* ἡ οὐσία, κατ' ἀπόφασιν τοῦ μὴ εἶναι τὰ λεγόμενα συμβεβηκότα, ὀλιγοχρόνια ὄντα καὶ εὐμετάβολα. *De Ideis alibi, quantum satis uideretur, diximus.*

Verba ſic ordinentur: Animus cũ nihil eſſet (ſi æternus non eſſet) non potuiſſet hæc agnoſcere, quæ nunc interrogatione commoda excitatus, agnoſcit.

CLXIIII. SENTENTIA.

Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur.

EXPLICATIO.

Causarum cognitio tollit admirationẽ.

Admirabilis ſanè eſt tot tantarumq́ rerum cognitio in homine ingenioſo & erudito: ut admirabilis fuit Ioſephi patriarchæ, è ſqualore carceris ad Aegypti principatum euectio. Sed qui mutationis illius cauſam, & Pharaonis erga illum liberalitatem cognorant: mirari deſierũt. Sic quia homo diuino utiq́ munere ſecum theſaurũ attulit uariæ cognitionis, ut D. Paulus ait, in uaſis fictilib. id eſt, terrenis corporibus, recõditum: admiratio minuitur: quia Deum poſſe, largiriq́ ſcimus omnia. Is uerò theſaurus paulatim ſe aperit, & conſpiciendum præbet: nec ſtatim urit, ut urtica: ſed, ut pulli uolucrum, natis demum pennis, uolat. Nam ἡ δύναμις longiuſculo interuallo τὴν ἕξιν καὶ ἐνέργειαν antecedit. Cæterùm parùm conſentit dictũ hoc cum illo eiuſdem Socratis: hoc unum ſcio, me nihil ſcire. Sed huiuſmodi dicta, in ſpeciem pugnan-

Dicta in ſpeciẽ pugnantia, ſunt interpretatione commoda concilianda.

pugnantia, sunt, æquitate adhibita, nec tam uerbis quàm sententiis expensis, & circũstantiis consideratis, atq; συγκριτικῶς, concilianda. Nam altero uoluit Socrates minuere δοξοσοφίαν (inanem sapientiæ persuasionem) cùm reuera omnis humana cognitio ne minima quidem pars, aut (ut significãtius Græcè dicam) οὐδὲ πολλοστημόριον, καὶ μυριοστημόριον (quam Lucretius Multesimam uocat) sit eorum, quæ ignorantur: altero, animos hominum à desperatione reuocare ad meditationis diligentiam (quantulumcunque enim id est, quod addiscimus, nobis quidem est maximum: si præsertim cum indoctorum ignorantia & stupore comparetur) & in spem immortalitatis erigere: quæ spes, à multis sordidis & uanis cogitationibus & conatibus homines abstrahit: & ut altè spectent, atque cœlestem sedem, ac æternam domum contueantur, efficit.

CLXV. SENTENTIA.

Neque ea (tam multa) planè uidet animus, cùm repente in tam insolitum, tamq; perturbatum domicilium immigrauit: sed cùm se collegit atque recreauit: tum agnoscit ea (quæ in uita superiore cognouerat) reminiscendo. Puerilis ignorationis πιθανὴ ἀπολογία.

EXPLICATIO.

Προκαταληπτικὸν *hoc est, & αἰτιολογία, pueriliis inſcientiæ, ſatis bella. Quòd ſi ludere libeat: argumentari licet à comparatis, hoc modo: cùm homo, uel morbo, uel tẽporis longinquitate, eorũ etiã, quæ in hoc corpore cognouit, ita nõnunquã obliuiſcatur, ut eadem de integro diſcere cogatur: nõ eſſe mirũ, excidiſſe ei illa, quæ in alio multoq; antiquiore corpore tenuerit. Sed ad rem: alÿ nimiam humiditatem puerilis ætatis, & imperitiam rerum cauſantur. Nam (ut ait Euripides.)*

Puerorum humiditas. Imperitia.

ἡ ὁμιλία

Πάντων βροτοῖσι γίγνεται διδάσκαλος

(congreſſus & collocutiones, omnia mortales docuerunt.) Sed tamen haud iniuria mireris, animum tot tantasq; res (ut Plato affirmat) in alio corpore cognitas, reminiſci: unũ uerò illud, longeq; facilimum, in alio corpore ſe fuiſſe, & quo, & quali, & quando, & ubi, non reminiſci: ac lethæo poculo, τῶ καθόλου obliterato, τὰ καθέκαστον remanſiſſe. Quod perinde eſſe uidetur, ac ſi quis, quicquid Plato docuiſſet, meminiſſet: ſed Platonem in Academia docentem ſe audiuiſſe, oblitus eſſet. aut, ſi quis omnium Cardinalium & patriciorum Romanorum palatia cum omni apparatu-

Abſurdum eſt, multa minuta recordari: illud unum in alio ſe fuiſſe corpore, animum non meminiſſe.

paratu commemorare posset: Romæ autem se fuisse, nesciret: cum Natura ferat, ut unũ aliquid magnum longè facilius, quàm minuta complura, memoriæ mandemus. Pythagoræ quidem hoc sanè concesserit pater Mercurius, ut se & Panthoiden, Euphorbum, & Pyrrhum, Delium piscatorem, & meretriculam, & uerò gallum gallinaceum fuisse, meminerit. De qua postrema metamorphosi festiuus admodum extat Luciani dialogus, qui ἀλεκτρυὼν *inscribitur. Nos uerò Socrati cum Cicerone dicamus licet: Ego non commemini, antequam sum natus, me alium. Tu, si meliore memoria es, uelim scire ecquid de te recordere?*

CLXVI. SENTENTIA.

Ita nihil aliud est discere, nisi recordari. In negligẽtes & obliuiosos auditores.

EXPLICATIO.

Hoc si uerum est: quid præceptor ijs faciat discipulis, qui siue imbecillitate memoriæ, siue incuria, nihil eorum recordantur, quæ sexcenties audiuerunt & legerunt? Nihil illi rectè aut perpauca discunt: cùm in thesaurum eruditionis memoriam, quam uel nullam uel incultam & in exercitatam habent, reponant. Ablegentur isti ad lacum

OBLIVIVM, *cui uicinus est fluuius* INCVRIVS: *cuius aqua illis, in omniũ bonarum rerum ignoratione & contemptu, Nectare & Ambrosia erit dulcior. Nam apud nos quidem, qui Hesiodi laurum illis porrigere nequimus (nec enim Musæ, sed literatores laboriosi sumus) nihil nisi, Danaidum instar, aquam cribro in pertusum dolium hauriunt: ipsi pleni rimarum, hac atq; illac perfluentes.*

CLXVII. SENTENTIA.

Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet uim? aut unde naturam? Non quæro, quanta memoria Simonides fuisse dicatur: quanta Theodectes: quanta is, qui à Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cyneas: quanta nuper Carneades: quanta, qui modò fuit, Scepsius Metrodorus: quanta noster Hortensius: de communi hominum memoria loquor, & eorum maximè, qui in aliquo maiore studio, & arte uersantur: quorum quanta mens sit, difficile est existimare: ita multa meminerunt. Quorsum igitur hæc spectat oratio? quæ sit illa uis, & unde

Exẽpla insignis memoriæ: quali & Seneca gloriatur.

de

de sit, intelligendum puto. Non est certè nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum.

EXPLICATIO.

Cætera quæ hic ex parte repetuntur, suprà declarata sunt. Ego uicissim quæro: quid est illud quod obliuiscimur? quam habet imbecillitatem? aut unde naturam, si non ex cerebro est? Quòd si è cœlo & diuina esset memoria: cur morbis, casibus, senio amitteretur? Sed hæc antè tractata sunt.

Si memoriam admiramur: qd ni & obliuionem?

CLXVIII. SENTENTIA.

Anima (id est aer, halitus, spiritus, quiddam uenti simile) sit animus, ignisue nescio: nec me pudet, ut istos (dogmaticos philosophos, ut sunt Epicurei, Peripatetici, Stoici: qui se omnia scire putabãt) fateri nescire, quod nesciam.

Probabilis ignoratio nis Ciceronem non pudet.

EXPLICATIO.

Ingenuitas hæc Ciceronis atque Academicorum (qui à sustinendo assensu ἐφεκτικοὶ, & à meditando σκεπτικοὶ dicuntur) & laude & imitatione digna est, in rebus maximè dubiis & obscuris. Adolescens aũt, liberali præditus ingenio, ea quæ uel à præceptoribus

Nemo simulare debet, ea se scire, quæ non didicerit.

proponuntur, uel, de eorum sententia, priuato studio leguntur, sedulò discat, operámque det, ut eorum rationem poßit reddere: multóque magis, ut ea, quotiescunque res postularit, ad usum & scribendi & dicendi & agendi norit accommodare. De iis uerò, quæ ignorat, interrogatus: nondum se ea didicisse: daturum uerò operam, ut per occasionem addiscat, nihil est, quod erubescat. Fucum autem uelle facere doctis, inane est & ridiculum (statim enim deprehenduntur asini Cumani auriculæ) imperitis uerò, ut facile & expeditum: ita uanum & Thrasonicum est. Extat Græcus uersus:

Πουλυμαθημοσύνη, ἧς οὐ κενεώτερον ἄλλο:

(Multa scientia: sed qua nil est uanius usquam) quo monemur, ut in certo aliquo studiorum genere unusquisque elaboret & excellat. Nam ἡ πανεπιστημοσύνη, humani ingenij angustiis negata est: tametsi alij alijs in cognitione uerborum & rerum longius progrediuntur. Neque tamen hoc dicto τὰ προπαιδεύματα (id est, tirocinia & rudimenta, & præparationes quædam) linguarum & artium liberalium, & historiæ, & summæ atque methodi aliarum rerum scitu dignarum, repudiantur.

Summam bonorum fac ut noris omniū.

CLXIX.

CLXIX. SENTENTIA.

Illud,si ulla alia de re obscura,affirmare possem: siue anima, siue ignis sit animus: eum iurarem esse diuinum. Quid enim? obsecro te,terráne tibi,aut hoc nebuloso, & caliginoso cælo, aut sata, aut concreta uidetur tanta uis memoriæ?

Memoria diuinum quiddam est: obliuio humanũ, uel brutũ potius.

EXPLICATIO.

Et rectè quidem ita iuraueris, Cicero. Est enim imago Dei, & spiritus uitalis, inditus homini à Deo. Diuino ergo munere, diuinæ naturæ, utcunq;, magis tamẽ quàm ullæ aliæ animantes, stirpes, gemmæ, particeps est animus humanus, & Dei Optimi Maximi liberalitate atq; munere immortalis, & beatus futurus. Notetur & illud obiter: Ciceronem & alios modestiores Academicos, ἐποχὴν καὶ ἀκαταληψίαν illam suam, non promiscuè omnibus domesticis & sensui obuijs, sed obscuris tantùm & subtili ratiocinatione indagandis rebus adhibuisse.

Animus rectè diuinus dicitur.

Modestiores Academici de rebus tãtùm obscuris dubitant.

CLXX. SENTENTIA.

Si,quid sit hoc (memoriæ uis) non uides: at quale sit uides. Si ne id quidem: at quantum sit,profectò uides.

EXPLICATIO.

Quale & quantum, pro, qualis & quanta res sit, imitatione Græca dixit. Ad sententiam quod attinet: ut suprà & Deum & diuinum animum ex operibus cognoscendum esse docuit: ita et nunc memoriam è ui sua esse æstimandam, gradatione quadam, & quasi decremento monet, quamuis natura eius incognita Naturas et causas rerum perspicere, est sanè difficilimum: qualitates & uires expeditius deprehenduntur: magnitudo & figura facilimam habēt cognitionem: quia incurrunt in oculos: etsi magnitudo & uis memoriæ idem fere sunt.

Effecta facilius quā efficientia cognoscuntur.

CLXXI. SENTENTIA.

Cicero memoriæ cōparatiōes reijcit.

Quid igitur? utrum capacitatem aliquam animum putamus esse, quò (pro, in quam) tanquam in aliquod uas ea, quæ meminimus, infundantur? absurdū id quidem. Quis enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi potest? aut quæ tanta omninò capacitas? an imprimi, quasi ceram, animū putamus? & memoriam esse signatarum rerum in mente uestigia? quæ possunt uerborum, quę rerum ipsarū esse uestigia? quæ porrò tam immen-

immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere?

EXPLICATIO.

Metaphoras et similitudines, quibus nõnulli memoriæ uim declarare conãtur, tanq̃ ineptas & alienas, repudiat: etsi illæ aliquo defendi mõ possũt. Vt enim uas, ita & memoria, alia est alia capacior & tenacior. Neq; uerò ipsæ res, quas meminimus, animis infunduntur: sed corporũ expertes imagines, ut urbis, puinciæ, orbis terrarũ, Oceani, Mũdi deniq; totius. Quæ ipsa tamen uis pfectò est admirabilis, & planè diuina: quæq; meritò oẽs sanos ab admiratione et amore caducarũ rerũ ad sapiẽtiæ studiũ auocare et incitare debebat. Ceræ similitudo et sigilli, etsi multas et magnas habet dissimilitudines (eidẽ enim ceræ nõ nisi una imago eodẽ tẽpore inprimitur: nisi deleatur aut cõfundatur prior: memoriæ eidẽ diuersæ & infinitæ) tamẽ ut cera, sic et cerebrũ molle, faciliùs imagines recipit: & celeriùs imprimitur: et imagines impssæ, faciliùs delẽtur et citiùs: durũ cõtrà, nec se tã accipiendis formis pbet obsequẽs: et acceptas cõstãtiùs retinet: ut marmor, ut plumbũ, ut æs, et cætera metalla. Memoriã porrò, p uitæ generib. statuere licet, aliã œconomicã, & mediocrẽ: qua uulgus

Memoria uasi aut ceræ non incommodè comparatur.

Non res ipsas, sed rerum imagines memoria complectitur.

Memoria alia cerea, alia marmorea.

Memoria ꝑ uitæ ac negociorũ generibus, maior minor'ue requiritur.

uulgus hominum contentum est: ut agricolæ, opifices, mercatores, milites, notarij, pædagogi, & id genus alij: aliam politicam & oratoriam, multò uberiorem: aliam philosophicã, hoc est, eruditorum in quouis disciplinæ genere hominum: quam esse amplissimam & capacissimam (nomini modò suo respondeant) necesse est. Illud tamen tenendum in uniuersum: quò cuiusq; negocia, siue priuata siue publica, latiùs pateant: quò in plures maioresq; res animi quasi distrahantur & extendantur: eò maiorem memoriæ uim ab unoquoq; postulari: modò res suas bene uelit administrare. Itaq; studiosum adolescentem, è rudimentis linguarum et artium dicendi eluctatum, γνωσιμαχεῖν decet: nec nisi ea sequi, quæ assequi posse uideatur: in uno aliquo disciplinæ genere, quod uel iudicio delegerit, uel aliorum autoritate fuerit amplexus, potissimum elaborantem. ἡ μὲν γὰρ πανεπιστημοσύνη, ἰδία τοῦ θεοῦ ἐστὶν: ἡ δὲ πολυμαθημοσύνη, πάνυ ὀλίγων. (Nam omnia quidem scire, Dei propriũ est: multa uerò scire, perpaucorum.) Longè autẽ præstat, in certa quapiã arte excellere: quàm uarietate studiorum, ingenium fatigare: &, exulis instar, huc atq; illuc oberrantem, nusquam esse domi, nulloq; in loco diutius consistere.

Quisq; id sequatur, quod possit assequi.

ſtere. In hac ſententia obſeruetur Græciſmus: animus imprimitur quaſi cera, ἡ ψυχὴ ἐγχαράττεται κηροῦ δίκην, pro, aliquid imprimitur animo, tanquam ceræ. Sic Horatius dixit, inuideor, pro inuidetur mihi. Quòd dicit, quæ talis animi figura? alludere uidetur ad figuras Geometricas, triangulas, quadratas, & id genus reliquas: inter quas rotunda perhibetur omnium capaciſſima: quæ tamen non adeò ſit capax, ut uel minimam eorum partem, quæ memoriæ inhærent, cõplecti poſſit & continere.

CLXXII. SENTENTIA.

Quid? Illa uis quæ tandem eſt, quæ inueſtigat occulta: quę inuentio atq; excogitatio dicitur? ex hac'ne tibi terrena mortaliq; natura & caduca, concreta ea uidetur? aut, qui primus, quod ſummæ ſapiẽtiæ Pythagoræ uiſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina? aut qui diſſipatos homines congregauit, & ad ſocietatem uitæ conuocauit? (num uidetur è mortali natura concretus?) Inuentionis atq; excogitationis admiratio.

EXPLICATIO.

Alibi docilitatem & memoriam, uno ingenij nomine appellat: hîc pro docilitate inueſtigationem,

Artium inuentio est ingens miraculum.

Impositio nominum uidetur esse fortuita plerunq;.

Natura societatis autor.

Literarum & notarū miraculū.

stigationem, inuentionem atq; excogitationē ponit. Intelligenda est autem inuentio non tam Dialectica & oratoria (quamuis & hæc ipsa magnum quiddam est atq; præclarum) quàm artium & liberalium & mechanicarum: quæ nimis superbè & arroganter à Græcis βαναυσοι (quasi furnarias dicas) à Latinis sordidæ appellantur & illiberales: cùm sine ijs nec potentissimi reges, nec formosissima reginæ, uel uitam sustentare, uel splendorem suum tueri possint. Enumerat autem, impositionem nominum, quæ, ut in Hebræa lingua naturã cuiusq; rei explicent (de qua ego nihil pronunciare possum) in plerisq; certè linguis uidetur esse fortuita: hominum consociationem, cuius natura ipsa, ut formicis & apibus, occulta quadam ui, est autor: inuentionē literarum, quæ profectò ingens est miraculū, tam paucis notis, tam uarias cogitationes humani animi, & ad absentes, & ad omnem posteritatem perferri posse. Literis non admodū dissimiles sunt (quod ad uim quidem ipsam attinet) picturæ eruditæ, musicorum notæ, & hieroglyphicæ Aegyptiorū imagines: quas & etiã imitati sunt, qui memoriæ artem tradiderūt: astrologiam, agriculturam, totamq; rationem & constituendæ & tuendæ rei familiaris:

miliaris: facultatem oratoriam atque poëticã; & ipsam denique philosophiam: matrem atque procreatricem bonarũ artium omnium Praeclareque dicit, diuinam uideri sibi uim, quae tot res efficiat & tantas, & per consequens, immortalem. Quod utique uerum est, quia diuinitus affirmatum: quicquid cauillentur contrà philosophastri. Hoc idem & poëtae senserunt, qui omnium rerum uitae necessariarũ inuentionem certis quibusdam Dijs acceptã retulerunt, ac potius homines earum rerum inuentores, in Deorum numerum retulerũt.

Ac ne Aristoteles quidem huic sententiae repugnat, sed potius suffragatur secundo de ortu animalium his uerbis: λείπεται, τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι: καὶ θεῖον εἶναι μόνον: *hoc est: restat ut sola mens extrinsecus accedat: & sola sit diuinum quiddam. Itemque secundo de animo,* περὶ τοῦ νοῦ, *inquit,* οὐδέπω φανερὸν: ἀλλ᾽ ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι: καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεσθαι χωρίζεσθαι: καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ. *Hoc est: De mente nondum constat: sed uidetur ab anima genus diuersum esse (uel, diuersum esse genus animae, nec uegetantem, nec sentientem, & caetera) & hoc solum separari posse: quemadmodum aeternum ab eo quod corrumpitur.*

Aristoteles animorum immortalitatem non negat.

Sed

Sed tamẽ hæc omnia ad φυσικὴν δύναμιν referri, & multa contrà afferri poſſunt (quæ & nos ſuprà attigimus: & Cicero ipſe paßim tractat) quibus hæc ſententia labefactatur: τῶν λόγων (ſecundum Euripidem) καταπαλαιόντων τοὺς λόγους. Nã ſi hæc omnia, in multis, non minus quàm forma & uires corporis, morbo deflorescunt: ſi in pleriſq; longiore ætate, ſi non prorſus extinguuntur, at ita minuuntur, ut uix agnoſcas eoſdem eſſe: quid in morte fieri putandum? inſtrumentis non tantum impeditis, ſed planè comminutis?

Morbus & ſenectus, animi uim debilitant.

CLXXIII. SENTENTIA.

Aut qui ſonos uocis, qui infiniti uidebantur, paucis literarũ notis terminauit?

EXPLICATIO.

Peruulgata miracula uulgò, negliguntur.

Magnum utiq; eſt hoc (ut dixi) miraculum: quod, quia peruulgatum eſt, ut ortus & occaſus Solis, & temporum anni certæ uices, aliaq; plurima: parui æſtimatur. Studioſi autem hominis eſt, hæc admirari maximiq; facere: & ſingularia Dei dona gratis animis agnoſcere. Mirifica certè quidem res eſt, & totam uniuerſitatem rerum humano ingenio comprehendi: & tam paucis literis infinita conſcribi uolumina. Sed ſingularum notarũ,

earum

earum præsertim, quæ uocales dicuntur, plures ac diuersos esse sonos, & in singulis ad denarium usq; numerum progredi, Priscianus monuit: sicut diuersis rebus multis eadem uocabula tribuuntur. Sed hæc, in explicatione utriusq; Grammaticæ ab eruditis & diligentibus magistris tractanda, hîc omittamus.

Grammatico uis literarū declaranda est.

CLXXIIII. SENTENTIA.

Aut qui errantium stellarum motus, progressiones, institiones notauit.

EXPLICATIO.

Motus, ab occasu in ortum: item uersus meridiem & septentrionem, quæ latitudo dicitur: progreßiones, κινήσεις εἰς τὰ ἑπόμενα, *ut cùm ♂ ex ♈ in ♉ transit: quod cùm facit, uulgò directus appellatur. Progreßionibus contrariæ sunt Retroceßiones, quæ retrogradationes dicuntur,* κινήσεις εἰς τὰ προηγούμενα: *ut cùm idem ♂ è ♉ in ♈ se confert. Potest intelligi & celeritas & tarditas motus: unde* προστίθεται καὶ ἀφαιρέται τοῖς ἀριθμοῖς *nominantur. Sunt autem ueloces, cùm mediū motum superant: tardi, cùm eum non attingūt. Medius porrò motus intra 24 horarum spatium est, ♄ G.0.M.2.S.1: ♃ is G.0.M.4.S.59. ♂ tis G.0.M.31.S.27. ☉ is, ♀ is, ☿ ij, G.0.*

Varij sunt errantium stellarum motus.

M.59.S.8. ☽ *G.13.M.10.S.36. Litera G, gradus siue partes μοίρας : M. Minuta, λεπ̀ὰ πρῶτα, scrupula prima: S secunda significat. λεπ̀ὰ δεύτερα, Scrupula secunda.* Instítiones (*apage institutiones) ab insistendo dicuntur ςηριγμοὶ: cùm planetæ & ante et post retrocessionem quasi stare, & neq; progredi neq; regredi uidentur: unde uulgò stationarij, Græcè ςηρίζοντες dicuntur. Sed hæc ex elementis astronomicis & ephemeridibus cognoscenda sunt: ad quæ inuestiganda allicere, aut saltem admonere uolui studiosos adolescẽtes.*

CLXXV. SENTENTIA.

Omnes magni, etiam superiores, qui fruges, qui ueſtitum, qui tecta, qui cultũ uitæ, qui præsidia contra feras inuenerunt. A` quibus manſuefacti & exculti, à neceſſarijs artificijs ad elegantiora defluximus (alij deflexímus.)

EXPLICATIO.

Sic & Isocrates in Panegyrico artes diuidit εἰς τὰς πρὸς τὰ ἀναγκαῖα τοῦ βίου χρησίμας: καὶ τὰς πρὸς ἡδονὴν μεμηχανημένας & addit: οἱ πρῶτοι φανέντες ἐπὶ γῆς τὸν βίον οὐχ οὕτω κατεσκευασμένον εὗρον: ἀλλ' ἑαυτοῖς κατ' ὀλί-

ὀλίγον ταὐαγκαῖα συνεπορίσαντο. *Qui Græca nesciunt: legant (si uidebitur) conuersionē Isocratis meam, decies iam, aut amplius repetitam. Cæterùm hæ elegantiæ, ut ignauum ocium magnæ partis hominum sustulerunt: ita luxum, auariciam, superbiam, atq; adeò miserias eorum, qui sine istiusmodi elegantijs uitam nullam esse putant, magnopere auxerunt:* πλειόνων γινομένων τῶν παρέργων, ἢ τῶν ἔργων: καὶ τῶν περιττῶν ἢ τῶν ἀναγκαίων. *Quid enim aliud furem fecit Verrem, quàm admiratio signorum & tabularum? sine quibus illi, quieto & beato esse licuisset. Quid ita loculos procerum exhaurit, ut insanæ substructiones? ut nequißimorum seruulorum multitudo? ut gemmæ, monilia, uestes holosericæ & auratæ? ut* ἱπποτροφία, *& peregrinorum animalium conquisitio? ut luxuriosißima conuiuia? Denique ut magnifici apparatus, uitæq; cultus cum elegantia & copia? quibus rebus effectum esse iam olim Cicero conquestus est, ut infinita esset pecuniæ cupiditas. Nam de bellis superuacaneis quid dicas, quæ demenso non pascuntur? quæ uel potentißimi monarchæ diutius tolerare non potuerunt? Romanos certè ætate Ciceronis sæpe defecit ærarium. Vnde expilatio prouinciarum*

Elegantiora artificia luxui materiam præbent.

ὁ πόλεμ☉ τεταγμένα οὐ σιτεῖται.

rum consecuta est: & Ptolemaus rex, Cypro per Clodianam rogationem iniquissimam, suffragante etiam Catone, insons pulsus, & ad necem sibi consciscēdam impulsus est. Sed hæc uiderint potentes: qui & ipsi rationē reddere Deo cogentur administrationis suæ. Pius autem & modestus adolescens frugalitati assuescat & parsimoniæ in rebus omnibus: & oraculum ex Euripide sumptum: Ἴση χάρις μεγάλοισι χαίρειν, σμικρά θ' ἡδέως ἔχειν, esse putet (æquè gratum ac iucundum est, in paruis acqescere, atq; gaudere magnis.) Viuitur & paruo bene, inquit Horatius: & uetus quidam poëta iubet: Et gallam bibere, & rugas inducere uentri. ἡ γὰρ γαστὴρ καὶ πολλὰ καὶ ὀλίγα χωρεῖ. (Venter & multa & pauca capit.) Xenophon autem meminisse iubet, ὡς ἡδὺ πεινῶντι μὲν μάζα: διψῶντι δὲ ὕδωρ (quàm suauis sit esurienti panis cibarius, sitienti aqua.) Fames certè quidem optimum condimentum est. Deniq; ut agendum cuiq; pro uiribus: ita sumptus moderandi sunt pro facultatibus: nec nido pennæ maiores extendendæ. Quæ si fierent: & turpis egestas, & improbæ fraudationes, & multæ pessimæ artes, & acerbissimæ exactiones, & crudeles carnificinæ uitarentur.

Adolescēs frugi & parcus esto.

Largitio fundo carēs, egestatem & rapinas parit.

CLXXVI.

CLXXVI. SENTENTIA.

Nam & auribus oblectatio magna ex parte est inuenta, & temperata uarietate & natura sonorum.

EXPLICATIO.

Et συμφωνία, & organica Musica, honestissima est studiosi hominis oblectatio: atq; etiã ad cultum religionis accommodata. Sed huius artis, ut & palæstræ, abusus est cauendus: in quem pronus lapsus est: ne nobis pro musicis, adolescentuli ebriosi, & alienæ pudicitiæ insidiatores: & pro palæstricis, gladiatores existant. Locus hic uariè legitur: quidam pro magna ex parte *(quod ineptum est)* magna parta, inuenta est. *Ego alterutra uoce contentus, legendum censeo, uel,* magna parta est: *uel,* magna inuenta est. Musicæ & palęstrę cauendus est abusus.

CLXXVII. SENTENTIA.

Et astra suspeximus, tum ea, quæ sunt infixa certis locis: tum illa non re, sed uocabulo errantia: quorum conuersiones, omnesq; motus qui animo uidit: is docuit, similem animum suum esse eius, qui ea fabricatus in cælo esset. Nam cùm Archimedes Lunę, Solis, quinq; errantium Cæli contemplatio est homine dignissima.

motus in sphæram illigauit: effecit idem quod ille, qui in Timæo Mundum ædificauit Platonis Deus: ut tarditate & celeritate dissimilimos motus una regeret conuersio. Quòd si in hoc Mundo fieri sine Deo non potest: ne in sphæra quidem eosdem motus Archimedes sinę diuino ingenio potuisset imitari.

EXPLICATIO.

Quantum inter cœlum ipsum & sphæram Archimedis interest: tanta est, ac potius infinito interuallo maior, inter Deum & Archimedem, omnesq́ Astrologos, dissimilitudo. Sed & (ut principis poëtæ uerbis utar) parua magnis componere fas est: et Archimedeũ hoc artificium, Lunæ, Solis, quinq; errantium motus in sphæram illigandi, ut tarditate & celeritate dissimilimos motus una regeret cõuersio: etiam nostra ætate meritò est in admiratione: nec sine diuino ingenio imitabilis: si præsertim non tam ipsam fabricam, quæ exemplis & consuetudine fere nititur, ut pleraque opificia, quàm fabricæ θεωρίαν cõsideres.

Sphæram Archimedis & nostræ quidã ætatis artifices sunt imitati.

Sed & uerba quædam declaremus. Stellæ uocabulo errant, id est, temerè uagari dicuntur, ut uiator ignarus uiæ: non re errant, quia habent certissimas progressiones & regressiones,

Stellæ, quę falsis Græcorum uocibus errant.

greßiones, & ab ecliptica uel in Austrum uel in Septentrionem euagationes. Alioqui enim nullo modo obseruari & prædici possent: non magis, quàm numerus fluctuum maris. Tarditate autem ac celeritate dißimilimos motus una regit conuersio: cùm primum mobile, quod uocant, cælum stellatum & septem planetas intra 24 horas ab oriente per meridiẽ, occasum & septentrionem usq; ad alterum ortum uiolenter secum rapit, celeritate non modò inenarrabili, sed quæ uix cogitatione comprehendi potest. Interim uerò planetæ cõtrarium tenent cursum ab occasu uersus ortum progrediendo. Vt si nauis prono feratur flumine: nauta uerò in ipsa naui aduerso flumine regrediatur. Itaq; Saturnus cursum suum annis triginta, Iupiter duodecim, Mars duobus, Sol, Venus, Mercurius uno anno, Luna uiginti octo diebus circitèr totum Zodiacum perambulant, & ad idem initium redeunt, ut in circulo & orbe fieri necesse est. Conuersionis tarditas & celeritas.

CLXXVIII. SENTENTIA.

Mihi uerò ne hæc quidem notiora & illustriora carere ui diuina uidentur: ut ego aut poëtam graue plenumq; carmen sine cælesti aliquo mẽtis instinctu, Poefis & eloquẽtia sunt diuinum quiddam Ciceroni,

putem fundere: nec eloquentiã sine maiore quadam ui (hoc est, diuina) fluere, abundantem sonantibus uerbis uberibusq́ sententijs.

Omnis excellentia quandam diuinitatẽ præ se fert.

EXPLICATIO.

Cùm excellentes artifices, & uiros heroicos in quolibet uitæ genere omnes: tum uerò poëtas & oratores, nasci potius, quàm fieri uel institutione uel exercitatione atq; imitatione (etsi hæc minimè negligenda sunt) & exemplis, & eruditorum cõsensu constat. Itaque poëtæ Apollinem suum & Musas celebrãt (quæ nihil aliud sunt, nisi peculiaris quædam uis ingenij) & Ouidius magnificè exclamat:

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo
Sedibus ætherijs spiritus ille uenit. Item
Est Deus in nobis, sunt & cõmercia cæli.
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Hinc Plato θείαν τινὰ μοῖραν καὶ ὁμοιότητα φύσεως: Aristoteles uerò φυσικὴν δύναμιν celebrat: omnium artium atq; uirtutum fundamentum. Sed dolendum est, plerosq; & poëtas & oratores, excellente illa ingenij ui, atq; ἐνθουσιασμῷ turpiter abuti, ad obscœnas nugas, aut certè futiles, & ad oppugnandam ueritatem & æquitatem, defendendumq́ mendacium

Abusus & poeseos, & artis dicendi cauendus.

mendacium & iniuriam. Sed hi deprauatæ naturæ fructus ſunt, ex arbore diabolico ueneno infecta, naſcentes. Itaq; Plato in ſua Republica, nullum tolerat poetam, niſi honeſta & utilia uerſibus mandantem: & Homerum relegat propter abſurda de Diis commenta: ob quæ, quòd Deos pugnantes cum hominibus & inter ſeſe feciſſet, uiuens ab Athenienſibus pro inſano damnatus fuiſſe fertur.

CLXXIX. SENTENTIA.

Philoſophia uerò omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi (ut Plato ait) donum (ut ego) inuentum Deorum? Philoſophiæ laudes ab autore.

EXPLICATIO.

Quid habet homo quod non acceperit: cùm ipſe ex ſeſe minus nihilo ſit? Quò autem cuiuſq; rei maior eſt excellentia: eò maior diuinæ liberalitati gratia debetur. Platonis uerba in Timæo ſunt: τῆς φιλοσοφίας μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ᾽ ἦλθεν, οὔθ᾽ ἥξει τῷ θνητῷ γένει, δωρηθὲν ἐκ θεῶν (philoſophia maius bonũ neque uenit, neque ueniet mortali generi, donatum à Diis.) Et in Philebo, δόσιν θεῶν εἰς ἀνθρώπους, id eſt donum Deorum, datum hominibus, eam uocat. Neque uerò decet donare Deos nõ à ſe, ſed ab hominibus inuẽta. Deus & inuenit & donat omnia.

Et donum sanè plus est, quàm inuentũ: quòd inuenta nihil uetat penes autores suos manere solos. Dona uerò in eorum cedunt utilitatẽ, à quibus accipiuntur. Itaq; non uideo, quàm bella sit Ciceronis ista correctio. Sed est hæc sententia, philosophiæ definitio, partim ex causa efficiente, partim ex partibus.

Artes liberales sunt philosophiæ filiæ.

(Nam philosophiæ quasi filiæ sunt artes dicendi: mathemata, & rerum naturæ morũq; explicatio: & hæ ipsæ filiæ matrẽ tantã effecerunt, quanta est: sicut ænigma de glacie non inelegans circumfertur:

Mater me genuit, genitrix mox gignitur ex me)

partim καθ' ὑπεροχὴν constituta. Quid enim à diis immortalibus (ut Ciceronianè in explicando Cicerone loquamur) nisi eximium & diuinum proficiscatur?

CLXXX. SENTENTIA.

2 A præclaris effectib. Religio. Disciplina.

Hæc (philosophia) nos primùm ad Deorum cultum: deinde ad ius hominũ: quod situm est in generis humani societate: tum ad modestiam, magnitudinẽq; animi erudiuit.

EXPLICATIO.

Effectus philosophiæ hic describuntur uerissimi (si tamen addatur, κατὰ τὸ γνωστὸν ἀνθρώ-

αὐθρώπῳ, quatenus ab homine cognosci potest) & amplissimi. θεοσέβειαν necesse est θεογνωσία antecedat, φιλανθρωπία consequatur. Est autem iusticiæ (ut in officiis tradit) non lædere homines: modestiæ nō offendere. Magnitudo uerò animi in despicientia rerū humanarum, id est, corporearū & fortuitarum, & in admiratione atq; appetitione cælestium & diuinarum, hoc est, uirtutis & sapientiæ & immortalitatis, est collocata. Atq; hæc sunt τῆς πράξεως: in qua uersatur τό, τε ἐπιθυμητικὸν, καὶ τὸ θυμῶδες: quæ uno τῆς ὁρμῆς nomine Stoici complectuntur. Ea uerò quæ subijcit, τὸ ἡγεμονικὸν καὶ τὸν λόγον, τὸν τῆς ὁρμῆς κανόνα, exornant. Ne quis autem hæc naturæ potius quàm philosophiæ tribuenda censeat: multos, & fortasse plures, & fuisse & esse philosophos natura, quàm doctrina, facilè concedo. Sed de coniunctione naturæ & doctrinæ præclarè philosophantur cùm alij atq; alibi, tum Isocrates in Sophistica, tum Cicero in Archiana, tum Horatius in arte poetica.

Cognitio Dei cultū antecedit: humanitas sequitur.

Doctrina exornandū est ingenium.

CLXXXI. SENTENTIA.

Eademq; (philosophia) ab animo, tāquā ab oculis, caliginē dispulit: ut omnia supera, infera, prima, ultima, media uideremus.

Doctrina multiplex

EX-

EXPLICATIO.

Logica & mathemata sunt cotes ingeniorum.

Mens est animi quidam oculus, ut prudētia reliquarum uirtutum: cuius lemas & glaucomā, cùm omnes liberales artes, tum uerò Dialectica & Mathemata, abstergunt, & Solis instar, caliginem & nebulas, quibus aspectu ipsarum rerum prohibemur, depellunt. Sunt igitur hæ artes in adolescentia magno studio discendæ, agendæq́ gratiæ Deo & Magistratui, qui magistros earum, gratuitò docentes, obtulit. Quam occasionem neglexisse, olim serò pœnitebit. De his enim rectißimè usurpatur Stigelij distichon:

Quòd si in uere tuæ neglexeris ista iuuentæ:
Nulla tibi autumni tempore meßis erit.

Amplißima hominis scientia in magnis angustiis se dilatare studet.

Per supera, infera: cœlestia & diuina, terrenaq́ & humana intelligo: per prima, ultima, media: initia, progreßiones atq́ exitus rerum omniū: & causas atq́ effectus potius, quàm situm & ordinem uniuersi: ut à summo cœlo per intermedios orbes, & (ut Ausonius ait) aeris campos, ad imū terræ centrū progrediamur: itēq́ à Deo Optimo Maximo ad bonos & malos genios & omne genus animantiū, et stirpiū. Harū omnium rerū nemo unquā philosophus uel minimā partē cognouit. Itaq́ magnificentius ista scribūtur à Cicerone,

cerone, quàm uerius. Quò uerò plura & maiora quisq; consecutus est: eò φιλοσοφώτερος iure meritoq; habetur.

CLXXXII. SENTENTIA.

Prorsus hæc diuina mihi uidetur uis, quæ tot res efficiat & tantas. Quid est enim memoria rerum & uerborum? quid porrò inuentio? profectò id, quo nec in Deo quicquam maius intelligi potest. Immodicæ exaggerationes.

EXPLICATIO.

Sunt hæc ῥητορικαί τε καὶ ὑπερβολικαὶ αὐξήσεις, quæ ex musca faciunt elephantũ: uel ignoratione uel dißimulatione tum infirmitatis humanæ, tum diuinæ maiestatis.

CLXXXIII. SENTENTIA.

Non enim Ambrosia Deos aut Nectare, aut Iuuentate pocula ministrante, lætari arbitror. Sapientia est Nectar & Ambrosia deorũ.

EXPLICATIO.

Homerus Deos nec frugibus uesci, nec ardens uinum bibere: sed sanguine carere, & immortales uocari, tradit: eisq; domicilium aßignat, Olympi sedem perpetuò firmã: quæ neq; imbre unquam madefiat, nec uentis cõcutiatur. Nos uitam æternam & regnũ Dei non esse cibum & potum: sed in θεογνωσίᾳ, καὶ θεοσε- Regnũ Dei nõ est cib. & potus.

θεοσεβεία, καὶ θεοφιλία, καὶ φιλαδελφία, sitam esse: docent sacræ literæ.

CLXXXIIII. SENTENTIA.

Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Dijs raptum ait propter formam: ut Ioui pocula ministraret: non iusta causa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria.

EXPLICATIO.

Vidẽdum, quid liceat non quid libeat.

Est uirtus placitis abstinuisse bonis. Appetitus obediens rationi præbendus est: uidendumq́, non quid libeat: sed quid legibus diuinis, in cuiusq́ animo consignatis (Nã humanæ quidem leges ad multa flagitia & scelera conniuent, contraq́ mulctãt aliquãdo innocentes) liceat, quidq́ expediat. Mythologia de Ganymede rapto à Tantalo, qui Iupiter cognominaretur, & abducto naui, cui insculpta uel appicta esset aqla, petatur ab iis qui ista tractãt. Etymologia uerò παρὰ τὸ γαίνυσθαι αὐτὸν τοῖς μήδεσι, τουτέστι, τῇ φρονήσει, nõ corporis, sed animi formam Ioui esse gratam, innuit. Sed Vaioues nonnulli (ut apparet è Græcorum amatoriis orationibus) admirationem ingenij in puero, eiusq́ excolendi studium præ se ferentes, cùm ipsi lepores sint, pulpamentum quærunt; τὴν ἀσχημοσύνην

Vẹioues q. dã non animum, sed anum mirantur.

τιμὴν ἐν ἀλλήλοις κατεργαζόμενοι. Quàm enim præclara est Xenophontis gloriatio contra Menonem Thessalum: ὅτι μείζοσιν αὐτοῦ παιδικοῖς ἐχρήσατο; Idem, modò Cliniam uideret, in cæteris omnibus cæcus esse nō recusauit: & Platoni distichon tribuitur elegantius uerbis, quàm sententia uerecundius:

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, Ἀστὴρ ἐμὸς, εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς: ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω.

(Sidera tu, mea stella, uides. O lumina cœli
Sint mihi! quo multo lumine te uideam.)

quasi uerò præclara indoles oculis potius quā mentis acie perspiciatur.

CLZXXV. SENTENTIA.

Fingebat hæc Homerus: & humana ad Deos transferebat. Mallem diuina ad nos (ut transtulisset.) τὰ θεῖα ἐξ ἀνθρώπησιν Ὅμηρος: δέον τὰ ἀνθρώπινα ἐνθειάζειν.

EXPLICATIO.

Non probat Cicero in diis τὸ ἀνθρωποπαθὲς: in hominibus, Platonē autorē secutus, τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, requirit. Et rectè quidem. Exempla petenda sunt ab Archetypo: non Archetypū uitiosis exemplis conformandum. Aperiuntur aūt nobis hic obiter allegoriæ poeticæ (quæ suo nomine μυθολογία dicitur) fontes: ut intelliga-

Archetypō prestantissimum est deligendū.

Mythologiæ fons.

ligamus, per Deos & Deas, reges & reginas: per heroas, proceres, A' quorum nutu semper plebs infima pendet.

Quam Lucani Cæsar nimis insolenter à diuina prouidentia excludit, his uerbis:

Nunquam se cura Deorum
Sic premit, ut uestræ curæ, uestræq́ saluti
Fata uacēt: pcerū motus hæc cūcta sequūtur

Citatur à Plutarcho non dissimilis sententia: Iouem curare magna: cætera committere geniis minoribus.

CLXXXVI. SENTENTIA.

Quæ autem diuina? uigere, sapere, inuenire, meminisse.

EXPLICATIO.

Sunt hæc diuina: sed comparatione corporeæ brutæq́ naturæ. Non ergo hominis excellentia uel à formæ dignitate, uiribus, uelocitate: uel à fortunæ splendore, & nobilitatis insignibus, & affluentia diuitiarū, arcessenda est: sed in sapientia & uirtute collocādā.

CLXXXVII. SENTENTIA.

Locus de animi diuinitate, è Ciceronis Consolatione.

Ergo animus, ut & ego dico, diuinus, ut Euripides audet dicere, Deus est. Et quidem, si Deus aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura cœlestis, & terra uacat, & humore: sic

ſic utriuſq; harum rerum humanus animus eſt expers. Sin aũt eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta: primùm (προηγουμένως) hæc & Deorum eſt & animorum. Hanc nos ſententiam ſecuti, his ipſis uerbis in conſolatione hæc expreſsimus: Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt: nihil enim eſt in animis miſtum, atq; concretum, aut quod ex terra natum atq; fictum eſſe uideatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil ineſt, quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit pręſentia: quæ ſola diuina ſunt: nec inuenietur unquam, unde ad hominem uenire poſsint, niſi à Deo. Singularis eſt igitur quædam natura, atque uis animi, ſeiuncta ab his uſitatis, notisq; naturis. Itaque quicquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod uult, quod uiget: cœleſte & diuinum eſt: ob eamq; rem æternum ſit neceſſe eſt.

EXPLICATIO.

Rectè ſanè Cicero dicis. Eſt enim hæc imago Dei, uitalisq́; ſpiritus. Sed tamen hæc dum Cicero nõ ſatis ſibi conſtat.

dicit, autor parùm sibi constat. Nam nunc flabilem aut igneum esse animum Academica licentia negat: quod suprà concessit, atque adeò affirmauit: ut uerum sit illud Lactãtij: Non ab ullo posse Ciceronem, quàm à Cicerone uehementius refutari. Sed hoc illi, uolaticæ Academiæ (quã idem autor philosophiæ senectutẽ uocat) os impudens cõtulit.

CLXXXVIII. SENTENTIA.

His in naturis (terreis, humidis, flabilibus, igneis) nihil inest quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat.

EXPLICATIO.

Ab elemẽtis afficitur animus.

Vt hoc ita sit (quæ sint enim elementorũ, extra primas illas qualitates, caloris, frigoris, humoris, siccitatis, uires: soli Deo notum esse arbitror) At ab elemẽtis nõ minus affici, quàm corpora, & medicina docet, & testatur experientia.

CLXXXIX. SENTENTIA.

Animi natura singularis.

Nihil est in animis mixtum atq; concretum. Vel, Singularis est quædam natura atq; uis animi, seiuncta ab his usitatis notisq; naturis.

EXPLICATIO.

Si animi simplices essent: non debebãt tot tam cõtrariis affectibus agitari: nõ tot absur

dis

dis & mōstrosis opinionibus perturbari: non afficι tēperamētis corporū: nō ratione uictus & medicamētis mirabiliter immutari. At ista dicas, nō ipsi⁹ esse animi, sed è corpore in eū quasi redūdare? Robustius ergo si corp⁹ est animo: qd uires huius tātopere extollūtur? sed respōderi pōt, fieri hoc, ἐθελοκακέστης τῆς ψυχῆς, animi quadā mollicie atq; ignauia: etsi pfectò ea potius est imbecillitas et caligo: quarū causas pfani philosophi, sacris literis explicatas uel ignorarunt, uel reiecerūt pro commēticiis & fabulosis: Vnde illud Horatij: Imbecillitas & caligo repugnant animi simplicitati.

CREDAT IVDAEVS APELLA *(pelle præputij carens.)*

CXC. SENTENTIA.

Et præterita tenere, & futura prouidere, & complecti posse præsentia: hæc sola diuina sunt. Vel. Quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod uult, quod uiget, cœleste & diuinum est: ob eamq; rem æternum sit, necesse est.

EXPLICATIO.

Priore sententia partes prudentiæ enumerantur, quæ definitio Isocrati à nonnullis tribuitur: ὅτι δεῖ τὸν ἄνδρα τὸν φρόνιμον, τῶν μὲν παρεληλυθότων μεμνῆσθαι· τὰ δὲ παρόντα διαθέσθαι· τὰ δὲ μέλλοντα προορᾶν. *At quā*

Prudentia humana multis uitiis & erroribus est contaminata.

Vix quisquam est, quin se aliter uixisse uellet.

multa obliuiscimur? Quàm multa nunquã cognouimus? Quoties imprudẽtia labimur? Quàm negligenter & temerè pleraq; administramus? Equidẽ esse neminẽ existimo, quẽ acta sua à prima ætate repetentem, non magnoperè sui pudeat, tædeat, pœniteat: quiq;, si liceat ὥσπερ πεττὸν μεταθέσθαι τὸν βίον (uitã tanquã talum alibi collocare: ut Antipho dixit) non longè aliam rerũ suarũ ferè omnium rationem sit initurus, quam fortassis & ipsam extrema ætate mutatam uellet. Adeò nihil certi, explorati, firmi est uel in rebus uel ingeniis humanis. O miseram ergo diuinitatem, tot erroribus, uitiis, miseriis, pœnitentiæ tam frequẽti obnoxiam. Notæ sunt et ipsius Ciceronis exclamationes & querelæ ex epistola ad Octauiũ, è familiarib. atq; ad Atticũ: & 2. de diuinatione queritur, bonã mentem paucis esse datã, malã plerisq;. Quæ ab Hegesià Cyrenaico τῷ πεισιθανάτῳ (persuasore mortis) sic fuisse deplorata, ut multi, qui τὴν αὐτοχειρίαν, id est, sui ipsius cædem, licitam, mortem omnium ærumnarum finẽ esse putarent, attentius illa considerantes, necem sibi consciuerint, quis miretur? Nos certè quidem Christianos hæc eadem ad rerum humanarum despiciẽtiam, diuinarũq;

Non ad laqueum, sed ad expetendum cœlũ

appe-

appetitionẽ et desiderium incitare deberent. Hegesiam imitatus est, quisquis ille fuit natione Gallus (uir certè doctus & eloquens) qui Theatrũ humanæ miseriæ edidit: ita descriptæ, ut ipsa recordatione tot calamitatũ, uitiorũ & scelerũ, quis posset ad uitæ odiũ inflãmari: nisi natura insitus uitæ amor, & ipsa malorũ assuetudo atq; obliuio, & nescio quæ spes, fore breui omnia meliora, obstarẽt. Vanissima illa quidem et stultissima. Quis enim non uidet ac sentit, indies omnia ruere in deterius? Accedũt Cometæ. Eclipses, & alia portenta, nihil nisi triste & dirum minitãtia: præsertim cùm adeò obstinatis animis simus, ut ne latum quidem digitum, propter istas admonitiones, ab usitata stulticia, & inueterata malicia discedamus.

miseriæ nostræ cogitatio nos adigere debet.

Theatrum humanæ miseriæ.

Meliora uix sperare possumus.

CXCI. SENTENTIA.

Nec uerò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest: nisi mens quædam soluta & libera, segregata ab omni concretione mortali: omnia sentiens & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno. Hoc è genere, atq; eadem natura est humana mens.

Deus mens soluta & libera.

EXPLICATIO.

Hæc philosophorũ, id est, omniũ ingenioso-

Theologia philosophica uulgi superstitiones contempsit.

rum hominum theologia fuit omnibus ætatibus: qui poetica figmenta, & publica idola, si metu supplicij aut ignominiæ, neq; insectati sunt neq; neglexerunt: at animis utiq; suis & cõtempserũt et deriserũt. Sic Plato, ὁ θεὸς, *inquit,* νοῦς ἐστιν ἀΐδιος, αἴτιος τ' ἀγαθοῦ τῇ φύσει *(Deus est* MENS *æterna, causa boni naturæ rerum) & D. Paulus naturalẽ Theologiam his uerbis attingit:* τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα, καθορᾶται: ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, καὶ τὰ λοιπὰ *(ea quæ in Deo cerni nõ possunt, e creatione Mundi perspiciuntur, & ex ipsis operibus intelliguntur: atq; etiã æterna eius potentia, & diuinitas.) De hac naturali Theologia extat egregius dialogus Remundi Sebundij Lugduni excusus. Et Horatius, quamuis Epicureus, mẽtem humanam* DIVINAE PARTICVLAM AVRAE *nominat. Et Pythagoras censuit (ut in Catone scribitur) homines animos ex uniuersa mẽte diuina delibatos habere. Sed consideremus uerba nostri autoris paulò diligentius.*

Theologia naturalis Remundi Sebundij.

Nisi mens quædam) *id est, Deus nõ est corporeus sed spiritus.*

Soluta & libera) *id est, Deus neq; fato Stoico, neq; causis secũdis, quarũ ipse autor et moderator est, subiacet.* Se-

Segregata ab omni concretione mortali) *id est, Deus non cōstat nec elementari materia, nec quanta illa Aristotelis natura: cùm ipse naturæ uniuersæ sit autor. Inepti ergo fuerunt, qui cœlum & terram, & corpora quæ his continentur, Deum appellarunt, creatore à creaturis non distincto.*

Omnia sentiens & mouens) *Thales interrogatus, num Deum facta hominū laterēt? Imò, inquit, ne cogitata quidem. Motum aūt omnem totius naturæ rerū, à Deo pendere, suprà è dicto Platonis indicauimus.*

Ipsaq; prædita motu sempiterno) *Hoc est, Deus non est ociosus, sed naturam à se conditam conseruat & moderatur. Ridiculi sunt, qui putant, Mundi administrationem Deo laboriosam esse & molestam: quasi uerò inter diuinam omnipotentiam, & humanam imbecillitatem non sit immensum & infinitum discrimen. Alij tamen statuunt, à Deo immobili principio, omnē motum proficisci. Quomodo aūt Deus aut moueatur aut quiescat, cùm humano ingenio comprehendi non possit: non debemus uagari incertis cogitationibus. Sed diuinam prouidentiam nos quoque tueri, quacunque ratione id fiat, tenere satis est.*

Dei motus aut qes cuiusmodi sint, non intelligitur.

Imago deformata plurimum distat à suo archetypo.

Hoc è genere atque eadem natura.) *Humana mens à Mose imago Dei & spiritus uitalis dicitur. Quantum autem inter imaginem & exemplar intersit, quis ignorat? Præsertim post lapsum primorum parentum, naturamq́ humanam deprauatam.*

CXCII. SENTENTIA.

Quæstio quæstione eluditur.

Vbi igitur aut qualis est ista (diuina) mens? Vbi tua aut qualis? potes'ne dicere? An, si omnia ad intelligendum non habeo, quę habere uellem: ne iis quidem quæ habeo, mihi per te uti licebit?

EXPLICATIO.

Inepta quęstio respōsum ineptū elicit.

Quidam interrogatus, nox'ne prior fuisset an dies? Nox, inquit, uno die prior fuit: addito hoc epiphonemate: ὅτι τῶν ἀπόρων ἐρωτήσεων, ἀπόρους εἶναι καὶ τὰς λύσεις προσήκει *(inexplicabiliū q̃stionū inexplicabiles etiā respōsiones esse oportere.) Talis & illa quæstio est, ouúmne prius fuerit, an gallina? Importuna igitur ista percōtatio, respōsione non adeò dissimili refutatur* προκαταληπτικῶς καὶ ἀνασκευαστικῶς, *ex cōparatis, hoc fere modo: Tu iniquus exactor es, q habitationē & naturā Dei à me explicari postules: cū ipse, tua mēs, quam in corpore circūfers, ubi aut qualis sit, non*

non posʃis dicere. προκαταληπτικὸν *est, quòd Epicurei nihil eʃʃe firmi cēʃent, niʃi quod aut oculis cernatur: aut manibus palpetur. Itaq; eos, etiam atomos ʃuas, &* θεοὺς μονογράμμους, *per ludibrium potius, quàm ʃeriò credidiʃʃe, exiʃtimo. Hi igitur obʃcuram cognitionem & Dei & animi extenuantes, utranq; pro nihilo putant. Quos hic refellit Cicero, ut & Horatius hoc memorabili uerʃu:*

Eʃt aliquò prodire tenus, ʃi non datur ultrà.

Et Ariʃtoteles δεῖ τοὺς λόγους ἀπαιτεῖν κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην *(rationes exigendæ ʃunt pro materia propoʃita.) Similitudo oculi ʃeʃe non uidentis, alia cernentis, inficiatione & conceʃʃione conʃtat. Vires porrò mentis atq; effectus: unde natura eius utcunq; intelligeretur: ʃæpiʃʃimè iam ʃunt repetiti.*

Epicurei, ʃenʃibus omnia tribuentes, uix potuerunt Deos credere.

CXCIII. SENTENTIA.

Non ualet tantum animus, ut ʃe ipʃe uideat? (Eʃt hæc ἀνθυποφορά, quam reʃponʃio ʃequitur) at, ut oculus, ʃic animus, ʃeʃe non uidens, alia cernit.

EXPLICATIO.

Egregia ἀναλογία καὶ ἀντιμεταβολή. *Mens eʃt animi quidā oculus: & oculus quaʃi mens quædam corporis. Obiectio ʃoluitur* ἀντιδιαγωγῇ:

Mens eʃt animi oculus: ocul9, mens corporis.

γωγῇ: cuius sententia est: Non, si animus sese ignoret: ideo minoris esse faciendum: sed maximi potius æstimandum, propter immensas suas uires, easq́; plurimas. Neque uerò ualet hîc argumentum: Animus se non uidet. Ergo multò minus alia uidet. Consequentia probatur similitudine oculi: cui hoc à natura non est tributum, ut semetipse uideat: sed ut alia. Videre ergo alia, minus arduum est: semetipsum uerò cernere, maius atq; grauius. Diligenter ergo uidendum, ne, in argumento à cõparatis, minora ducamus ea, quæ maiora sunt, & è contrario: Nicolaum illum fatuum imitantes: qui equitem armatum multò facilius traiecturum Albim, quàm anatem aut anserem existimans, hominem, ignarum illius stulticiæ, propemodum perdidisset: magnitudine corporum, non facultate naturali considerata: cuius uis est omnium maxima. Succini frustum exiguum attrahit paleam: quod non facit ingens massa ferri, aut plumbi. Sed de hac quasi ἀοϱγασία τῆς ψυχῆς, etiã paulò pòst conqueritur.

Facultas naturalis est rebus cæteris potentior.

CXCIIII. SENTENTIA.

Non uidet autem (animus) quod minimum est, formam suam fortasse: quanquam id quoq;. Sed relinquamus: uim certè,

certè, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem uidet. Hæc magna, hæc diuina, hæc sempiterna sunt.

EXPLICATIO.

Forma uulgò dicitur dare esse (τὸ εἶναι) rei, id est, rem perficere, et efficere talem, qualis sit: quòd est profectò non minimū, sed maximum. Sed loqui uidetur Cicero de forma corporea, quæ mētis nulla est: atq; adeò ipsius oculi forma externa, parui est momenti: interna uerò forma oculi, est mira illa & potentissima uidendi uis, & cœlos & terram perlustrans. Mentis porrò forma neq; rotunda, neque quadrata neq; triangula est (hæ enim et similes figuræ, corporum sunt) sed ipsa uis animi est eius forma, sagacitas illa, memoria, motus, celeritas, capacitas & amplitudo. Hæc magna, hæc diuina, hæc sempiterna sunt. Sic animus ipse sese cernit, intelligens, se intelligere: quod esse uidetur id quod Epictetus dicit, ἐπακολουθεῖν ταῖς φαντασίαις: qua facultate distinguatur homo à cæteris animantibus. Huc referatur elegans ænigma Isocratis nostri. τὶ μέγιστον ἐν ἐλαχίστῳ; νοῦς ἀγαθὸς ἐν ἀνθρώπου σώματι. (Quid est maximum in minimo? Mēs bona in hominis corpore.) Quanquā id quoq;.) *Si rectè scriptū est, refertur*

Animi uires sunt animi forma.

Quid maximum in minimo.

nen

non ad FORMAM *constructio, sed ad* MINIMUM, *uel* ID *posuit, pro, eã quoq; rem.*

CXCV. SENTENTIA.

Qua facie quidem sit (siue animus hominis, siue etiam DEUS) ne quærendũ quidem est.

EXPLICATIO.

Nimium uerè scripsit Virgilius: quòd homines noxia corpora tardent.
Terreniq; hebetẽt artus, moribũdaq; mẽbra.
Manus itaq; (ut Comicus iocatur) nostræ oculatæ sunt: credunt quod uident. Cicero autem nos à sensibus abducere studet: & ad animi Deiq; simul & naturam & prouidentiã ex operibus & uiribus perspiciendam, perducere. Nam res corporum expertes, nullo sensu corporeo possunt comprehendi.

Res corporis expertes, nõ oculis, sed animo cernũtur.

VERBA CICERONIS.

Diuinæ prouidẽtiæ & maiestatis argumentũ euidentissimum est, cæli terræq; contẽplatio.

VT cùm uidemus speciem primum, candoremq; cæli: deinde conuersionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus: tum uicissitudines dierum atq; noctium, commutationesq; temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum

porum aptas, eorumq; omnium moderatorem & ducem Solem, Lunamq; accretione & diminutione luminis, quasi fastorum notantem & significantem dies: tum in eodem orbe in XII. partes distributo, quinq; stellas ferri, eosdem cursus constantissime seruantes, disparibus inter se motibus, nocturnamq; cæli formam, undiq; sideribus ornatam, tum globum terræ eminentem è mari, fixum in medio Mũdi uniuersi loco: duabus oris distantibus habitabilem, & cultum: quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem, unde

Horrifer Aquilonis stridor gelidas molitur niues:

alterâ Australis, ignota nobis, quam uocant Græci ἀντίχθονα: cæteras partes incultas, quòd aut frigore rigeãt, aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, nõ intermittit suó tempore

Cælum nitescere, arbores frondescere:
Vites lætificæ pampinis pubescere:
Rami baccarum ubertate incuruescere:
Segetes largiri fruges, florere omnia:
Fontes scatere: herbis prata conuestirier:

tum multitudinem pecudum partim ad uescendum,

Cicero uidetur sentire, nõ esse Oceanum infusum & circumfusum terræ: sed terram illi pilę instar innatare.

Terra, benigna parens, certo fert tempore fruges. Atq;, Dei nutu, corpora uiua fouet.

Vſibus humanis pater optim' omnia donat.

Quas illi grates lingua referre poteſt?

ueſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad uehendum, partim ad corpora ueſtienda: hominemq́ ipſum quaſi cõtemplatorem cæli ac Deorũ, ipſorumq́ cultorem, atq; hominis utilitati agros omnes & maria parentia. Hæc igitur, & alia innumerabilia cùm cernimus, poſſumus'ne dubitare, quin his præſit aliquis uel effector, ſi hæc nata ſunt (ut Platoni uidetur) uel, ſi ſemper fuerint (ut Ariſtoteli placet) moderator tanti operis & muneris?

CXCVI. SENTENTIA.

Cæli conuerſionis celeritas tanta eſt, quantam cogitare non poſſumus.

EXPLICATIO.

Spaciorũ cæli & terræ proportio, κὴ ἀναλογία ἥκιστα ἀνάλογος.

Quantò igitur minus, uel numeris uel uerbis eandem exprimere poſſumus? Mathematici (quorum diuinam ſcientiam certiſſimæ prædictiones eclipſium probant) Zodiacum in partes ſiue gradus diſtinguunt 360, & ſingulis cæleſtibus gradibus quindena milliaria germanica: quorum ſingula binis horis moderata progreſſione confici poſſint, circitèr in terra reſpondere putant. Sed eſt unius gradus cæleſtis tanta immenſitas, ut uix capia-

tur

tur humanæ mentis angustijs. Quanta igitur Solis est, qui (ut Psalmistes ait) è thalamo suo egreditur, tanquam gigas, ad currendam uiam, celeritas? qui duodecim mensibus totum Zodiacum peragrat? Quanta primi orbis? uiginti quatuor horarũ spacio ab ortu per meridiem, occasum & septentrionem, ad ortum alterum cõstantissimo ordine redeuntis? & reliquos orbes planetarum, qui suopte motu contrarium cursum ab occasu in ortum conficiunt, unà secum rapientis? Potest enim primum, quod uocant, mobile naui comparari, quæ secũdo fluuio decurrit, secumq; uectores rapit. Planetarum uerò orbes uectoribus, qui in ipsa naui aduerso amne progrediãtur. Quanta potẽtia & maiestas Dei Optimi Maximi? cuius hæc omnia numine & condita sunt & reguntur, & conseruantur? Hæc cogitare philosophorũ, ac potius ἀνθρώπων est, τῶν ἄνω τρεπόντων τὸν ὦπα καὶ ἀναθρούντων ἃ ὀπώπασιν. Hanc enim Plato etymologiam τοῦ ἀνθρώπου affert: quòd & uultu sit sursum cõuerso: & ea quæ uiderit, consideret. Cætera, quæ Cicero subijcit, minimè utiq; contemnenda, relinquãtur Geographis: quorum descriptiones intra ducentos annos conduplicatæ sunt: & agricolis, alijsq; plebeijs hominib⁹, q oculos humi

humi defixos tenent: & tamen in ipsa terra uim diuinam possunt perspicere. Sed antequã ad alia pergam, libet ascribere explicationẽ D. Georgij Henischij siue Chariandri, collegæ mei, medici, & Mathematum in Augustana schola nostra professoris: quæ est huiusmodi: E semidiametris, quibus distant singuli orbes à centro terræ, cognoscitur magnitudo singulorum orbium, eorundemq; graduum & partium quarumuis. Sic cùm nostro tempore secundum Copernici calculum maxima Solis distantia à centro terræ contineat 1179. semidiametros terræ (quarum quælibet complectitur $859\frac{1}{11}$ milliaria Germanica) ambitus maximi circuli Solaris erit semidiametrorum terræ $7410\frac{6}{7}$. Est enim ratio semidiametri (quam repræsentat distantia Solis à terra) ad circumferentiam subsextupla subsuperbipartiens septima. Iam per regulam 4 proportionalium uni gradui respondebunt semidiametri terræ $20\frac{41}{70}$, hoc est, milliaria Germanica 17685, septendecim millia sexcenta octoginta quinq;. Cùm itaq; singulis horis ab ortu in occasum Sol percurrat spacium 15 graduum (nam intra νυχθήμερον, id est, spacium 24 horarum, absoluit totum circulum, diuisum in gradus 360) hoc ipsum faciet

ciet secundum eandem supputationem milliaria Germanica 265275, ducenties & sexagies quinquies mille, ducenta septuaginta quinq;. Tantus est cursus uel potius uolatus Solis horarius in milliaribus Germanicis. Minuto uerò unius horæ percurrit milliaria Germanica 4431 $\frac{7}{13}$. In qua celeritate tamen uisus noster Solem stare iudicat, & nec progredientem nec progressum animaduertit. Eodẽ supputetur modo uelocitas octaui cæli, cui stellæ fixæ inhærent, ex distantia superficiei conuexæ eiusdem à centro terræ: quæ in partibus, ex quibus terræ semidiameter habet unam: continet 20081 & 30 scrupula. Ex quibus tandem concluditur uelocissima & concitatissima cæli conuersio, quæ non solùm rapidior est quauis sagitta, uel glande ex bombarda emissa: sed tantò his uelocior, quãtò Pegasi uolatus, aut tigridis cursus, testudinis tardissimæ incessu. Non itaq; immeritò dixit Cicero: cæli conuersionis celeritatem esse tantam, quantam cogitare non possimus. Ptolemæi tamen & aliorum ueterum παρατηρήσεις à recentiorum obseruationibus discrepant: qui Solem terræ quàm olim fuit tempore Ptolemæi propiorem faciunt 11 semidiametris, hoc est, milliaribus 9450. Hactenus ille. Quem

Sol una hora creditur percurrere milliaria Germanica, ducenties sexagies quinquies mille, ducenta septuaginta quinq;.

Autor optat collegā correctorē suarum lucubrationum.

ſanè uellem cæteris etiam meis annotationibus ἐκ τῆς ἑαυτοῦ πολυμαθείας ἐπιδαψιλεύειν τι, καὶ τὰ ἐσφαλμένα ἐπανορθοῦν. Sed occupationes illum ſuæ & ſcholaſticæ & medicæ & ciuiles, noſtris uacare opellis non patiuntur.

CXCVII. SENTENTIA.

Homo eſt contemplator cæli ac Deorum, ipſorumq; cultor.

EXPLICATIO.

Quanta igitur eſt pecudum & ferarum multitudo? Quo enim alio nomine appelles eos, qui mentes atq; oculos humi perpetuò defixos, & in luto Barbarico defoſſos gerunt? quanta paucitas hominum? quanta porrò Aſtrologiæ præſtantia, per ea, quæ cernuntur, ad eum, qui incolit abyſſum inacceſſam perducentis?

CXCVIII. SENTENTIA.

Dominat⁹ hominis ſeditioſi, id eſt, poſtq̃ diuinū interdictum neglexit: etiam maris & terræ ſeditionem experitur.

Hominis utilitati agri omnes & maria parent.

EXPLICATIO.

Hunc dominatum homini Deus initiò tradidit, & poſt diluuium renouauit: & extant adhuc eius quædam reliquiæ. Pro qua munificentia & Deo gratiā omnes: & indigna paupertate preſſi beneficentiam debent locupletiores.

tiores. Sed sæpè, ob peccata nostra & scelera, seruile quasi bellum existit, tam agris fruges negàntibus (quanquam id tempestatum uitio plerunq; fit) quàm mari naues & classes submergentes.

CXCIX. SENTENTIA.

Rerum cælestium & terrestrium ordinem, statasq; temporum uices, & alia innumerabilia cùm cernimus: possumusne dubitare, quin his præsit aliquis uel conditor & effector (si hæc nata sunt, ut Platoni uidetur) uel (si semper fuerunt: ut Aristoteli placet) moderator tanti operis & muneris?

EXPLICATIO.

De diuina prouidentia decem libri extant Theodoreti: quam cui non in uniuersum persuaserit: is insanire se fateatur, necesse est. Cùm uerò ad singulos tam homines quàm bestias (quæ indiuidua Dialectici uocant) consideratio progreditur: tum demum existunt dubitationes uariæ atq; multiplices: id quod elegantissimo carmine Claudianus expressit, his uersibus, dignis qui ad uerbũ ediscantur:

Prouidentia uniuersalis credibilior est, quàm quæ singulis cõsulere Deũ phibetur.

Sæpe mihi dubiam traxit sentẽtia mentem,
Curarent superi terras? an nullus inesset
Rector? & incerto fluerent mortalia casu?

Nam cùm dispositi quæsissem fœdera Mundi,
Præscriptosq́ maris fines, anniq́ meatus,
Et lucis noctisq́ uices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera: qui fruges diuerso tempore nasci:
Qui uariam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, Solemq́ suo: porrexerit undis
Littora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine uolui
Aspicerem, lætosq́ diu florere nocentes,
Vexariq́ pios: rursus labefacta cadebat
Relligio, causæq́ uiam non sponte sequebar
Alterius, uacuo qui currere semina motu
Affirmat, magnumq́ nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi: quæ numina sensu
Ambiguo uel nulla putat, uel nescia nostri.
Abstulit hunc tandẽ Rufini pœna tumultũ,
Absoluitq́ Deos. Iam non ad culmina rerũ
Iniustos creuisse queror: tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Appendice illa: & alia innumerabilia: partes uniuersitatis rerum, Mundiq́ totius intelligantur. Platonica porrò de Mundi ortu opinio, conditoq́ diuinitus (Nihil enim Deo uel antiquius, uel par illi statui potest, cùm prima omnium causa sit Deus) pietati nostræ consentanea est: in eo tamen discrepans, quòd longè

Opinio Platonis de Mundo cõdito: & dictũ (ut uocant) domus Eliæ.

longè antiquiorem statuit, quàm nostri Chronologi tum è patriarcharum uitis, tum è dicto quodam domus Eliæ colligunt, quod tale memoratur: Sex annorum millia Mundus: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Christus. Si qui uerò anni deerũt: propter peccata hominum decedent. Hoc dictum eludũt multi, non diuinum esse oraculum, sed Talmudicum commentum, dictitantes. Quod qui faciunt: ne sacrarum quidem literarum autoritati assentiri uidentur: sed petulanter nescio quas sibi fingere opiniones. Aristotelica uerò de æternitate, humanæ rationi magis allubescit: etsi eadem ratio non alium conditorem & effectorem Mundi, quàm moderatorem statuere potest. Alioqui enim architectus ille Mundi, quisquis esset, siue chaos siue materia prima, siue quis alius, pari esset æternitate cum Deo: ac fortaßis illi sapientia & uirtute (quod dictu nefas est) antecelleret. Quærenti autem cuidam ἐλεγκτικῶς, ut putabat, quid ante conditum Mundum egisset Deus? σαρκαστικῶς respondit D. Augustinus: parasse Inferos, ubi homines isti curiosi torquerentur: cùm significaret, eum qui scrutetur maiestatẽ, opprimi à gloria: magisq; nos de obedientia Deo præstanda, quàm de inda-

Mũdi æternitas Aristoteli & plerisq; pbatur.

Curiosis quæstionibus repudiatis, Deo parendũ.

gandis diuinis arcanis, captũ humanæ mentis infinito interuallo excedentibus, solicitos esse oportere. Quod si hac nostra ætate fieret: rixis contentiosorum Theologorum ita exulcerata: ut pleriq; ab omni religione abhorreant: & religiosius & tranquillius, (quod sæpe dico, & frustra quidẽ, proh dolor) uiueretur.

CC. SENTENTIA.

Sic mentem hominis quamuis nõ uideas, ut Deum non uides: tamen, ut Deum agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum, & inuentione & celeritate motus, omniq; pulchritudine uirtutis, uim diuinam mentis agnoscito.

EXPLICATIO.

Cætera quidem etiã suprà tractata sunt. Sed si omni pulchritudini uirtutis (quæ quidem maxima est & admiratione digna) omnem deformitatem flagitiorum & scelerum opponas: existet illa ex diuinatione querela, Bonam mentem perpaucis, malam plerisq; cõtigisse. Cæterùm huius improbitatis causam ueram, naturæ humanæ deprauationem, philosophi non intelligentes: aut fortassis ne credituri quidem, quamuis Mosen & Theologos legissent: uel incertũ materiæ, Euripi instar,

Philosophia, uerã humanæ prauitatis & stulticię causam uel non intelligit, uel nõ credit.

affluxum

affluxum & refluxum, uel prauum siderum positum, uel malam uictus rationem (unde καχοχυμία & perturbatio mentis atq; animi, non minus quàm corporis afflictio nascitur) uel improbam et negligentem educationem: uel pessima exempla causantur: non falsò illi certè quidem. Sed hi riuuli duntaxat sunt ex uenenato illo corruptæ naturæ fonte profluentes.

CCI. SENTENTIA.

In quo igitur loco (mens) est? credo equidem in capite: &, cur credam, afferre possum (scilicet causam.) Sed de hoc aliàs: nunc, ubi ubi sit animus: certè quidem in te est.

Mentem in capite residere, tanquã in palatio regẽ, probabile est.

EXPLICATIO.

De posteriore nulla est controuersia (nisi fortè quispiam Pherecratem, Phthiotam illũ senem, à Deucalione ortum, qui nihil omnino contendit esse animum, sibi audiẽdum censeat) Platonis sententiã & coniecturas medicorum de priore, suprà attulimus.

CCII. SENTENTIA.

Quæ est ei (animo) natura? propria puto & sua.

Animus dissimilimus est rerum corporearum.

EXPLICATIO.

Explicatio hæc est ὀ κατ' ἀπόδειξιν, ἀλλὰ κατ' ἀπόφασιν:

ἀπόφασιν: quæ interrogãtem æquè incertum dimittit atque accesserat: quasi dicat, animi natura dissimilima est rerum corporearum. Facilius est enim dicere, & Deus & animus, quid non sint, quàm quid sint?

CCIII. SENTENTIA.

Sed fac igneam (naturam animo esse) fac spirabilẽ: nihil ad id de quo agimus.

EXPLICATIO.

Non materia, sed uis animi est inquirẽda. *Negat naturam & quasi materiam, è qua constet animus, esse inquirendã. Id enim physicorum est, & cõtemplationis: hæc autem disputatio pertinet ad mores & ad agẽdum refertur. Quanquam innuere uidetur & hîc, id quod suprà dixit, originem animi in terra, & notis illis naturis (id est, elementis) inueniri non posse: sed esse mentem aliquid, ab omni concretione mortali segregatum. Quid autem est id de quo agit Cicero? Non'ne probare conatur animum esse immortalem? Sed si aërius sit (ut suprà dixit) dissipabitur. Si igneus: extinguetur.*

CCIIII. SENTENTIA.

Illud modò uideto, ut Deum noris: etsi eius ignores & locum & faciem: sic animum tibi tuũ notũ esse oportet: etiamsi eius ignores & locum & formam.

EXPLICATIO.

Formā ſiue ſpecies & Dei & animi non niſi ex operibus cognoſcitur: id quod et ſacræ literæ uidentur innuere, cùm non niſi poſteriora Dei cerni poſſe affirmant, hoc eſt, cauſam effectricem rerum omnium, non niſi ex effectibus cognoſci: hoc eſt, ex poſteriori, non à priore, ut loquuntur Dialectici. Deo porrò, qui nullis locis, nullis temporibus circumſcribitur: cùm ſit immenſus & æternus: ἀνθρωποπαθῶς (qui enim poſſumus aliter?) ſedes ſummum cœlum, tanquam regi Romano Capitolium: Menti humanæ caput, tribuitur. Effecta magis quàm ipſam effectionē cognoſcimus.

CCV. SENTENTIA.

In animi autem cognitione (cogitatione) dubitare non poſſumus (niſi planè in phyſicis plumbei ſumus) quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretū, nihil copulatum, nihil duplex:

EXPLICATIO.

Et quidem in plerumque naturæ myſteriis uel ſolertiſſimi phyſiologi, plumbeis pugnant pugionibus, hoc eſt, ambiguis nituntur coniecturis. Vnde Pindarus eos dixit ἀτελῆ δρέπεσθαι καρπὸν τῆς σοφίας. Itaq; Cicero ipſe, in proœmio libri de uniuerſo, Multa, inquit, In Phyſicis plerique ſunt plumbei.

sunt à nobis & in Academicis conscripta contra physicos: & sæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more & modo, disputata. Et quidem in isto genere doctrinæ (quod ad Meteora præsertim attinet) τὸ ἀμφισβητήσιμον Σωκράτους ὄναρ, *&* οἱ Δελπίδου λόγοι καταπαλαίοντες τοὺς λόγους, *cumprimis uigere uidentur. Quod qui non credit (si alios, ut Ciceronem & Sextum Empiricum non uacat) Plutarchum legat,* περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις: *Et,* Ἑρμείου διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων. *Etiam Astronomia suas habet dubitationes, de numero & ordine orbium cœlestium: de magnitudine & motu stellarum, & nonnullis aliis non parui momenti rebus. Quò minus mirari debemus, sæpè falli astrologos: quorum diuinatio non demonstrationibus nititur, sed coniecturis: & iis (nisi alia permulta certo iudicio expendantur) fallacißimis. Sed quantulacunque est illa cognitio: & iucundißima certè est, & utilißima. Pro,* IN ANIMI COGNITIONE *legere malim,* COGITATIONE. *Sed utrunque ferri potest: ut sententia sit, cùm uel de animo cogitamus: uel animum cognoscere studemus. His porrò metaphoris, partim à li-*

quc-

quoribus, partim à lapidibus & asseribus, partim à uestibus, sumptis: circumscribit uocem Simplex. *Quòd uerò negat autor, nos posse dubitare: utinam scrupulum dubitantibus omnem exemisset. Nam si purus & simplex est animus: uel (ut Barbari loquuntur) actus purus: unde non modò pugna rationis & appetitus: sed ipsarum etiam rationum inter sese ancipiti Marte conflictus? Qua de re olim hos uersus scripsi:*

Simplicem esse animũ, pugna Rationis & Appetitus, uix sinit credere.

Lapsus inest facilis tanta in caligine rerum.
Sæpius incautis obrepit lubricus error.
Sæpius haud eadẽ ueteres docuere magistri.
Sæpius & RATIO *dubiis conflictib. hæret.*

Quod uerò simplex & purum putum est: ab eo etiam discordiam omnem, atque adeò dubitationem quoque abesse oportebat. Sed hoc fortasse deprauationi mentis & contagioni corporeæ, & obscuro illi domicilio, ac potius carceri mentis est ascribendum.

Nam quia terrestri mens aurea mole grauatur:
Sub iuga sæpe sui corporis acta uenit.

Vt Hyphanticus quondam scripsit.

CCVI. SENTENTIA.

Quod cùm ita sit (cum animus simplex sit) certè nec secerni, nec diuidi, nec

nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur.

EXPLICATIO.

Si à contrariis contraria intereunt: quod ſimplex eſt, interitus fore expers cõſentaneum fuerit.

Quicquid interit, à ſuo contrario interit: ut ignis ab aqua extinguitur, aqua ab igni conſumitur. Vnde medici ſtatuunt, ſi corpora humana ſimplicia eſſent: ea nec ægrotatura, nec peritura eſſe unquam: aut (ſi fortè ægrotaſſent) uno quopiam remedij genere curatum iri: unico etiam aliquo cibo fore nutrienda. Itaque ij, qui conſeruandæ ualetudini & propagandæ uitæ ſtudent: in eo cum primis elaborant, ut ſit iuſta proportio humorum, & temperies quædam qualitatum corporis. Qua re fretus Aſclepiades (niſi fallor) ſponſionem cum fortuna feciſſe dicitur, ſi unquam ægrotaſſet. Sed nihilominus præclarus ille medicus lapſu ſcalarum interiit: ideo fortaſſe, quòd nullam cum morte facere ſponſionem fuerit auſus. Sed & cælos & elementa, ſimpliciſſima corpora, ſic interitura tradunt ſacræ literæ, ut renouanda ſint. Animos autem humanos, ſiue ſimplices, ſiue compoſitos, immortales eſſe: nos earundem docet autoritas: in qua ſola nobis acquieſcendum eſt.

Medica diligentia.

CCVII. SENTENTIA.

Eſt enim interitus, quaſi diſceſſus & ſecretio

cretio ac (direptus) diremptus earum partium, quæ ante interitum (uinctione) iunctione aliqua tenebantur.

EXPLICATIO.

Si hippocentaurum & tragelaphum diuellas: Grammatico & ἵππος & κένταυρος & τράγος & ἔλαφος, seorsim aliquid significabunt. sed non idem quod coniuncta inter sese. Sic humano corpore mortuo, quædam exhalant in aerem, quædam putredine quasi aquescunt, quædam terræ similitudinem induunt: & ex eo nascuntur partim uermes & serpentes, partim herbæ & frutices. Nihil ergo perit, sed mutantur omnia secundum Hermetem Trismegistum: à quo pleraq; sua dogmata mutuatus est Pythagoras: & dirempta redeunt ad suas ὁλότητας, ut uocat Simplicius: & ὁλότητες illæ simplicium corporum, mutuas tradunt operas, ad ea quæ composita sunt, constituenda. Exempli gratia: ad efficiendum corpus humanum, elementum ignis seu ὁλότης confert calorem: aqua humores & sanguinem: terra carnes & ossa, cæterasq; partes solidiores: aer spiritum. Hæc suo tempore dissoluta, eò redeunt, unde uenerant. Trismegistus enim (ut & eum secutus Pythagoras) quicquam

Vnde orta sunt: eò redeunt omnia.

quam

quam deperire Mundo, negat.

CCVIII. SENTENTIA.

His & talibus rationibus adductus Socrates.

EXPLICATIO.

Exemplis præstantiũ uirorum, quãtũ persuasio immortalitatis ualeat, docet Cicero.

Probata utcunq; animorum immortalitate: effectum huius persuasionis, exemplo Socratis & Catonis describit: atq; ad imitationẽ magni animi & contẽptũ mortis hortatur oẽs. Ac Socrati quidem necessaria moriendi causa fuit: Catoni non fuit: cùm falso axiomate niteretur: Viro bono & sapiẽti, cõsciscendam esse mortem potius, quàm tyranni uultũ intuendũ, oppressaq; republica seruiendũ: aut alias grauissimas calamitates tolerãdas. Nemo ipse sibi uitã dedit: nemo eandẽ ipse sibi eripere debet. Nec De⁹ euocat eos, quos grauiter affligi sinit: sed patientiam ab iis flagitat, & auxilij sui implorationem. Falsa igitur fuit ueterum περὶ τῆς αὐτοχειρίας persuasio: quasi ea fortes uiros maximè deceret. Nam & diuinis & humanis legibus interdicta est, grauissimisq; sancita pœnis, & ignominia singulari.

Falsa fuit ueterum περὶ τῆς αὐτοχειρίας persuasio.

CCIX. SENTENTIA.

Nec patronũ q̃siuit ad iudiciũ capitis.

EXPLICATIO.

Viris diserti patrono in iudicii nõ est

Quia ipse sibi optimus patronus esse potuiti

tuit: repudiata Lysiæ, moribus quidem iudiciorum accommodata: sed indigna philosopho oratione. Infantibus, hoc est, timidis & indisertis, & rerum forensium imperitis, patrono est opus, tum ad calumnias aduersariorum refutandas, tum ad ueritatem iudicibus patefaciendam. magnopere opus.

CCX. SENTENTIA.

Nec iudicibus supplex fuit.

EXPLICATIO.

Innocentiam enim Rei, non preces (quod Athenis sæpe contrà fiebat) spectare debent iudices. Hæc extant in Apologia Socratis. Innocẽtia debet reũ absoluere, nõ preces.

CCXI. SENTENTIA.

Adhibuitq; (Socrates) liberam contumaciam, à magnitudine animi ductã, non à superbia.

EXPLICATIO.

Παῤῥησίαν ϗ αὐθάδειαν hic in laude ponit, quòd Socrates iudicib. more patrio supplex esse dedignatus est. Nã contumacia, ut & cõtumelia, à contemnendo utraque dicta (ut uolunt Grammatici) partim à falso iudicio, partim ab arrogantia proficiscitur. Constantia, magnitudinem animi cum iudicij ueritate coniungit. Huius enim uirtutis, quæ aliàs Contumaciæ & constantiæ discrimen.

Autor optat collegã correctorẽ ſuarum lucubrationum.

ſanè uellem cæteris etiam meis annotationibus ἐκ τῆς ἑαυτοῦ πολυμαθείας ἐπιδαψιλεύειν, καὶ τὰ ἐσφαλμένα ἐπανορθοῦν. *Sed occupationes illum ſuæ & ſcholaſticæ & medicæ & ciuiles, noſtris uacare opellis non patiuntur.*

CXCVII. SENTENTIA.

Homo eſt contemplator cæli ac Deorum, ipſorumq́ cultor.

EXPLICATIO.

Quanta igitur eſt pecudum & ferarum multitudo? Quo enim alio nomine appelles eos, qui mentes atq; oculos humi perpetuò defixos, & in luto Barbarico defoſſos gerunt? quanta paucitas hominum? quanta porrò Aſtrologiæ præſtantia, per ea, quæ cernuntur, ad eum, qui incolit abyſſum inacceſſam perducentis?

CXCVIII. SENTENTIA.

Dominat⁹ hominis ſeditioſi, id eſt, poſtq̃ diuinũ interdictum neglexit: etiam maris & terræ ſeditionem experitur.

Hominis utilitati agri omnes & maria parent.

EXPLICATIO.

Hunc dominatum homini Deus initiò tradidit, & poſt diluuium renouauit: & extant adhuc eius quædam reliquiæ. Pro qua munificentia & Deo gratiã omnes: & indigna paupertate preſſi beneficentiam debent locupletiores.

tiores. Sed sæpè, ob peccata nostra & scelera, seruile quasi bellum existit, tam agris fruges negantibus (quanquam id tempestatum uitio plerunque fit) quàm mari naues & classes submergentes.

CXCIX. SENTENTIA.

Rerum cælestium & terrestrium ordinem, statasque temporum uices, & alia innumerabilia cùm cernimus: possumusne dubitare, quin his præsit aliquis uel conditor & effector (si hæc nata sunt, ut Platoni uidetur) uel (si semper fuerunt: ut Aristoteli placet) moderator tanti operis & muneris?

EXPLICATIO.

De diuina prouidentia decem libri extant Theodoreti: quam cui non in uniuersum persuaserit: is insanire se fateatur, necesse est. Cùm uerò ad singulos tam homines quàm bestias (quæ indiuidua Dialectici uocant) consideratio progreditur: tum demum existunt dubitationes uariæ atque multiplices: id quod elegantissimo carmine Claudianus expressit, his uersibus, dignis qui ad uerbū ediscantur:

Prouidentia uniuersalis credibilior est, quàm quæ singulis cōsulere Deo phibetur.

Sæpe mihi dubiam traxit sentētia mentem,
Curarent superi terras? an nullus inesset
Rector? & incerto fluerent mortalia casu?

Nam cùm dispositi quæsissem fœdera Mundi,
Præscriptosq; maris fines, anniq; meatus,
Et lucis noctisq; uices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera: qui fruges diuerso tempore nasci:
Qui uariam Phœben alieno iusserit igne
Compleri, Solemq; suo: porrexerit undis
Littora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligine uolui
Aspicerem, lætosq; diu florere nocentes,
Vexariq; pios: rursus labefacta cadebat
Relligio, causæq; uiam non sponte sequebar
Alterius, uacuo qui currere semina motu
Affirmat, magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna, non arte regi: quæ numina sensu
Ambiguo uel nulla putat, uel nescia nostri.
Abstulit hunc tandē Rufini pœna tumultū,
Absoluitq; Deos. Iam non ad culmina rerū
Iniustos creuisse queror: tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Appendice illa: & alia innumerabilia: partes uniuersitatis rerum, Mundiq; totius intelligantur. Platonica porrò de Mundi ortu opinio, conditoq; diuinitus (Nihil enim Deo uel antiquius, uel par illi statui potest, cùm prima omnium causa sit Deus) pietati nostræ consentanea est: in eo tamen discrepans, quòd longè

Opinio Platonis de Mundo cō dito: & dictū (ut uocant) domus Eliæ.

longè antiquiorem statuit, quàm nostri Chronologi tum è patriarcharum uitis, tum è dicto quodam domus Eliæ colligunt, quod tale memoratur: Sex annorum millia Mundus: duo millia inane: duo millia lex: duo millia Christus. Si qui uerò anni deerũt: propter peccata hominum decedent. Hoc dictum eludũt multi, non diuinum esse oraculum, sed Talmudicum commentum, dictitantes. Quod qui faciunt: ne sacrarum quidem literarum autoritati assentiri uidentur: sed petulanter nescio quas sibi fingere opiniones. Aristotelica uerò de æternitate, humanæ rationi magis allubescit: etsi eadem ratio non alium conditorem & effectorem Mundi, quàm moderatorem statuere potest. Alioqui enim architectus ille Mundi, quisquis esset, siue chaos siue materia prima, siue quis alius, pari esset æternitate cum Deo: ac fortassis illi sapientia & uirtute (quod dictu nefas est) antecelleret. Quærenti autem cuidam ἐλεγκτικῶς, ut putabat, quid ante conditum Mundum egisset Deus? σαρκαστικῶς respondit D. Augustinus: parasse Inferos, ubi homines isti curiosi torquerentur: cùm significaret, eum qui scrutetur maiestatẽ, opprimi à gloria: magisq́; nos de obedientia Deo præstanda, quàm de inda-

Mũdi æternitas Aristoteli & plerisq; probatur.

Curiosis quæstionibus repudiatis, Deo parendũ.

gandis diuinis arcanis, captũ humanæ mentis infinito interuallo excedentibus, ſolicitos eſſe oportere. Quod ſi hac noſtra ætate fieret: rixis contentioſorum Theologorum ita exulcerata: ut plerią; ab omni religione abhorreant: & religioſius & tranquillius, (quod ſæpe dico, & fruſtra quidẽ, proh dolor) uiueretur.

CC. SENTENTIA.

Sic mentem hominis quamuis nõ uideas, ut Deum non uides: tamen, ut Deum agnoſcis ex operibus eius: ſic ex memoria rerum, & inuentione & celeritate motus, omniq; pulchritudine uirtutis, uim diuinam mentis agnoſcito.

EXPLICATIO,

Cætera quidem etiã ſuprà tractata ſunt. Sed ſi omni pulchritudini uirtutis (quæ quidem maxima eſt & admiratione digna) omnem deformitatem flagitiorum & ſcelerum opponas: exiſtet illa ex diuinatione querela, Bonam mentem perpaucis, malam pleriſq; cõtigiſſe. Cæterùm huius improbitatis cauſam ueram, naturæ humanæ deprauationem, philoſophi non intelligentes: aut fortaßis ne credituri quidem, quamuis Moſen & Theologos legiſſent: uel incertũ materiæ, Euripi inſtar,

Philoſophia, uerã humanæ prauitatis & ſtulticię cauſam uel non intelligit, uel nõ credit.

affluxum

affluxum & refluxum, uel prauum siderum positum, uel malam uictus rationem (unde κακοχυμία & perturbatio mentis atq; animi, non minus quàm corporis afflictio nascitur) uel improbam et negligentem educationem: uel pessima exempla causantur: non falsò illi certè quidem. Sed hi riuuli duntaxat sunt ex uenenato illo corruptæ naturæ fonte profluentes.

CCI. SENTENTIA.

In quo igitur loco (mens) est? credo equidem in capite: &, cur credam, afferre possum (scilicet causam.) Sed de hoc aliâs: nunc, ubi ubi sit animus: certè quidem in te est. Mentem in capite residere, tanquã in palatio regẽ, probabile est.

EXPLICATIO.

De posteriore nulla est controuersia (nisi fortè quispiam Pherecratem, Phthiotam illũ senem, à Deucalione ortum, qui nihil omnino contendit esse animum, sibi audiẽdum censeat) Platonis sententiã & coniecturas medicorum de priore, suprà attulimus.

CCII. SENTENTIA.

Quæ est ei (animo) natura? propria puto & sua. Animus dissimilimus est rerum corporearum.

EXPLICATIO.

Explicatio hæc est ὀ κατ᾽ ἀπόδειξιν, ἀλλὰ κατ᾽ ἀπόφασιν:

ἀπόφασιν: quæ interrogãtem æquè incertum dimittit atque accesserat: quasi dicat, animi natura dissimilima est rerum corporearum. Facilius est enim dicere, & Deus & animus, quid non sint, quàm quid sint?

CCIII. SENTENTIA.

Sed fac igneam (naturam animo esse) fac spirabilẽ: nihil ad id de quo agimus.

EXPLICATIO.

Non materia, sed uis animi est inquirẽda.

Negat naturam & quasi materiam, è qua constet animus, esse inquirendã. Id enim physicorum est, & cõtemplationis: hæc autem disputatio pertinet ad mores & ad agẽdum refertur. Quanquam innuere uidetur & hîc, id quod suprà dixit, originem animi in terra, & notis illis naturis (id est, elementis) inueniri non posse: sed esse mentem aliquid, ab omni concretionẽ mortali segregatum. Quid autem est id de quo agit Cicero? Non'ne probare conatur animum esse immortalem? Sed si aërius sit (ut suprà dixit) dissipabitur. Si igneus: extinguetur.

CCIIII. SENTENTIA.

Illud modò uideto, ut Deum noris: etsi eius ignores & locum & faciem: sic animum tibi tuũ notũ esse oportet: etiamsi eius ignores & locum & formam.

EX-

EXPLICATIO.

Forma siue species & Dei & animi non nisi ex operibus cognoscitur: id quod et sacræ literæ uidentur innuere, cùm non nisi posteriora Dei cerni posse affirmant, hoc est, causam effectricem rerum omnium, non nisi ex effectibus cognosci: hoc est, ex posteriori, non à priore, ut loquuntur Dialectici. Deo porrò, qui nullis locis, nullis temporibus circumscribitur: cùm sit immensus & æternus: ἀνθρωποπαθῶς (qui enim possumus aliter?) sedes summum cælum, tanquam regi Romano Capitolium: Menti humanæ caput, tribuitur.

Effecta magis quàm ipsam effectioné cognoscimus.

CCV. SENTENTIA.

In animi autem cognitione (cogitatione) dubitare non possumus (nisi planè in physicis plumbei sumus) quin nihil sit animis admixtum, nihil concretũ, nihil copulatum, nihil duplex:

EXPLICATIO.

Et quidem in plerisque naturæ mysteriis uel solertissimi physiologi, plumbeis pugnant pugionibus, hoc est, ambiguis nituntur coniecturis. Vnde Pindarus eos dixit ἀτελῆ δρέπεσθαι καρπὸν τῆς σοφίας. Itaq; Cicero ipse, in proœmio libri de uniuerso, Multa, inquit,

In Physicis plerique sunt plumbei.

sunt à nobis & in Academicis conscripta contra physicos: & sæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more & modo, disputata. Et quidem in isto genere doctrinæ (quod ad Meteora præsertim attinet) τὸ ἀμφισβητήσιμον Σωκράτους ὄναρ, & οἱ Θεμπίδου λόγοι καταπαλαίοντες τοὺς λόγους, cumprimis uigere uidentur. Quod qui non credit (si alios, ut Ciceronem & Sextum Empiricum non uacat) Plutarchum legat, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις: Et, Ἑρμείου διασυρμὸν τῶν ἔξω φιλοσόφων. Etiam Astronomia suas habet dubitationes, de numero & ordine orbium cœlestium: de magnitudine & motu stellarum, & nonnullis aliis non parui momenti rebus. Quò minus mirari debemus, sæpè falli astrologos: quorum diuinatio non demonstrationibus nititur, sed coniecturis: & iis (nisi alia permulta certo iudicio expendantur) fallacissimis. Sed quantulacunque est illa cognitio: & iucundissima certè est, & utilissima. Pro, IN ANIMI COGNITIONE *legere malim,* COGITATIONE. *Sed utrunque ferri potest: ut sententia sit, cùm uel de animo cogitamus: uel animum cognoscere studemus. His porrò metaphoris, partim à li-*

quc-

quoribus, partim à lapidibus & asseribus, partim à uestibus, sumptis: circumscribit uocem Simplex. *Quòd uerò negat autor, nos posse dubitare: utinam scrupulum dubitantibus omnem exemisset. Nam si purus & simplex est animus: uel (ut Barbari loquuntur) actus purus: unde non modò pugna rationis & appetitus: sed ipsarum etiam rationum inter sese ancipiti Marte conflictus? Qua de re olim hos uersus scripsi:*

Simplicem esse animũ, pugna Rationis & Appetitus, uix finit credere.

Lapsus inest facilis tanta in caligine rerum.
Sæpius incautis obrepit lubricus error.
Sæpius haud eadẽ ueteres docuere magistri.
Sæpius & RATIO *dubiis conflictib. hæret.*

Quod uerò simplex & purum putum est: ab eo etiam discordiam omnem, atque adeò dubitationem quoque abesse oportebat. Sed hoc fortasse deprauationi mentis & contagioni corporeæ, & obscuro illi domicilio, ac potius carceri mentis est ascribendum.

Nam quia terrestri mens aurea mole grauatur:
Sub iuga sæpe sui corporis acta uenit.

Vt Hyphanticus quondam scripsit.

CCVI. SENTENTIA.

Quod cũm ita sit (cum animus simplex sit) certè nec secerni, nec diuidi, nec

nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur.

EXPLICATIO.

Si à contrariis contraria intereunt: quod simplex est, interitus fore expers cõsentaneum fuerit.

Quicquid interit, à suo contrario interit: ut ignis ab aqua extinguitur, aqua ab igni consumitur. Vnde medici statuunt, si corpora humana simplicia essent: ea nec ægrotatura, nec peritura esse unquam: aut (si fortè ægrotassent) uno quopiam remedij genere curatum iri: unico etiam aliquo cibo fore nutrienda. Itaque ij, qui conseruandæ ualetudini & propagandæ uitæ student: in eo cum primis elaborant, ut sit iusta proportio humorum, & temperies quædam qualitatum corporis. Qua re fretus Asclepiades (nisi fallor) sponsionem cum fortuna fecisse dicitur, si unquam ægrotasset. Sed nihilominus præclarus ille medicus lapsu scalarum interiit: ideo fortasse, quòd nullam cum morte facere sponsionem fuerit ausus. Sed & cælos & elementa, simplicissima corpora, sic interitura tradunt sacræ literæ, ut renouanda sint. Animos autem humanos, siue simplices, siue compositos, immortales esse: nos earundem docet autoritas: in qua sola nobis acquiescendum est.

1 Medica diligentia.

CCVII. SENTENTIA.

Est enim interitus, quasi discessus & secretio

cretio ac (direptus) diremptus earum partium, quæ ante interitum (uinctione) iunctione aliqua tenebantur.

EXPLICATIO.

Si hippocentaurum & tragelaphum diuellas: Grammatico & ἵππος & κένταυρος & τράγος & ἔλαφος, seorsim aliquid significabunt. sed non idem quod coniuncta inter sese. Sic humano corpore mortuo, quædam exhalant in aerem, quædam putredine quasi aquescunt, quædam terræ similitudinem induunt: & ex eo nascuntur partim uermes & serpentes, partim herbæ & frutices. Nihil ergo perit, sed mutantur omnia secundum Hermetem Trismegistum: à quo pleraq; sua dogmata mutuatus est Pythagoras: & dirempta redeunt ad suas ὁλότητας, ut uocat Simplicius: & ὁλότητες illæ simplicium corporum, mutuas tradunt operas, ad ea quæ composita sunt, constituenda. Exempli gratia: ad efficiendum corpus humanum, elementum ignis seu ὁλότης confert calorem: aqua humores & sanguinem: terra carnes & ossa, cæterasq; partes solidiores: aer spiritum. Hæc suo tempore dissoluta, eò redeunt, unde uenerant. Trismegistus enim (ut & eum secutus Pythagoras) quicquam

Vnde orta sunt: eò redeunt omnia.

quam

tuit: repudiata Lysiæ, moribus quidem iudiciorum accommodata: sed indigna philosopho oratione. Infantibus, hoc est, timidis & indisertis, & rerum forensium imperitis, patrono est opus, tum ad calumnias aduersariorum refutandas, tum ad ueritatem iudicibus patefaciendam. magnopere opus.

CCX. SENTENTIA.

Nec iudicibus supplex fuit.

EXPLICATIO.

Innocentiam enim Rei, non preces (quod Athenis sæpe contrà fiebat) spectare debent iudices. Hæc extant in Apologia Socratis. Innocẽtia debet reũ absoluere, nõ preces.

CCXI. SENTENTIA.

Adhibuitq́ (Socrates) liberam contumaciam, à magnitudine animi ductã, non à superbia.

EXPLICATIO.

Παῤῥησίαν ϗ αὐθάδειαν hic in laude ponit, quòd Socrates iudicib. more patrio supplex esse dedignatus est. Nã contumacia, ut & cõtumelia, à contemnendo utraque dicta (ut uolunt Grammatici) partim à falso iudicio, partim ab arrogantia proficiscitur. Constantia, magnitudinem animi cum iudicij ueritate coniungit. Huius enim uirtutis, quæ aliàs Contumaciæ & constantiæ discrimen.

aliàs prudentiæ, aliàs fortitudini tribuitur, munus est, & rectè sentire, & in eo quod sentias, permanere nullis argutiis confusum, nullis minis & periculis deterritum.

CCXII. SENTENTIA.

Et supremo uitæ die de hoc ipso multa disseruit.

EXPLICATIO.

Cicero nō omnia Platonis argumenta sibi exponēda sumpsit.

E' Phædone, ἢ περὶ ψυχῆς ἀθανασίας, argumenta quædam Cicero mutuatus est: multis ob infirmitatē & absurditatē repudiatis.

CCXIII. SENTENTIA.

Et paucis antè diebus, cùm facilè posset educi è custodia, noluit.

EXPLICATIO.

E' Critone ἢ περὶ πρακτοῦ hæc petita sunt.

CCXIIII. SENTENTIA.

Et cùm penè in manu iam mortiferū illud teneret poculū: locutus ita est (Socrates) ut non ad mortem trudi: uerùm in cœlum uideretur ascendere.

EXPLICATIO.

Platonicá Socratis e- logia, non

Si res ità gesta est: magnum fuerit & constantiæ & fiduciæ exemplum. Sin Plato hæc (ut

(ut pleraque alia) κατεψεύσατο Σωκράτης (id quod ipse Socrates, lectis eius dialogis dixit: quod & Cicero ad Varronem scripta epistola ait: Miraris haud dubiè, nos ea locutos esse, quæ nunquam diximus: sed nosti morem dialogorum) Si ergo Plato hæc confinxit (ut non minus orator & poeta fuit, quàm philosophus) ἠθοποιΐα fuerit neque absurda, neque inutilis, pietatis in præceptorem testis. Cæterùm Socrates τὸν ᾅδην potius quàm τὸν οὐρανὸν spectat. Etsi campus Elysius apud Inferos, cæli uice antiquis, aut paradisi fuit: de quo Homerus multa scribit, & eundem imitatus Virgilius : Plato item in Phædone & Axiocho.

tam uidetur esse historica, quàm oratoria.

CCXV. SENTENTIA.

Ita enim censebat (Socrates) itaq; disseruit, duas esse uias duplicesq; cursus animorum è corporibus excedentium.

Si hoc uerū est, mors utiq; malum: ac potius pessimum est improbis.

EXPLICATIO.

Suprà in tollendis Inferis, aliter disputatum est, cùm nullos esse contenderet: sed portenta pictorum & poetarum appellaret. Etsi dici potest, Ciceronem ibi non flagitiosorum & sceleratorum, sed bonorum uirorū & sapiētium habuisse rationem. Nam illis quidē

& mortem esse formidabilem, & inferos: cùm ipsis expedit: quò pœnæ metu sint ad iniuriam tardiores: tum est è Republica, ut ea sit tranquillior. Quo fine qui etiam in Christianismo æterna supplicia tradi statuunt: à Christianismo sunt alienissimi, & filium Dei mendacij & fallaciæ insignis arguunt. Recentiores cælo siue paradiso, & Inferis, adijciunt ignem purgatorium: rationi magis (ut uidetur) quàm sacris literis consentaneum: cuius annis trecentis post natum Christum nulla perhibetur extare mentio. Sed si quis ille esset: æternæ utique condemnationi præstaret.

CCXVI. SENTENTIA.

Nam qui se humanis (immanibus) uitijs contaminassent: & se totos libidinibus dedidissent: quibus cæcati, uel domesticis uitijs atque flagitijs se inquinauissent: uel in republica uiolanda fraudes inexpiabiles concepissent: ijs deuium quoddam iter esse, seclusum à concilio Deorum.

EXPLICATIO.

sceleratis & flagitiosis negat

Sic in Somnio Scipionis, Eorum, inquit, animi, qui se corporis uoluptatibus dediderant:

runt:earumq́; se quasi ministros præbuerũt: impulsuq́; libidinum, uoluptatibus obedientium, Deorum & hominũ iura uiolauerunt: corporibus elapsi, circum terram ipsam uolutantur: nec in hunc locum (cœlum) nisi multis exagitati (exagitatis) seculis, reuertũtur. (Socrates patere in cœlum reditum.)

Magna est horum uerborum emphasis, diligenter expendenda: obseruanda item scelerum in domestica & publica diuisio. Immanibus *autem lego ex coniectura probabili, pro* humanis uitijs : *quibus quis unquam caruit aut carebit? Sunt igitur* αἱ θηριώδεις κακίαι *intelligendæ, ut Catilinæ, Clodij, Neronis, Heliogabali, omniúmque tyrannorum, ac proteruorum & nefariorum hominum.* (Humanis uitiis nemo caret: immanibus multi.)

Cæterùm ipsum originis peccatum, autore Christo, condemnat omnes eos, qui ex aqua & Spiritu sancto renati nõ fuerint: etsi honestissimè & innocentissimè, ut Pythagoras, Plato, Xenocrates, Epaminõdas, Atticus, Epictetus, & similes uixisse uideantur. Quorum quæ conditio post obitum sit: nos, diuinæ prouidentiæ & clementiæ relinquentes, ipsi pro uirili fungamur omni officio: τὴν ἰδίαν σωτηρίαν *(ut monet D. Paulus)* ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ κατεργαζόμενοι. *Sed iam ad emphasin uerborũ ueniamus.* (Peccatum originis cõdemnat omnes.) (Vitiorum labes.)

Vitia contaminant animos, non secus ac fœdißimum cœnum uestes & corpora.

Libidinũ seruitus.

Totos se libidinibus dedunt homines incontinentes & intemperantes: ijdemq́; seruitutem & turpißimam & durißimam seruiunt: ut quamuis rectè facere uellent, tamen, per tyrannidem prauæ consuetudinis, rectè facere non poßint.

Cęcitas flagitiorum.

Eadem uitia cæcant animos, ut neque uirtutis pulchritudinem neque flagitiorum fœditatem perspiciãt. Hanc cæcationem D. Paulus appellat ἀδόκιμον νοῦν, id est, adulterinam mentem, καὶ ἀμεταανόητον καρδίαν, id est, animum, qui nulla scelerum conscientia moueatur. In quibus uerò hæc sunt, hos ἀπηλγηκότας dicit: qui instar cadauerum aut emortuæ carnis, nullis stimulis obiurgationum, nullis ignibus comminationum moueantur, & ad pœnitentiam salutarem incitentur.

CODRVS Ille beatus erit, qui se uirtutibus ornat. Sed qui se uitiis inquinat ille miser.

Se inquinarunt.) *Nemo est, quin labe aliqua uitij uel sciens & uolens, uel imprudens & inuitus aspergatur. Sed inquinant sese, qui ultrò in uitijs atque flagitiis, tanquam sues in luto uolutantur. Atque hæc, quamuis turpia, minus tamen & paucioribus nocent. Fraudes uerò inexpiabiles in republica uiolanda, sunt, quæ Græci dicunt ἀνήκεστα*

σα ἔργα καὶ πάθη, cuiuſmodi ſunt facinora tyrannorum, & ſeditioſorum, & latronum. qui totas urbes & integra regna euertunt aut certè miſerabiliter affligunt. Inexpiabiles fraudes.

Deuium quoddam iter, ſecluſum à concilio Deorum.) *Nam qui ſe caſtos atque integros ſeruarunt rectà in cœlum aſcendere putantur: impuri uerò, contaminati & inquinati (ut in Somnio Scipionis ſcribitur) circum terram ipſam uolutantur. Iſta porro uolutatio atque exagitatio, uel ad Pythagoricam μετεμψύχωσιν, quæ cordato homini morte ipſa fuerit acerbior (Quis enim uelit, uelut à calce ad carceres reuocari, & repueraſcere, atque infantis inſtar in cunis uagire?) uel ad iactationem in caliginoſo & nebuloſo aere: cuiuſmodi fabula de furioſo exercitu traditur, referri poteſt. Et Ioſephus, contra Euangelicam autoritatem, affirmat, τοὺς καλουμένους δαίμονας, ψυχὰς εἶναι ἀνθρώπων ἀποθανόντων. Sed & Tertullianus animas hominum peſſimas, poſt mortem in dæmonas uerti, ſenſiſſe traditur. Contra quam opinionem ad Suidam diſſeritur hoc modo: Eorum qui uiolenta morte perempti ſunt, non (ut multi opinantur) animæ fiunt dæ-*

Triſmegiſtus κόλασις ταῖς ψυχαῖς ἡ ἐνσωμάτωσις.

Furioſi exercitus fabula.

Sceleratorum animi, ſunt uiui dæmones.

mones: sed eorum qui peccant: non earum natura mutata: sed uoluntate dæmonum improbitatem imitante. Id quod & Christus Iudæis dixit: Vos ex patre uestro diabolo estis.

CCXVII. SENTENTIA.

Qui autem se integros castósque seruauissent: quibusq; fuisset minima cum corporibus contagio: seseq; ab his semper seuocauissent: essentq; in corporibus humanis uitam imitati Deorum: his ad illos, à quibus essent profecti, reditum facilem patere.

EXPLICATIO.

Nõ humana sanctitas, sed Dei benignitas beat.

Aliud nos docet Euangelium: Qui crediderit (inquit Christus) & baptizatus fuerit, saluus erit. Veram autem fidem sequitur charitas Dei & hominum, cum innocentia, beneficentia, sanctitate: & certa spes beatæ immortalitatis, non fiducia suæ uirtutis (quæ aut nulla, aut perexigua est, & infinitis contaminata & internis & externis malis) sed meriti Christi. Qui (si iusticia ex lege est, & uiribus humanis constat) autore D. Paulo, frustra mortuus fuerit: quo quid cogitari potest magis impium atque

atque absurdius? Iam explicemus etiam uerba Ciceronis, quæ fundamento Christianæ religionis inædificata, præclaram speciem & multum usum habent. Integritas Græcè καλοκαγαθία uel potius ἀκακία, est abstinere omnibus uitiis: & integer homo, ab Horatio dicitur: Integer uitæ scelerisq; purus. Interdum integritas opponitur corruptelæ munerum, & Græcè est ἀδιαφθορία, τὸ ἀδέκαστον καὶ ἀδωροδόκητον. Castitas autem est duplex: una, uulgaris, in honesto coniugio: quo, matura ætate, perpauci absque magno periculo carere possunt. Et sæpe in hoc ipso (ut Ouidij uerbis utar)

Vt bene seruaris corpus, sed adultera mēs est.

Altera, & corporis & animi puritas: quam paucissimi (nostra præsertim intemperanti & libidinosa ætate) capiunt. Sed mundos animo Christus beatos pronunciat: quòd Deum uisuri sint. Minima porrò cum corporibus contagio, non tantùm de congressu cum mulieribus, intelligatur: sed in genere abstinentia, quanta homini contingere potest, ab omnibus rebus corporeis: ingurgitatiõe præsertim cibi & potionis: unde ingentia uitia & corporum & animorũ existunt. Itaq; & Aegyptij sacerdotes, & Pythagorei

Integritas

Castitas est duplex.

Minima cũ corporibus contagio.

Crapulæ pestis, est nocentissima.

gorei hos ſecuti: multi item apud Chriſtianos ſancti uiri & canibus & piſcibus omnibus abſtinuerunt, pane, oleribus, leguminibus, pomis, aqua profluēte uictitantes, lineis item iisq́ candidis ueſtibus contenti. Hæc nulla ſuperſtitione ſcribo, aut ut cuiquam iniiciam ſcrupulum, quò minus omnibus Dei donis cum gratiarū actione utatur: ſed ut ab ingluuie turpiſſima eos, qui ſanabilibus ingeniis ſunt, aliquantulum reuocem. Se uocatio ſui à corpore, à uulgo non facilè intelligitur: ſed ſignificat meditationem rerum diuinarum & corporis expertium: cuiuſmodi ſunt (ut ſuprà quoque monui) abſtracta Grammaticorum, & formæ atque generæ Dialecticorum, & corpora mathematica: ea denique, quæ uulgo Metaphyſica & Theologica appellantur. Et habet homo Chriſtianus ampliſſimum campum, in quo meditatio eius & ſeuocatio animi à corpore decurrat, meditationem decalogi, ſymboli Apoſtolorum, precationis dominicæ, baptiſmi & ſacræ ſynaxeos, aliorúmque myſteriorum Chriſtianæ religionis. Hæc enim neque oculis uſurpantur, nec palpantur manibus: ſed ſpiritu & ueritate comprehenduntur. Imitationem porrò diuinæ uitæ, Deiq́ ſimi-

Seuocatio ſui à corpore, eſt rerū diuinarum meditatio.

Hominis Chriſtiani meditationes.

similitudinem (Platone interprete) non aliam intelligimus, quàm quadrigã illam uirtutum, prudentiæ, iusticiæ, magni animi & temperãtiæ: quæ idem autor diuina bona appellat. Ea uerò quæ uulgus hominum admiratur, sanitatem, pulchritudinem, uires, celeritatem, diuitias, gloriam, & si qua sunt id genus alia, humana. Imitaturus ergo Deum, sit integerrimus, castus, sobrius, uigilans, θεωρητικὸς, beneficus, quantum humana patitur fragilitas. Quomodo enim homo, huic terreno carceri inclusus, & uarijs machinis diaboli, hominum, suorumq́; affectuum & errorũ impugnatus, beatorũ geniorum sanctitatem poßit ulla ex parte assequi? Itaq; Plato philosophiam definit μελέτην θανάτου, καὶ ὁμοίωσιν τῷ θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ. Et quidem, nisi praua consuetudo & priuatim & publicè obstaret: sæpe & minus mali, & paulò meliores essemus. Nunc fit, quod prouerbio dicitur, ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ. Profectio autem animorum è cælo in terrena corpora Pythagorici dogmatis est: inter Theologos etiam controuersi: utrum mens & ratio, sicut corpus, à parẽtibus propagentur? & ex integro homine, ut ex equo & leone integer equus & leo, sic etiam nascatur homo integer?

Imitatio Dei est in uirtute posita, Platone autore.

Deprauatio consuetudinis, deteriores etiã nos facit, quàm ultrò sumus.

Animorũ è cælo profectio, controuersa est.

integer? an, formato iam in utero fœtu, post diem quadragesimum ab ortu infantis, diuinitus infundatur? quorum illud mortalitatis animi sit argumentum: hoc, plura etiam absurda gignere uideatur. Sed hanc quæstionem suprà quoq; attigimus.

CCXVIII. SENTENTIA.

Itaq; commemorat, ut cygni (qui nō sine causa Apollini dicati sunt: sed quòd ab eo diuinationem habere uideantur: qua prouidētes, quid in morte boni sit) cum cantu & uoluptate moriantur: sic omnibus & bonis & doctis esse faciendum.

EXPLICATIO.

Sumptum & hoc est à Platone, qui negat, cantum illum esse doloris (quod nonnulli falsò putent: cùm aues non nisi pastæ & alacres cantare soleant) sed melioris esse uitæ præsagium auguratur. Sed qui uel cygnum suauiter cantantem audierit, uel phœnicem uolantem uiderit: ego neq; audiui neq; uidi quenquam: nihilò magis quàm hominem iamiam moriturum. Ut autem id, quod Cicero hic iubet, non fiat. Est enim difficile canere morituro (quod nec ipse Cicero fecit, iugulū percussori

Cantus cygni & hominis morientis, inusa & inaudita res.

sori

sori porrigens: Augustus quidem Cæsar & Vespasianus, quasi ludibundi esse mortui scribuntur. Fertur & egregius heros Maximilianus imperator, eius nominis primus, inter suaues Musicorum modulos expirare uoluisse) difficile inquam est, uoluptatem cum acerba distractione corporis & animi coniungere: non tamen grauatè, sed æquo & alacri animo est moriendum: abiecta omnium terrenarum rerum cura & desiderio: ut quæ iam nihil ad nos attineant: & quibus longè meliores diuina liberalitate simus adepturi. Nã quæ siue ad rempublicam, siue ad rem familiarem, uxorem, liberos, amicos, ministros pertinent: maturè omnia, integra mente & sensibus, pro uirili, quàm rectissimè & æquissimè, sunt constituenda: & cauenda Catoniana illa pœnitentia τὴν μίαν ἡμέραν ἀδιάθετον γενέσθαι (unum diem absque testamento egisse.)

CCXIX. SENTENTIA.

Nec uerò de hoc (quenquam dubitare posse) quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod ijs sæpe usu uenit, qui acriter oculis [deficientem] Solem (intuentur) intuerentur, ut aspectũ omni-

omnino (amittant) amitterent: sic mentis acies se ipsam intuens, nonnunquam hebescit: ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitãs, circumspectans, hæsitans, multa aduersa reuertens (reuerens) tanquam in mari immenso nostra uehitur oratio.

EXPLICATIO.

Exponitur causa, cur nemo cygnorum in morte cantum imitetur: quòd nec naturam animi sui quisquã satis perspiciat; & magnæ tenebræ de eo cogitantibus, non secus atque Solem intuentibus, obijciantur. Solem deficientem, *habent omnes, quos ego quidem uiderim, codices. Ego uerò id magis accidere puto ijs, qui Solem purumputum, nec obiectu Lunæ obumbratũ intuentur: eoque* τὸ deficientem, *ab aliquo sciolo, existimante fortaßis, Solem, suam caliginem, etiam intuentiũ oculis offundere, adiectum, abesse mallem. Quod sequitur,* multa aduersa reuertens (*alij* reuerens) *uidetur hemistichium esse ueteris alicuius poetæ: & poni (si mendũ abest) pro eo quod est, aduersariorum argumenta, quasi hostilem aciem, reformidans atque refugiens. Comparatio autem illa disputationis huius cum rate in immenso mari, eleganter exprimit*

Disputatio de animo, similis est rati, quæ in mari immenso uehitur.

mit Academicã dubitationẽ, & humanæ mẽtis infirmitatem, quæ plerisq; in rebus obscurioribus, dubitat, circumspectat, hæsitat, multa aduersa reformidat. Iam quòd cõtemplandi diligentiam amittimus: id ab inueniendi ueri desperatione proficiscitur: cuius uidendi (ut antè dixit) natura inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas. Oræ uerò ipsæ locorum illorum, quò peruenerimus: quò faciliorem nobis cognitionem rerum cælestium: eò maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt.

Inuentionis desperatio minuit inquirendi diligentiam.

CCXX. SENTENTIA.

Sed hæc & uetera, & à Græcis. Cato autem sic abijt è uita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominãs ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare.

Αὐτοχειρία (sui peremptio) diuinitus est interdicta.

EXPLICATIO.

Sic in Somnio Paulus Africano mori quàm primùm cupienti, Non est ita, inquit. Nisi enim Deus is (cuius hoc templum est omne quod conspicis) istis te corporis custodijs liberauerit: huc tibi aditus patere non potest. Vtrũ uerò dominans ille in nobis Deus, Mens intelligenda est? quam Cicero sæpius Deum uocat: an legendum, DOMINANS NOBIS?

BIS? *Si autem Dei serui sumus: nihil illius iniussu, nedum contra eius imperium, agere debemus.*

CCXXII. SENTENTIA.

Cùm uerò causam iustam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: næ ille medius fidius uir sapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit: nec tamen illa uincula carceris ruperit: leges enim uetant: sed tanquã à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus, atque emissus exierit.

EXPLICATIO.

Nescio quàm bellè hæc inter se cohæreant: iniussu imperatoris, id est, Dei (ut in Catone scribit) de præsidio & statione uitæ non decedere: &, causam iustam Deum ipsum dare. Cato quàm gauisus fuerit, causam moriendi nactum se esse: ipse uiderit. Plutarchus certè sic eius interitum describit, ut κλαυσίγελως quidam esse uideatur. Sed excusemus, si possumus, Catonem: idque uerbis ipsius Ciceronis: qui 1. de officijs, Hæc (inquit) differentia naturarum, tantam habet uim: ut nonnunquã mortem sibi ipsi cõsciscere alius debeat: alius in eâdem causa non debeat. Num enim alia

Catonis αὐτοχειρία utcunque à Cicerone excusatur.

in

in causa M. Cato fuit: alia cæteri: q se in Africa Cæsari tradiderũt? Atqui cæteris forsitan uitio datum esset, si se interemisset: propterea quòd lenior eorum uita, & mores fuerant faciliores. Catoni autem cùm incredibilem tribuisset natura grauitatem: eamq; ipse perpetua constantia roborauisset: semperq; in proposito susceptoq; consilio permansisset: moriendum potius, quàm tyrãni uultus aspiciendus erat. Hactenus ille: contra quẽ Cæsar nõ sine causa duos Anticatones uidetur scripsisse: qui utinã (ut & Ciceronis Cato minor) extarẽt. Fuit sanè uterq; Cato uir præstans, sed homo uterq; fuit, nec humanis uitijs caruit: et alter in seruos, alter in semetipsum fuit iniurius. Nam neq; tyrannis, neq; egestas, neq; cruciatus corporis (quamuis ingentia mala, & morte ipsa forsan acerbiora) iustæ consciscẽdi sibi necẽ causæ sunt. Αὐτοχειρίαν enim & diuinæ & humanæ leges uetãt. Oppetendæ uerò mortis iusta causa est pro religione, iusticia, ueritate, patria: cùm, his saluis, per tyrannorum uiolentiam, uiuere nõ possumus. In cæteris tenendum est illud Ouidij:

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Vult enim nos Deus exerceri uarijs ærumnis in uita hac: quæ tolerandæ sunt, si legitimis

Ciceronis Cato minor, & duo Cęsaris Anticatones desiderantur.

Fortius est, uitę mala tolerare, quàm uoluntaria morte uel le effugere.

rationibus tolli nequeũt. Quin & aliena uiolentia (quantum saluo officio licet) declinanda est: & Christus ipse discipulis ait: Si uos in una ciuitate persecuti fuerint: fugite in aliam. Rectè igitur est dictum à Socrate: Vetant leges: uetat dominans ille in nobis Deus, iniussu nos hinc suo demigrare: aut illa uincula carceris rumpere. Tenebras quidem rectè uocat hãc terrenam uitam: Lucem, illã cælestem. Quis uerò est, qui non ipsius Naturæ nutu & tenebras oderit, & lucem amet? Quòd si terrena hæc uita obscura & tenebrosa est, ut est: cælestis uerò illa, et lucida et splendida: quis nõ hanc illi anteponat? Quod quò minus plerique faciant: in causa est ignoratio & desperatio: quibus opponendæ sunt & cohortationes & promissiones diuinæ.

CCXXIII. SENTENTIA.

Tota enim philosophorum uita (ut ait idem) commentatio mortis est.

EXPLICATIO.

Meditãda mors est & uolũtaria & necessaria. *Meditanda mors est, tam necessaria: quã uel naturæ ordo, uel externa uis affert: quàm uoluntaria: cùm pertæsi rerum humanarũ, cælestiumque appetentes, cum D. Paulo, cupimus dissolui, & esse cum Christo. Cicero autẽ*

mortem

mortem uocat, τὴν τοῦ τε ἀπολαυστικοῦ καὶ τοῦ οἰκονομικοῦ, καὶ τοῦ πολιτικοῦ βίου ἀπόλειψιν *(uitæ & uoluptariæ & œconomicæ & politicæ derelictionem) uitam uerò,* τὴν θεωρίαν τῶν οὐρανίων καὶ θείων, *(contemplationem rerum cælestium & diuinarum.) Et hunc locum sic esse accipiendum, paulò pòst ipse autor declarat. Ac minuẽdus quidem pro uirili est amor corporis: illius tamẽ necessitatibus subuenienđum: quò & hæc ipsa mortis meditatio sit expeditior: & munus officij, siue in priuata uita, siue in magistratu, facilius possis exequi. Qua de re, extremo secũdo de officijs agitur.*

CCXXIIII. SENTENTIA.

Nam quid aliud agimus, cùm à uoluptate, id est, à corpore: cùm à re familiari, quę est ministra & famula corporis: cùm à Republica: cùm à negocio omni seuocamus animum: quid (inquam) tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus? secum esse cogimus? maximeq́ à corpore abducimus?

EXPLICATIO.

Animus humanus nunquam acquiescit, ne in somnis quidem. Cùm ergo nec uoluptatem corporis, nec rem familiarem, nec rempu

blicam curat (harũ enim causa negociosi & occupati sumus) quid superest, nisi ut cælestia & diuina meditetur? Sed & tenuis est & magna caligine intersepta ista meditatio: & in paucis diuturna: subinde nos uellicante & ad se reuocante corpore. Vnde D. Paulus etiam de sese & sanctis uiris loquẽs, spemq́; nobis certioris & uberioris cognitionis faciens, βλέπομεν, *inquit,* ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι: τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. *Et,* Ἐκ μέρους γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν. ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον: τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. *Sed tamen animus pro uirili, etiam dum in hoc mortali corpore sumus, ad huiusmodi contemplationes exuscitandus & præparandus est.*

Meditatio nostra diuinarũ rerum pertenuis est, & sæpè interpellatur.

CCXXV. SENTENTIA.

Res familiaris est ministra & famula corporis.

Horatius. Et mihi res, nõ me rebus submittere conor.

EXPLICATIO.

Cauendum igitur, cùm, ne magistra & domina animi euadat: id quod uoluptarijs & auaris accidit: tum ne ministerio & famulatu suo eundẽ destituat: id quod ignauis, sumptuosis, prodigis euenire solet.

CCXXVI. SENTENTIA.

Secernere autem à corpore animum, ne

ne (non) quicquã alíud eſt, quàm emori díſcere.

EXPLICATIO.

Mortis philoſophicæ definitio: eam eſſe animi à corpore ſecretionem, id eſt, rerum corporis expertium, diuinarum & æternarum meditationem. Sed quotuſquiſq; Chriſtianorum ita moritur? Laudamus ueteres, ſed noſtris uiuimus annis, inquit Ianus apud Ouidium. Ita nos quoq; prauitatem conſuetudinis magis ſequimur, quàm uel philoſophicas uel Euangelicas præceptiones. Pauci philoſophicè & Euangelicè moriuntur.

CCXXVII. SENTENTIA.

Quare hoc commentemur, mihí crede: diſiungamuſq; nos à corporibus: íd eſt, conſueſcàmus mori.

EXPLICATIO.

Adhortatio ualde neceſſaria: quia plerique nihil minus agimus: ſed ipſum quoq; animum obbruteſcere, & in craſſiſſimum quoddam corpus conuerti, perpetua crapula & ebrietate cogimus. Diſiunctio autem à corporibus (ut ſuprà quoq; dictum eſt) intelligatur non tantùm de amatorijs illecebris uitandis (quæ quidẽ philoſophiæ cũprimis aduerſantur: Crapula obbruteſcunt animi.

unde Cicero dixisse fertur: se non posse unà et uxori & philosophiæ uacare) sed in genere de animo à sensibus, & rebus sensilibus ad cōtemplationem rerum æternarum auocando.

CCXXVIII. SENTENTIA.

Hoc (consuetudo moriendi, id est, seuocandi animum à corpore) & dum eri mus in terris, erit illi cælesti uitæ simile: & cùm illuc, ex his uinculis emissi, feremur: minus tardabitur cursus animorū.

EXPLICATIO.

Omnino, si Christiani esse uolumus, etiam nunc ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανῷ εἶναι χρή. *Qualis est, inquis, uita cælestis?* θεογνωσία καὶ θεοφιλία καὶ φιλαδελφία: *quibus rebus, qui sciētiæ ueriq́ amoris uel mediocrem gustum percepit, nihil optabilius, nihil iucundius esse intelligit. Vulgus uerò, uentri & inguini deditum, his tantis rebus assum suillum, & spumantia musto cymbia, & diobolaris meretriculæ blandicias longè anteponit: quia, Quod latet ignotum est: ignòti nulla cupido. Studiosi autem adolescentes huiusmodi admonitiones gratulari sibi debent: seduloq́ ad talia meditanda, ingenia sua excitare. Corpus uinculis, carceri, sepulchro comparari à Platonicis:*

Vulgus hominū uentri & inguini est deditū potius, quàm rerū cælestium meditationi.

Platonicis: uel è uocibus δέμας καὶ σῶμα, quod quasi σῆμα dictum uolunt, notum est. Animos autem è cælo in humana corpora demitti, ut terrarum orbem tueantur, Pythagorei tradunt: ut apud Ciceronem Cato disputat. Animi porrò, cæli appetentes, terrenæq́ue fecis contemptores, uiatori expedito comparantur. Sed Christus negat quenquam ad se uenturum, nisi quem pater attraxerit. Ad quod dictum alludens D. Basilius, ὁ ἕλκων (inquit) τὸν βουλόμενον ἕλκει: cùm & τὸ βούλεσθαι & τὸ ἕλκεσθαι utrunque non humanarum uirium sit, sed muneris diuini. Quod munus ijs largitur Deus, qui uerbum ipsius studiosè audiunt & meditantur. Elegantes animorũ & corporũ comparationes.

CCXXIX. SENTENTIA.

Nam qui in cõpedibus corporis sem per (fuerint) fuerunt: etiam cùm soluti (erunt) sunt, tardius (ingredientur) ingrediuntur: ut ij qui ferro uincti multos annos fuerunt. Cõpedes corporis.

EXPLICATIO.

Compedes corporis appellat rerum corporearum appetitum, ἐν ταῖς φιλοσωμάτοις ψυχαῖς, quas Plato uocat: quæ animum altè spectare, & illam æternam domum contueri nõ sinunt: addita similitudine satis nota. Verba

tamen nō bellißimè cohærent, nec ſatis rotunda eſt ſententia, niſi ita legas, ut aſteriſci monent. Nam in compedibus corporis ſunt, qui ſunt rebus corporeis prorſus addicti, ijsq́; tanquam ferreis uinculis conſtricti. Quibus etiã ubi ſoluti fuerint, id eſt, ubi mortui, minus expeditus curſus & reditus in cælum erit. De eo enim ingreſſu loquitur: eumq́; declarat eorum ſimilitudine, qui ferro uincti multos annos fuerunt.

CCXXX. SENTENTIA.

Quò (in cælũ) cùm uenerimus: tum deníq; uiuemus. Nam hæc quidem uita mors eſt: quã lamẽtarí poſſem, ſi líberet.

EXPLICATIO.

Verißima ἀντίθεσις, *ut ſomni & uigiliæ, umbræ & corporis: ita terrenæ uitæ & cæleſtis,* κατὰ μείωσιν καὶ αὔξησιν. *Cur uerò uitã lamẽtari nõ libet Ciceroni? Quia id maximè in his libris agit: ut æquis & alacrib. animis, oẽs dolores, oẽs ærũnas pferamus. Deinde ne Hegeſiæ Cyrenaici exẽplo, q* πεισιθάνατος *dictus eſt, aliquos ad laqueum adigat: cuius* τὸν ἀποκαρτεροῦντα *expreßiſſe uidetur Eraſmus, in epiſtola quadã luctus cõſolatrice. Habet huiuſmodi quadam & Platoni inſcriptus Axiochus: q abhinc bienniũ cũ Plethone & Cydonio,*

Non eſt eiuſdem, lamentari uitam, & docere patientiam.

nio, aliter sanè q̃ uellẽ & mãdarã, est editus.

CCXXXI. SENTENTIA.

A. Satis tu quidem in CONSOLATIONE es lamentatus. Quam cùm lego: nihil malo, quam has res relinquere. His uerò modò auditis, multò magis.

EXPLICATIO.

Dialogica hæc sunt, & orationis perpetuæ tædium leuant, attentioni seruientia, & fructum antegressæ disputationis declarantia. Nam cùm & uitæ miserias consideramus: & beatam immortalitatem meditamur: nõ modò non formidabilis, sed & optabilis mors nobis esse incipit. Vtrunq; igitur & sæpe & accuratè ab ineunte ætate faciendũ: quò æquiore animo ex hac ualle miseriarum discedamus. Sed longè aliæ sunt adolescentiæ cogitationes: eæq; plerunq; fallaces. Vt enim pauci flores arborum ad maturitatẽ perueniunt: sed plerią; uel sua sponte decidunt, uel uentis & tempestatibus decutiuntur, uel à uermibus depascuntur: ita non multi senectutem attingũt, frustrati expectatione diuitiarum, honorũ, uoluptatum. Sed hoc leue est & ferendum: illud graue & perniciosum, contemptis diuinis oraculis, neglectis magistrorum salutaribus præceptis, contra animi conscientiam,

Mors optabilis nobis esse debet.

Vanæ cogitationes & irritæ spes adolescentiæ.

Libidinosæ uitę pericula.

genio, id est, naturæ prauitati indulgentem, in medio uitæ cursu eò decidere: unde nemini patet exitus, nisi eximio Dei beneficio, præter spem & meritum inde extrahatur.

CCXXXII. SENTENTIA.

M. Veniet tempus (has res, id est, terrena omnia relinquendi) & quidem celeriter: siue retardabis (retractabis) siue properabis. Volat enim ætas.

EXPLICATIO.

Sententia hæc & uitæ cupidos terrêre: & mortis appetentes consolari potest. Longissima nostro seculo ætas est centum annorum, eaq́; rarissima. Sed cùm ad finem uentum fuerit: perinde est, ac si unica diecula totum illud spacium fuisset. Quàm uolucris autem sit ætas, ij, qui mediocri ualetudine & fortuna utentes, semper agunt & moliuntur aliquid, ita sentiunt: ut diem abijsse querantur pene priusquam aduenerit. Clausula illa: siue retardabis siue properabis: *uidetur idem significare, quod: siue mortem appetes siue refugies: quia*

Vita hominib. actuosis uidetur esse breuissima.

Metā fata locant, quā fas transcēdere nulli.

Retardare tamen uidentur (scilicet mortē, uel tardius ad eā peruenire) qui ualetudinē

Retardatio mortis.

curant

curant diligenter, omniaq́; pericula, quantū possunt, uitant, quiq́; illud Nicodemi Messenij in ore habent: ἀεὶ συμφέρον εἶναι, ἀκροᾶσθαι τῶν κρατούντων: *deq́; quibus dici solet: Timidi matrem non flere. Properare autem* οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες καὶ παῤῥησιασταί: *qui (ut præcipit Demosthenes)* ἐγχειροῦσι μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλόμενοι ἐλπίδα: φέρουσι δ', ὅ,τι ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως: *hoc est, Viri strenui & ingenui, semper omnia honesta facinora suscipiunt: spe bona, tanquam scuto muniti: & ferunt, quicquid Deus dederit, fortiter. Properant item, sed aliter, Cares isti, & Sardanapli, &* αὐτόχειρες. *Si,* RETRACTABIS, *legas: uidebitur subintelligi sententiā istam. Multi enim contemptū mortis iactantes, cùm ea iam instat, trepidant, & quiduis aliud mallent perpeti: ut senex ille Aesopicus. Sed (uerum ut fatear) neutrum mihi uerbum satis placet, ob imperfectam constructionem.*

Properatio ad mortem.

Multi retractāt sententiam de morte.

CCXXXIII. SENTENTIA.

Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit: ut uerear, ne homini nihil sit nō malum aliud certè: sed nihil bonum aliud potius: siquidem uel dij ipsi, uel cum diis futuri sumus.

EXPLICATIO.

Verba, ut uerear certè ne nihil aliud sit non malum, &c. *propter multiplicatas negationes, paulò salebrosiora sunt: sed sententia perspicua est: mortem adeò malum non esse, ut sit uel summum, uel solum bonũ: idq́ de piis hominibus uerißimè affirmatur: qui futuri sunt nonquidem* ἰσόθεοι *(Maiestas enim diuina nihil habet sibi par:*

Mors piis hominib. summũ bonum est.

Quippe nil maius generatur ipsa.

Nec uiget quicquam simile aut secũdum

ut Lyrici uerbis utar) Sed θεόφιλοι καὶ θεοφιλεῖς καὶ ἰσάγγελοι: *de quibus & id quod sequitur:*

Proximos illi tamen occupauit

Pallas honores:

rectè intelligitur. Pallas enim est diuina sapientia: cui uni cœlum patet. Et tamen etiam piorum discrimina & gradus erunt beatitudinis: sicut stella stellam uincit claritate. Præclarè Euripides:

Ne in cœlo quidem ἰσοτιμία (par omnium dignitas) futura est.

Μακάριος ὅστις μακαρίοις ὑπηρετεῖ:

Πόσῳ δὲ μᾶλλον ὅγε θεῷ συνὼν φίλος;

(Beatus est, q beatis ministrat: quãtò magis is, qui Dei cõsuetudine & amicitia fruitur?) Sed Cicero ambigit, utrũ animi hũani, soluti corporibus, diuina prorsus cõditione futuri

sint

sint (etsi in Somnio planè dicit, DEVM TE ESSE SCITO) *perinde ac si reges in aliorum regū̄ concilium ueniāt: qui oēs* ὁμότιμοι *sint, & pari dignitate: an uerò tanquam siue ministri siue familiares atq; amici regū̄? Nos uerò scimus uni Deo totam rerum naturam, ut parenti & domino parere: eaq; obedientia summam consequi felicitatem.*

Nos nō dij sed ministri Dei sumus.

CCXXXIIII. SENTENTIA.

A. Quid refert? (scilicet, isthæc abs te affirmari) adsunt * em̄, q hæc nō ,pbent.

* Epicurei nonnulli huic dispu tationi intersunt.

EXPLICATIO.

Personarum uel prætermißio uel permutatio hic peperit obscuritatē. In Luteciano codice Vascosani, et Argentinēsi editione, Auditor hæc dicit: Quid refert, &c. *Postea Marc⁹* Ego aūt nūquā, &c. *Deinde iterū̄ Auditor,* Qui pōt, &c. *Mox denuo Marcus.* Qui possit, rogas? *Hæc distinctio habet expeditā & perspicuam sententiam. Sed ad rem: Quot capita tot sententiæ (ut uulgò dicitur) neque ferè ullum pronunciatum tam probabile, naturæq; consentaneum afferri potest: qđ ex æquo probetur omnib. Dissentiūt aūt à defensore ueritatis, alij ex stupore ingenij: alij cōsuetudine & præceptis opinionibus ita*

Nulla ferè sentētia ex æquo probatur omnibus.

Dissensionum causę.

occupati, ut nihil aliud poßint admittere: itaq; irretiti, ut tanquam captæ auiculæ libertatem suam recuperare nequeant: alij prauis affectibus transuersi aguntur, odio, inuidia, ambitione, auaricia, metu: nonnulli etiam animi petulantia & contradicendi studio impulsi: qui uno pertinaciæ nomine continentur. Non igitur cuiquam hoc præstandum est, ne qui sint qui dissentiant.

Defensori ueritatis nō aliena, sed sua culpa est præstanda.

—ὅτε γὰρ ὁ Ζεὺς

Οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, ὅτ' ἀνέχων.

(Nec enim uel Iuppiter ipse
Siue pluat, seu fulgeat æther, sat placet orbi.)

Sed illud curandum, ne cui iusta sit dissentiendi causa. Id uerò quî consequeris? Re, quæ aut planè uera est, aut uerisimilima, & perspicuè exponenda, & idoneis argumentis cōprobanda; & rationibus aduersariorum euertendis. Sed hæc in plerisq; negociis tam ardua, tam difficilia sunt: ut ἐποχὴ καὶ διάσκεψις Academicorum sæpe locum habeat, ob uaria momenta rationum: ac potius propter imbecillitatem humani ingenij, ipsam ueritatem non facilè perspicientis.

CCXXXV. SENTENTIA.

M. Ego autem nunquam ita te in hoc sermone dimittam: ulla uti ratione mors tibi

tibi uideri malum poſsit.

EXPLICATIO.

Magnifica propoſitio: & ſanè uera, ſi uerum ſit, uel morte omnia deleri: uel uitam parari meliorem. IN HOC SERMONE, *id eſt, dum de morte diſputamus. Alioqui legere malim:* AB HOC SERMONE: *Alij omiſſa præpoſitione,* HOC SERMONE *legunt.*

CCXXXVI. SENTENTIA.

A. Qui poteſt? cùm iſta cognouerim. M. Rogas? Cateruæ ueniunt (uenient) contradicentium: nec ſolùm Epicureorum: quos equidem non deſpicio: ſed neſcio quomodo doctiſsimus quiſque contemnit.

EXPLICATIO.

Auditor triumphat ante uictoriam: fidemq́, ſibi eſſe factam confirmatione, oſtēdit. Sed Cicero prudenter monet, confutationem etiam contrariæ ſentētiæ eſſe expectandam, καὶ ἀμφοῖν, κατὰ τὸν δικαστικὸν ὅρκον, ὁμοίως δεῖν ἀκροᾶσθαι (*&, ſecundum iuſiurādum iudicum Athenienſium, utranq́, partē æquè audiendam eſſe.*) *Epicureos autem ſubinde minimè malos illos quidem homines, aliquādo etiam optimos uiros: ſed non ſatis acutos &*

Non præproperè aſſentiēdum eſt.

Epicureorū Ciceroniana elogia.

& parùm doctos appellat. Docti autem hos contemnunt: tum propter absurditatem dogmatum, tam in Physicis quàm in Ethicis: tum ut rudes Dialecticæ, poeseos & mathematum.

CCXXXVII. SENTENTIA.

Acerrimè autem, deliciæ meæ, Dicæarchus, contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci uocantur: quòd Mitylenis sermo habetur: in quibus uult efficere, ANIMOS ESSE MORTALES.

EXPLICATIO.

Propter opiniões nõ sunt odia capitalia suscipiẽda.

Primùm Ciceronis amanda est moderatio: qui philosophum, à quo magnopere dissentit, aut certè se dissentire temporis causa simulat, uehementer amet. Non enim omnis dissensio etiam discessionem facere debet: nihilq; uetat, quò minus eum, propter uitæ integritatẽ, suauissimosq; mores diligas, cuius opiniones aliquas non probes. Deinde notetur & Dicæarchi conatus: qui non contentus tribus libris Corinthiacis, totidẽ etiã Lesbiacis idem argumentum tractauerit, impulsus opinor & à Corinthiacis meretriculis (quarum in ea urbe prouentus fuit uberrimus, ut nũc Antuerpiæ, Venetiis, Romæ, & in plerisq; magnis

Dicæarchi libri Corinthiaci è prostibulo, Lesbiaci ex œnopolio profisse uidentur.

magnis urbibus) & uino Lesbio inflammatus. Est enim & imprudens & ebriosa ista philosophia scortis & helluonibus gratissima. Cur uerò uult? Non quin malit permanere eos æternos & beatos (id enim ab ipsa natura omnibus est insitum, ut & semper et beati esse cupiant) sed quia naturam humanam tanti boni capacem esse non credit: ut & magister eius Aristoteles aliquam homini cum Deo necessitudinem posse intercedere desperat. Vt ergo Dicæarchus uerè sentiat: mors (quod sæpe iam repetitum est) omnem sensum adimens, nemini malum uideri potest: uia quidem ad mortem salebrosa est. Vnde etiã minimè amantes uitæ, illud Epicharmi, quòd suprà citatum est, si non in ore, at in animo habent: EMORI NOLO: SED ME ESSE MORTVVM, NIHILI AESTIMO.

Interitus animi, mortis metum non auget, sed iter ad mortem.

CCXXXVIII. SENTENTIA.

Stoici autem usuram (τῆς διαμονῆς τῆς ψυχῆς) nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mãsuros aiunt animos: semper negant.

EXPLICATIO.

De animi cõditione tres sententias suprà atti-

attigit: cum uel unà cum ipso corpore extingui: uel diu permanere: uel semper. Quarum hæc media Stoicorum, uidetur sumpta esse ex argumento Socratis in Phædone sic ratiocinantis: Si corpora per se inanima, & uitæ expertia, diutissimè permanent: ut fit apud Aegyptios; quantò magis consentaneum est, animos, qui & uita sint, & uitam corporibus impertiant, esse diuturnos? Aeternitatem autem animis, quos igneos statuerunt, eò fortassis ademere: quòd Mundum ipsum denique conflagraturum docuerunt: ipsumque ignem extinguendum. Ac Mundi conflagrationem docent etiam sacræ literæ: sed eidem adiungunt renouationem & restitutionem in melius & splendidius. Omnimodum autem interitum nequaquam admittunt. De ætatibus porrò animalium, consulantur Hesiodus & Virgilius: penes quos illius affirmationis fides esto. Ceruos quidem & pisces quosdam esse longæuos, historiæ docent. De auibus autem affirmare est difficile: etsi apud nos anserum syluestrium ætas in prouerbium longæuitatis abiit.

Stoici negãt animorũ immortalitatẽ: cũ & mundũ tandẽ conflagraturũ sentiant.

Mundi renouatio.

Aetates animalium.

CCXXXIX. SENTENTIA.

Num uis igitur audire, cur, etiamsi ita sit, mors tamen non sit in malis? A. Vt uide-

Hominem Christianũ de immor-

uidetur: sed me nemo de immortalitate depellet.

talitate nemo depellet.

EXPLICATIO.

Hoc Christianus homo: cui & sacræ scripturæ autoritas, & Spiritus sancti afflatus, demonstrationum firmissimarum loco est: constantius affirmauerit, quàm Ciceronis auditor: οὗ οἱ λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους (cuius rationes rationibus euertuntur.)

CCXL. SENTENTIA.

M. Laudo id quidem: etsi nihil nimis oportet confidere. Mouemur enim sæpe aliquo acutè concluso: labamus, mutamusque sentētiam: clarioribus etiam in rebus inest aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit: simus armati.

EXPLICATIO.

Caligo hæc, infirmitas & inconstantia humani ingenij, Academicam, si non ἀκαταληψίαν, ἐποχὴν certè in obscuriorib. disputationibus sæpe excusat. Magna enim pars nostræ cognitionis uersatur in extremitate, & rebus mutabilibus & pene infinitis; quæ συμβεβηκότα Græci dicūt: quæque gignūt plura εἰκότα καὶ φαινόμενα, quàm τεκμήρια καὶ ὄντα: ὅθεν αἱ ἀποδείξεις εἰσί. Ita inter sese æquo sæpe Marte & rationes philosophorū, & Theo-

Caligo humani ingenij nonnihil excusat Academicam ἐποχήν.

logorum autoritates dimicāt. Neq; ulli sunt in disputãdo minus tractabiles & tolerabiles, quàm ij, qui unā tantùm sententiā audierunt, aliarū omnium rudes atq; ignari. At ubi interim Dialectica illa, ueri et falsi quasi disceptatrix & iudex? Ibidem ubi & hominis ratio: quæ quid est aliud nisi Dialectica? Vnde à Græcis λογικὴ παρὰ τὸν λόγον, τὸν νῦν, *dicitur. Sicut igitur Mens omnium rerum ueritatem perspicere non potest: sic nec Dialectica omnes controuersias dijudicare. Itaq; Cicero sapienter monet, non oportere nimis fidere probabilibus argumentis: præsertim, si nouæ alicuius sentētiæ & dogmatis sis autor. Idem & de plerisq; philosophorum decretis sentiendum est. Demonstrationes enim (quæ quidem uerè sic appellētur) ideo paucæ sunt, quòd principia natura nota rebus controuersis aliter atq; aliter à diuersis applicantur.*

Vt ratio, ita & dialectica nonnunquā hæsitat.

CCXLI. SENTENTIA.

A. Sanè quidem: sed ne accidat, prouidebo.

EXPLICATIO.

Præclara admonitio, SIMVS ARMATI: *nec ad disputationes tantū, sed & ad oēs fortuitos casus accommodanda. Arma porrò disputantium, sunt diuina, interdum etiā huma-*

Aduersus errores & calamitates armati esse debemus.

humana autoritas, argumentationes firmæ: communis autem uitæ præsidia, imploratio & expectatio diuinæ opis, innocentia, prouidentia in parandis auxiliis & remediis: & patientia, quâ una uirtute qui carent, cæterarum omnium haud sanè uberes percipiũt fructus: in tot uitæ humanæ molestiis ac difficultatibus. Sunt amara lento temperanda risu: ut monet Horatius: & Achati Virgiliano parendum:

Nate Deo: quò fata trahent, retrahéntque, sequamur.
Quicquid erit, superanda omnis Fortuna ferendo est.

CCXLII. SENTENTIA.

M. Nunquid igitur est causæ, quin amicos nostros Stoicos dimittamus? Eos dico, qui aiunt animos manere, è corpore cùm excesserint: sed non semper.

Veritas est autoritati præferẽda.

EXPLICATIO.

Dimittere hoc loco, pro, dissentire ab illis, dicitur: & quasi discessionem facere. Ad rem quod attinet, præclarũ est illud Aristotelis: (quod cur nõ repetã? cùm nũquam satis inculcari posit.) ἀμφοῖν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν: ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας.

Est autem philosophus amator sapientiæ, ipsaq́ sapientia nihil aliud quàm cognitio ueritatis. Hic locus me admonet, ut aliquid de philosophia Ciceronis dicam, idq́ breuiter. Mirantur nonnulli, cur tantus ille uir, paradoxa Stoicorum, & Academicorum argutias Peripateticæ prudentiæ & moderationi prætulerit? Ac fortasse non multum à uero aberrant, qui eum & magnificentia uerborum, & licentia copiaq́ dicendi fuisse delectatum existimant. Nam ne ipse quidem hæc dissimulat: sed potius prædicat. Non tamen hæc sola spectasse, mihi quidem, uidetur. Sed cùm arrogantiam temeritatémque quiduis affirmandi & negandi, & tantam plerúmque suæ ætatis ignauiam & mollitiem esse cerneret, ut uix uestes suas ferre possent, & in morsu pulicis exclamarent: temerariis illis Academicam ἐποχὴν: delicatulis hisce, luxuq́ diffluentibus, Stoicam ἀπάθειαν obijciendam ratus, iniquum postulauit, ut æquum ferret: extremáque proponendo ad mediocritatem utrósque reuocaret. Sed de hoc & aliis suo quisque statuat arbitratu. Mihi enim propositum non est uel malè sentientem quenquam defendere, uel ueras sententias cauillari.

Cur Cicero Stoicos & Academicos maximè secutus fuerit?

CCXLIII. SENTENTIA.

A. Iſtos uerò. M. Qui quod in tota hac cauſa (immortalitatis) difficilimum eſt, ſuſcipiunt: poſſe animum manere corpore uacantem.

EXPLICATIO.

Cur uerò difficilimũ? Quia hactenus eũ cũ corpore fuiſſe coniunctũ cõſtat, nec corpore mortuo animus in ſenſus atq; oculos incurrit: nec forma cõſtare poſſe abſq; materia uulgo hominũ uidetur: qui ſolis ſenſibus pleraq; metiũtur: ingenia aũt contemplandis rebus à materia abſtractis & corporis expertibus exercitata non habent. Suſcipere, pro, admittere & approbare, παραδέχεσθαι ἢ ἀποδέξασθαι, ponitur.

CCXLIIII. SENTENTIA.

Illud autem, quod non modò facile ad credendum eſt: ſed eo conceſſo, quod uolunt, conſequens, id certè non dant, ut, cùm diu permanſerit, ne intereat. A. Bene reprehendis. Et ſe iſto modo res habet.

EXPLICATIO.

Quod ſemper, idem etiam diu permanet: qui mille habet aureos, habet & centũ. Sed quod diu permanet, ut permaneat ſemper: et Aliud eſt diu, aliud ſemper manere.

cui cẽtũ sunt aurei, mille eidẽ esse: quæ sit necessitas: aut quõ una pars totũ, aut una forma genus uniuersum cõprehẽdat, equidẽ non uideo. Maior enim numerus includit minorẽ, & genus oẽs suas formas, nõ cõtrà. Ego (ut crasso exẽplo rem declarem) caniculum & felem habeo (quæ est summa iumenti & pecoris mei) omnia animalia, q̃ in arca Noæ fuerũt, nec habeo, nec habere cupio. Iam XXVI annos Augustæ uixi: mille annos eâdẽ ratiõe me hic uicturũ si dicerẽ: quis non in Anticyras mittẽdum esse diceret? Quare quàm bene Cicero Stoicos (hac quidem in parte) reprehendat: & quomodo isto modo se res habeat: uiderit auditor, qui uel Ciceroni, uel suæ cupiditati assentari magis, quàm assentiri uidetur: cùm id, quod ille & facile ad credendum, & consequens esse ait, incredibile potius sit & absurdum. Sed Cicero, ut in caussis forẽsibus fucũ se fecisse iudicibus, aliquando gloriatus est: ita in disputationibus suis sæpe non tam philosophum agit, quàm oratorem, caussæ magis seruiẽs, quàm ueritati. Cæterùm illud omnes Christiani facilè illi concesserint: animum & posse permanere corpore uacantem (quod tamen aliquando recepturus sit) & permansurum esse: quia Deus

Cicero etiam in philosophia oratorem agit.

ita

ita constituit, & nobis unigenito filio missa, patefecit.

CCXLV. SENTENTIA.

M. Credamus igitur Panætio, à Platone suo dissentienti? Quem enim omnibus locis diuinum, quem sapientíssimũ, quem Homerum philosophorum appellat: huius hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat.

Panætius incõstātiæ arguitur.

EXPLICATIO.

Hæc elogia non tam incõstantiæ Panætiũ arguũt (quis enim æquũ cẽseat, ut, cuius multa probes, omnia probes?) quàm studiosos ad huius philosophi operum lectionem incitare debẽt: quæ tamen minus & iucũda & utilis futura est iis, qui in Dialecticis & Mathematis parùm exercitati fuerint. Nuper tamen Ioannes Serranus noua interpretatione & scholiis: Henricus uerò Stephanus eruditis annotationibus magnam huic scriptori lucem attulerunt. Diuinus autem dicitur, cùm ob ingenij excellentiã quasi homine superior: tum quia de Deo rebúsque diuinis multa (ut homo tamen patefactæ religionis ignarus) præclarè scripsit. Aristotelem, tanquam Platone inferiorem, Græci ueteres non

Non necesse est omnia uiri pstãtis & dĩcta & facta probare.

Henrici Stephani Græcolatina Platonis editio.

Plato cur diuinus?

Sapientiss.

Homerus.

θεῖον, sed δαιμόνιον appellarunt. Sapientissimus (Græcè fortasse φιλοσοφώτατος, id est, princeps philosophus) ob rerum æternarum & diuinarum (nam his propriè sapientia tribuitur) meditationem. Homerus philosophorum, quòd eloquentia & maiestate orationis tantum uincat alios philosophos, quantum Homerus poetas. Græci quidem Iouem suum Optimum Maximum, Græcè locuturum, non alio genere orationis, quàm Platonico, usurum dictitarunt: sicut Latini Plauti ore quasi Musas locutas perhibent. Sed huius imitatio non ubique tuta est: cùm propter ἀρχαϊσμοὺς, tum ob scurrilia dicteria, in quibus poeta flagitiosarum aut certè uilium personarum decorum obseruauit: non habita ratione decoris naturalis & urbanitatis.

Imitatio Plautinæ dictionis est periculosa.

CCXLVI. SENTENTIA.

Vult enim (Panætius (quod nemo negat) quicquid natum sit, interire.

EXPLICATIO.

In caducis quidē rebus atque terrestrib. hoc uidemus, tam animatis, quàm inanimis. An uerò cœlestium eadem sit ratio: humana experientia cognoscere nō potuit. Et hoc ipsum Plato negat: qui deos iuniores (sic genios et sidera appellat)

non ſuapte natura: ſed diuina uoluntate, firmiſſimo uinculo, æternos fore affirmat. Eadē eſt ratio & immortalitatis humani animi: quæ non tam ab ipſius natura (quod ſuprà quoq; monuimus) pendet, quàm à uoluntate Dei: qui animos æternos fore, & uel perpetuò felices, uel ſemper cruciandos, manifeſtis oraculis patefecit. Quicquid igitur à philoſophis & medicis argutiarum contra animorū æternitatem affertur (& quidem multa plauſibilia: ut in examinandis Ciceronis argumentis uidimus: contra eam probabiliter afferri poſſunt) hoc uno argumento, tanquam inuulnerabili clypeo, diuinæ uoluntatis atq; autoritatis, repellantur: & ut mendacia diaboli repudientur. Sublata enim fide immortalitatis, & poſt obitum tam, ſupplicij metu, quàm præmij ſpe ex hominis animo exterminatis: quid ille aliud eſt, niſi certiſſimū diaboli mancipium? Quid talis homo, ignoratione hominum & impunitate propoſita, non audebit? Maxima certè uitæ pernicies iſtam opinionem conſequitur. Perpauci enim ſunt, qui naturæ bonitate uincantur: contraq; nimis uerè Cicero ſcripſit. Quotuſquiſq; eſt, qui ignoratione omnium & impunitate propoſita, maleficio & ſcelere poſſit abſtinere? Præclarè

Sacra oracula phyſicis argutiis opponēda ſunt.

Qui animos prorſus interire cenſent: ferè à nullo facinore abhorrēt.

Ioan. Ludouici Viuis pronũciatum.

Viues lib. 1. de ueritate fidei Christianæ, Connexa, inquit, sunt, Dei religio: Dei prouidentia: humanæ animæ immortalitas: ab eaq́ parte NATVRA ET VERVM *stat: à qua stant boni & sapientes. At iusticia, probitas, religio, uirtutes omnes, immortalitate animæ nituntur. Et sunt* VIRTVS ET VERITAS *germanæ ac potius geminæ sorores.*

CCXLVII. SENTENTIA.

Nasci autem animos: quod declaret eorum similitudo, qui procreentur: quæ etiam in ingenijs, non solùm in corporibus appareat.

EXPLICATIO.

Φυσικώτατόν ἐστιν *(inquit Aristoteles)* τὸ ὅμοιον ἑαυτῷ γεννᾶν *(naturæ maximè consentaneum est generare sui simile.) Et quidem in castis & synceris matrimonijs plerunq́ nascuntur (ut Hesiodi uerbis utar)* ἐοικότα τέκνα γονεῦσι *(liberi parentibus similes) idemq́ inter pœnas scelerum numerat dissimilitudinem formarum: cuius tamẽ causæ multæ esse possunt: ut diuersæ & corporum, ex ratione uictus: & animorum, propter multiplices casus, affectiones in parẽtibus, tum in ipsa procreatione,*

Formarũ similitudo & dissimilitudo, nihil habent firmæ probationis.

creatione, tum in gestatione in utero: ut alius siderum positus, ut aliud nutricis lac, alia educatio, aliæ familiaritates. Morbos quidem propagari in liberos, è leprosis leprosos, ex epilepticis epilepticos, è podagricis podagricos ferè gigni, constat: nisi fortè, alterius coniugis prospera ualetudo, prædominante eius semine, alterius uirulentam materiam uincat atq; emendet. Ac miro consilio Lycurgus, Lacedæmoniorum legislator, permisit, ut homo senex & ualetudinarius, generoso iuueni uxorem daret usurariam. Non enim singulis, sed reipublicæ suscipi liberos. Quod etsi nostris legibus non licet: tamen lasciuæ mulierculæ in ea re sibi non desunt. Itaq;

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Vigor: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

At unde illud: ἡρώων τέκνα πήματα; Cur præstantium uirorum filij plerunq; degenerant? Aut ex adulterijs (ut quidam ciuis principi cuidam facetè respondit: nomina de industria taceo: quamuis perargutus sit dialogismus) unde incommodus ille Commodus, & animo & corpore gladiatorem, à Faustina matre adamatum, longè magis retulit, quàm

Filij quib. de causis degenerare uideantur.

quàm M. Antonium philoſophum: aut ex negligenti & indulgenti educatione, & alia ratione uictus & familiaritatum. Vnde illud prouerbium: ἂν χωλῷ παροικήσῃς: ὑποσκάζειν μαθήσῃ *(ſi claudi conſuetudine uſus fueris: ſubclaudicare & ipſe diſces.)*

Conſuetudo uitioſorum uitanda eſt.

Magno igitur ſtudio uitanda & pro uirili fugienda eſt, hominum & corpore & animo uitioſorum familiaritas: ne contagio quopiam inficiaris: quod facilimè fit, teneris adhuc & animis & corporibus.

Omnia tandem degenerant.

Ac tandem familiarum generoſa indoles (ut nihil eſt in rebus humanis perpetuum) tanquam arbores & agri effœti, uelut exoleſcit: &, ut Plato ait, multi ex aureo genere in argenteum, ferreum, aut plumbeũ tranſeunt: & è contrario. Eadem & imperiorum ratio eſt: id quod apud Danielem declarat ſtatua Nabuchodonoſoris, è uarijs conflata metallis: ac tandem in pedes partim ferreos, partim luteos deſinens. Eadem ratio eſt et poëtici figmenti de ætate aurea, argentea, ærea, ferrea. Vnde idem Horatius queritur:

Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores: mox daturos
Progeniem uitioſiorem.

Sed hanc controuerſiam, partim Theologis, partim Aſtrologis, partim Medicis diſceptan

dam

dam relinquamus. Panatij autem argumentum est huiusmodi: Quicquid nascitur, idem & interit: Animus humanus nascitur: Ergo & interit. Minorem probo. Quia plerunque liberi parẽtibus & figura corporis & affectionibus animorum sunt similes. Hanc probationem Cicero non cõcedit. Nam primum inquit, Similitudo animorum non est perpetua: idque declarat exemplo Fabij cuiusdam degeneris. Deinde ut patres & filij similibus sint ingenijs: id tamen non tam ex procreatione, quàm ex constitutione corporis euenit: atque ipsa corporis constitutio plus fortassis à ratione uictus, quàm à procreatione parentũ pendet. Si igitur non probatur necessaria similitudo: ne mortalitas quidem animorũ necessaria probatur à Panætio. Argumenta igitur illius æternitatem animorum non tollunt. Nasci animos, argumento est similitudo, inquit ille. Cicero procreationem, illius unicam & certam esse causam negat.

CCXLVIII. SENTENTIA.

Alteram autem affert rationem: nihil esse quod doleat, quin id ægrũ esse quoque possit. Quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum. Dolere autem animos. Ergo etiam interire. Hæc refelli possunt.

possunt. Sunt enim ignorantis, cùm de æternitate animorum dicitur, de mente dici: quæ omni turbido motu semper uacat: non de partibus his, in quibus ægritudines, iræ, libidinesq́ue uersentur: quas is, cōtra quem hæc dicuntur, semotas & disclusas putat.

EXPLICATIO.

Humana mens & diuina plurimum differunt.

Arguit inconstantiæ Panætium: qui partes quidem animi distinguat: sed utrarunque naturam non secernat: & mentem eadē mortalitate inuoluat, qua brutas illas: quas & Aristoteles mortales esse concedit: quòd corporeum quiddam sint, cum corpore & natæ & interituræ, sicut in bestijs. Solam autem mentem esse diuinam atque æternam. Nostra autem religio integrum hominem cum corpore & animo, in resurrectione mortuorum, immortalitate donandū esse cōfirmat. Qualem autem nobis mentem hîc depingit: talis utique diuina mens est, & mentes sanctorum geniorum. Humana uerò mens infinitis dubitationibus et erroribus obnoxia (quibus quid est intricatius? quid turbidius?) an sit ab ægritudinibus, iris, libidinibusq́ue semota & disclusa: considerandum est diligentius. Segregatio certè quidem ista partium animi, perdifficilis

difficilis est, & aequè ardua, atq; ipsius animi à corpore disiunctio, propter arctissimam societatem & connexionem, ab ipsa natura institutam. Constat tamen, rationis & appetitus non tantùm in excellentibus uiris: sed in mediocribus etiam hominibus, certamen esse perpetuum, nunc hoc, nunc illa, uel superante, uel succumbente. Appetitus ad perfruendas uoluptates fertur: sed Ratio eum cohercet. Ira in ultionem ruit: sed Ratio eam compescit. Ac huiusmodi repugnantiae complures sunt in uniuscuiusque hominis animo. Vnde apparet, eum non unius esse generis, sed diuersi: ac mentem esse dominam, cupiditatem uerò ancillam: modò naturae pareatur. Nam in hominibus intemperantibus fit contrarium. Sed haec copiosius executus est Cydonius noster. Appetitus & Rationis pugna.

CCXLIX. SENTENTIA.

Nam similitudo magis apparet in bestijs: quarum animi sunt rationis expertes. Hominum autem similitudo in corporis figura magis extat.

EXPLICATIO.

Difficilis est comparatio, multiplicemq; requirit ac diuturnam obseruationem: utrum Similitudo formarum nihil probat.

liberi

liberi animos parentum potius referant, an corporis formam? an neutrum? an utrunq;? Alij quidem liberi matrum, alij patrum similiores nascuntur: alij utrorunq; formā participant, alij uel maiorum suorum uel cognatorum, uel alienorum & exterorum similitudinem aliquam referunt. Adolescens quidam Augusto persimilis, ab eodem rogatus, an mater eius aliquando fuisset Romæ? Nunquam, inquit ille, mater, sed pater sæpe. Interim pater est, quem demonstrant nuptiæ. Bestiarum quidem formæ atque naturæ minus uariant, ob minus fortasse uagas quàm hominum cogitationes: sicut capri & arietes Iacobi Patriarchæ docent, in præsentem colorem intenti uirgarum.

CCL. SENTENTIA.

Et ipsi animi magni refert, quali in corpore locati sint. Multa enim è corpore existunt, quæ acuant mentem: multa quæ obtundant.

EXPLICATIO.

Et animi à corporib9, & ab animis etiam corpora afficiuntur.

Rectè ergo Panætius, animum quia in morbum cadat, etiam interiturum. Nam si afficitur à corpore: si acuitur & obtũditur: quomodo omni turbido motu semper uacat? quomodo

modo est ab ijs partibus, in quibus ægritudines, iræ, libidinesq́ uersantur, semotus et disclusus? Aristoteles certè in ipso Physiognomonicorum initio, sic scribit, ὅτι καὶ αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι: καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς, ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων: τοῦτο δὲ δῆλον πάνυ γίνεται ἔν τε ταῖς μέθαις, καὶ ἐν ταῖς ἀρρωστίαις. *In problematis itē sectione 30 disputat:* ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ἕπεται τῇ τοῦ σώματος κράσει. *Eadem est & Galeni planè sententia, experientia comprobata. Videmus enim eos in quibus bonus abundat sanguis, esse hilares, alacres, humanos, benignos. Contrà biliosos esse iracundos, acutos, mutabiles, superbos. Phlegmaticos somnolentos, tardos, pigros, rarò irasci. Melancholicos autem tristes, inuidos, inuenustos: aßiduos tamen & diligentes, sæpe etiam ingeniosos. Atque hæc de redundantia humorum & naturalibus affectionibus intelligi debent. Nam hi liquores in omnibus corporibus inter sese permisti sunt. Vnde fit, ut idem homo aliàs aliter afficiatur. Magnas etiam mutationes efficiunt, educatio, doctrina, familiaritates, ratio uictus, consuetudo, res uel aduersæ uel secundæ: atq; inprimis ualetudo. Quantum autem ad ingenij uim temperatura cerebri,*

Compluribus reb. afficiuntur & mutantur animi.

& iusta capitis magnitudo aptaq; proportio faciat: quantum item aliorum humorum & spirituum totius corporis temperies: quantū frugi & accurata uictus ratio ualeat: norunt & medici, & alij qui hæc diligentius obseruant. Equidem existimo & formæ tantā admirationem initiò ex eo extitisse, quòd exteriorem pulchritudinem interioris esse indicē, & in pulchro hospitio pulchrum hospitem habitare existimarint. Verum tamen est etiam nunc illud Virgilij:

Formę admiratio ex opinione uirtutis extitit.

Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus:

Sed ut ad Panætij argumentum redeam: melius id refutari nequit, quàm si opponatur (id quod antè dictum est) immortalitatem non tam ab ipsius animi natura, quàm à diuina uoluntate pendêre. Alij dicūt, ebrietate, morbis, senectute, & similibus rebus non tam ipsum animum impediri atq; affici, quàm instrumenta eius: ut si egregius faber neq; malleo, neque forcipe bono utatur, aut expeditus uiator salebroso cœnosoq; itinere minus possit progredi.

Christus opponatur Panætio.

Instrumenta potius animi, quā ipsum animum impediri, nōnulli censent.

CCLI. SENTENTIA.

Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse: ut ego me tardiorem esse non molestè feram.

EX-

EXPLICATIO.

Apinam melancholiam probat Melanchthon. Ea porrò est alacris, & hilaritate quadam condîta, & subtilibus meditationibus atq; operibus cum delectatione intenta: sicut apes mellificio suo gaudent, quamuis nō sibi mellificent: ut est apud Virgilium. Asininam uerò, tardam, stupidam, tristem, ignauam, desperabundam, solitariam, & à congressibus hominum abhorrētem, quis est qui non detestetur? Cicero autem modesta extenuatione sui, & ioco festiuo hîc utitur: significans, se malle esse hilarem & humanum, & minus acutum: quàm tristem, ingeniosum, eruditum. Sic in exordio quodam, Quo minus, inquit, ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui: quod exemplum adolescentibus imitandum est. Ac minimè certè fuit ille melancholicus, quamuis ingeniosissimus, ut monimenta eius testantur: sed ita facetus & hilaris, ut modū nonnullis excessisse uideatur. Nam Cato, cùm ille Murænam defenderet, & festiuitate orationis omnes iudices & coronam circumstantem exhilararet, atque ad risum impelleret: Dij boni, inquit, quàm ridiculum habemus consulem? De atræ bilis natura & ui præter medicos,

Apina melancholia laudatur.

Cicero & ingeniosissim9, & minimè melancholicus.

etiam Pontanus in libris de rebus cœlestibus multa disputat: & melancholici fortasse non tam bonitate ingeniorum, quàm assiduitate diligentiæ, & cogitatione in unam aliquam rem defixa excellunt. Adolescentes uerò plerique minus in literis proficiunt, propter uagas cogitationes & uarias: quarũ aliæ alias tanquam claui clauos trudunt & expellunt. In causa etiam sunt incrementa corporum, à quibus etiam ingenia afficiuntur.

Melancholici nõ tam ingenij bonitate, quã assiduitate diligentiæ ualere uidentur.

CCLII. SENTENTIA.

Enumerat multos: idq; quasi constet: rationem cur ita fiat, affert.

EXPLICATIO.

Prior quæstio est: An & quid sit? posterior, cur ita sit? Sed illud opus, in quo ista sunt, me legisse non recordor: quamuis non sine dolore fatear, permulta mihi excidisse. In causa fuere crebræ locorum & studiorum mutationes, & diuturni atq; acerbissimi corporis cruciatus: quibus & ingeniũ, memoria præsertim, debilitatur. Cur autem atra bilis acuat ingenia: & modò attigimus, propter stabiles & fixas cogitationes: & ea humoris illius natura esse perhibetur, ut exercitatiõe ingenij, quasi prunæ insufflatione, exardescat & inflammetur:

Querela autoris.

metur: & propè diuino quodam motu afficiatur. Talem describunt poëtæ ἐνθουσιασμὸν suum, id est, diuinum afflatum: de quo suprà diximus.

CCLIII. SENTENTIA.

Quòd si tanta uis est ad habitum mentis, in ijs quæ gignuntur in corpore (ea autem sunt, quæcunque sunt, quæ similitudinem faciant) nihil necessitatis affert, cur nascantur animi, similitudo.

EXPLICATIO.

Sententia uidetur esse: Non propagari animos, etiamsi maiorum similes sint: quòd illa similitudo ipsorum animorum existat è corporibus & ratione uictus. Sicut enim aliàs diximus: qualis sit cibus & potus, talem ferè gigni sanguinem, in sanis quidem hominibus: & qualis sanguis sit, tales existere corporum spiritus: unde consimiles affectiones animorũ & mores soleant existere. Sed reuoluimur eòdem, in eodemque luto (quod dicitur) hæremus. Ac Cicero (si hoc non perspiceret) non tam facetè, quàm uerè, se tardiorem esse fateretur. Nam si corpora propagantur à parentibus: & è corporibus existunt habitus animorum: quid frustra uerbis distinguimus ea, quæ natura cohærent. Nam si in ratione ui-

Animorũ à corporib. distinctio subtilior, quàm firmior.

ctus tantum momenti est ad immutandos animos: quantò maior uis erit ipsius seminis, unde ipsum corpus procreatur? Sed ut in causa parùm firma: cui se ipse non satis fidere, sæpius haud obscurè significat: nescio quomodo de industria turbat disputationem & implicat: id quod & à Demosthene fieri, Hermogenes obseruauit: atq; euidens est (ut alias taceam) ex oratione de Hagniana hæreditate. Est autem uis uerborum consideranda: negat τὸ ἀναγκαῖον: τὸ δυνατὸν concedit: & illud in Catone positum, huc asciscendum esse innuit: nos ex uniuersa mente diuina delibatos animos habere.

Ἐπιτήδευμα, oratoria calliditas.

Necessariū & possibile differūt.

CCLIIII. SENTENTIA.

Faciei similitudo, animi dissimilitudo maxima.

Omitto similitudines, uellem adesse posset Panætius: uixit cum Africano: quærerem ex eo, cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos? facie patris, uita omnium perditorum ita similis, ut esset facilè deterrimus. Cuius etiam similis P. Crassi & sapientis, & eloquentis (alij addunt: & primi: alij, in primis) hominis nepos, multorumq; aliorum uirorum clarorum, quos nihil attinet nominare, nepotes & filij.

E X-

EXPLICATIO.

Equidem existimo Panætium, si uixisset illa ætate, dissimilitudinis causas, fortassis alias subtiliores etiam, fuisse allaturum: sed ne eas quidem, quas paulò antè attigimus, repudiaturum. Deinde, si plures sint parentibus similes, pauciores dissimiles: etiam sic superior erit Panætius. Si uerò concedatur par numerus æqualitatis & inæqualitatis, aut etiã hic uel ille maior aut minor: tota res incerta erit: & tamen uel unius corporis atq; animi similitudo, cũ Panætio facere uidebitur. Medici quidem disputant, à materia uel paterna uel materna uberiore pendêre fœtuum similitudinem. Astrologi uerò non solam materiam spectant, sed etiam horoscopos, & uim cœlestem, materiæ informatricem: unde fiat, ut pueri neq; corporibus neq; animis parẽtes maiores'ue suos referant. Cæterùm Iulia, Cæsaris Augusti filia, impudica mulier: ab amatore quodã interrogata, qui fieret, ut, ĩ tãta licẽtia uitæ, liberos Agrippæ marito similes páreret? Respondit, se uectorẽ nõ admittere, nisi naui plena. Sed medici mot⁹ animorũ muliebriũ ẽt, causãtur ĩ similitudine formarũ: et q̃ signa pueris ĩprĩat grauidarũ appetit⁹, nemo ignorat: et ego ipse unũ ĩ sinistro femore gesto:

Panætius uidetur Ciceroni facilè fuisse responsurus.

etiam strabus factus altero oculo, ex imitatione iocosa strabæ ancillæ, dum puer essem.

CCLV. SENTENTIA.

Mortem, etiam intereuntib. animis, non esse malum, docere, Ciceroni potissimum fuit propositum.

Sed quid agimus? obliti ne sumus, hoc nũc nobis esse propositum: cùm satis de æternitate dixissemus: ne si interirẽt quidem animi, quicquã mali esse in morte?

EXPLICATIO.

Ἀποδιώξει *hac prolixioris confutationis, significat, ut & suprà sæpius, immortalitatem esse* πάρεργον καὶ προσθήκην καὶ παρέκβασιν *huius disputationis:* τὸ ἔργον καὶ τὸ ὑποκείμενον καὶ προηγούμενον *: mortem nõ esse malum, etiamsi animum extinguat. Quæ sententia uera utique est, si pessum it animus unà cum corpore. Falsam autem esse eam opinionem sacræ literæ euidentissimè testantur: nec immortalitatem animorum tantùm, sed corporum etiam resurrectionem & pijs pollicentur, & impijs minitantur: quòd illi perpetuò beati: hi uerò miserrimi sint futuri. Sed hac de re cùm initiò satis dictum sit: nihil est, cur eadem nunc repetamus. Nam si mors tollit omnem & corporis & animi sensum: certè mortui, qui nihil sentiant, non possunt esse miseri.*

CCLVI.

.CCLVI. SENTENTIA.

A. Ego uerò memineram. Sed te de æternitate dicentem, aberrare à propoſito facilè patiebar. Digreſsiones iucũdę facilè audiuntur.

EXPLICATIO.

Digreſsiones gratæ & iucundæ auditoribus, æquioribus animis accipiũtur. τὸ γὰρ πρὸς χάριν λεγόμενον, προσοχὴν ἐργάζεται. *(Nam quod ad gratiam dicitur, attentos facit.)*

CCLVII. SENTENTIA.

M. Video te alta ſpectare: & uelle in cœlum migrare: ſperoq́; fore, ut contingat id nobis. Sed fac (ut iſti uolunt) animos non remanere poſt mortem: uideo nos, ſi ita ſit, priuari ſpe beatioris uitæ. Mali uerò quid affert iſta ſententia? Fac animum ſic interire ut corpus: num igitur aliquis dolor, aut omnino poſt mortem ſenſus in corpore eſt? Nemo id quidem dicit: etſi Democritum inſimulat Epicureus: Democritici negant. Ne in animo quidem igitur ſenſus remanet: ipſe enim nuſquam eſt. Vbi igitur malum eſt, quoniam nihil tertium? Generoſa indoles uult in cœlum migrare.

EXPLICATIO.

Omnes quidem in cœlum migrare uolumus:

Vitã quidẽ cœleſtẽ expetimus: ſed ea, quæ ad illã açquirẽdam requirũtur non præſtamus.

mus: ſed pauci alta ſpectamus: pauci agimus pœnitentiam: in paucis eſt fides, ſpes, charitas: multi quæſtui & ambitioni ſtudemus: plerique prauis affectibus & uoluptatibus indulgemus: φιλήδονοι μᾶλλον ὄντες (ut D. Paulus ait) ἢ φιλόθεοι (uoluptatis quã Dei amãtiores.) Quotus enim quisq; eſt, qui ſuã ciuitatem in cœlo eſſe putet? qui Deũ diligere ſuper omnia: alterũ uerò ſicut ſeipſum ſtudeat? qui diſſolui cupiat, & eſſe cũ Chriſto? Atqui tales affectus uera fides ſi non perficit, ſaltem inchoat. Quò magis uerendum eſt, ne plerių, cùm fidẽ iactemus maximè, deq; ea digladiemur: à fide abſim⁹ longißimè. Quòd ſi & uita noſtra corrupta eſt (ut eſt proh dolor, corruptißima) & fides, ſi non planè mortua: certè languidißima: etiã atq; etiã uidẽdum eſt: ne & fruſtra uelimus: & longè aliò migremus. Quò magis & diuini uerbi meditatio, & Spiritus ſancti petitio, ut Deus cor mundũ creet in nobis, & ſpiritũ rectũ innouet in uiſceribus noſtris, eſt neceſſaria. Piorũ quidẽ & cordatorum hominum: quos & culpa & pœna ſolicitat: ſpes iſta migrandi in cœlum, in tot & priuatis & publicis tum uitiis tum miſeriis, unicũ eſt ſolatiũ: & tanquã portus, eminus apparẽs, dũ in hoc tẽpeſtuoſo uitæ pelago iactantur. CCLVIII.

CCLVIII. SENTENTIA.

Post mortem si quis dolor est: aut in animo est, aut in corpore. Sed in neutro est: cùm utrunque extinctum sit, & omnis sensus expers. Ergo nullus dolor est post mortem: & per consequens ne mali quidem quicquam est in morte.

Epicurea ψυχοκτονία terrorem mortis nō tollit: cum falsa sit.

EXPLICATIO.

Assumptionem, quæ Epicurea hypothesi nititur mortalitatis animorũ, negat (ut notum est) & nostra religio, & Platonica philosophia. Non ergo malè sibi conscijs (quis autem est omnium, quin & plurima pœnitenda commiserit, & facienda prætermiserit?) ullam consolationem affert ista ratiocinatio: nisi & pœnitentiam matùrè agant: & Dei misericordiam, peccatoribus pœnitentiã agentibus promissam, uera fide amplectãtur.

CCLIX. SENTENTIA.

An quoniã ipse animi discessus à corpore, non fit sine dolore? (mors malum est.) Vt credam itã esse, quàm est id exiguum? & falsum esse arbitror: & fit plerunque sine sensu, nonnunquam etiã cum uoluptate: totumque leue est, qualecunque est: fit enim ad punctum temporis.

In ipso discessu animi uel nullũ uel exiguũ esse dolorem.

EXPLICATIO.

Primum concesſione utitur, & extenuatione. Deinde inficiatiõe, ſed modeſta et Academica. Deniq; affirmatione & inuerſione: extenuationemq; repetit, addita ætiologia à breuitate temporis. Sed uideamus ſingulas particulas. 1. Mors fit plerunq; ſine ſenſu. Rectè. Nam ſenſum omnem adimit: ſed προαγῶνες *& uiæ ad mortem ſunt cum acerbiſſimo ſenſu. Phthiſici & lethargici & decrepiti ſenes, & alij diuturnis morbis exhauſti, uidentur deficere tanquam lucerna oleo deficiente. Sed hæc Cicero potius explicet, qui in Catone ſic ſcribit: Quid eſt tam ſecundum naturam, quàm ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, aduerſante & repugnante natura. Itaq; adoleſcentes ſic mori mihi uidentur, ut cùm aquæ multitudine uis flammæ opprimitur: ſenes autẽ, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita ui, conſumptus ignis extinguitur, & quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſint, ui auelluntur: ſi matura & cocta decidunt: ſic uitam adoleſcẽtibus uis aufert: ſenibus maturitas. 2. Nonnunquam etiam cum uolũptate. Plato ſcribens mortuus eſt: Philemon Comicus ridens, cũm aſinum ficus comedentem uidiſſet. Sophocles gaudio uicto ria*

1. Via ad mortẽ, eſt dolorifica.

2. Mors cũ uoluptate.

ria expiraſſe ſcribitur: ut & nonnulli ob ſubitum ſuorum conſpectum, quos occubuiſſe crediderant. Commemorat Plinius, qui in Venere obierint: & ipſe Cicero, qui dormientes: nec noſtræ ætati talia exempla deſunt. 3. Totumq́ leue eſt, qualecunq; eſt. Siue, inquit, cum dolore fiat, ſiue ſine ſenſu, ſiue cum uoluptate, parui æſtimandum eſt. 4. Fit enim ad punctum temporis. Hinc illud Epicuri: Dolor ſi magnus, breuis: ſi diuturnus, leuis. Ac uerum eſt, ipſam mortem eſſe breuiſſimam: unde & ſancti martyres unam malam horulã mortis, æternæ uitæ ſpe, magno animo ſuperandam cenſuerunt: & Prodicus diſputauit, eam neq; ad uiuentes pertinere, quos nõdum attigerit: neq; ad mortuos, qui nulli ſint. Sed exiguæ orationis prolixa ſunt ſæpe proœmia. Carnificinæ pleræq; acerbiſſimum habent ſenſum, ut rota, combuſtio, decollatio: cùm, etiã capite amputato, reliqua mẽbra ſentiant, & quidem cum dolore, ut Cardanus (fortaſſis à filij ſui Manibus edoctus) diſputat, & multi per totum triduum ψυχοῤῥαγοῦσιν, anima quærente exitum, nec inueniente. Sunt & in partu morientium grauiſſimi utiq; & corporum & animorum dolores. Sed hæc non ipſius eſſe mortis, ſed eorum quæ mortem antecedant,

3. Leuitas mortis.

4. Breuitas mortis.

cedant, forsan aliquis dixerit: Mihi uerò cũ ea esse coniunctissima uidentur, καὶ συμβεβηκότα ἀχώριστα. Mors igitur & ob hoc ipsum quòd animi discessus à corpore, non fit sine dolore: malum est: & ob ea, quæ antecedere solent, morbos, dolores, cruciatus corporis, animi angores, ignominiã (in morte præsertim uiolenta & publica) & ob eã quæ consequi & potest & solet (nisi Dei clementia maior fuerit peccatis nostris) æternam condemnationẽ. Sed Cicero hæc partim negat, quæ de dolore mortis obijciũtur: partim à modo & tempore extenuat, ῥηιοερικωτέρως ἢ ἀληθεστέρως: & mortis genera mollissima proponit, asperrimis dissimulatis: quæ tamen & ipsa extenuat. Leuissimam porrò mortem & optimam censuit C. Iulius Cæsar inopinatam: qua quidem non leniter, sed tribus & uiginti uulneribus confossus interiit: alij λειποθυμίαν, submersionem, suffocationem, aut apoplexiam præferunt. Sed haud dubiè optima mors est, in uera Dei fiducia (utcunque cætera sint). spiritum suo conditori committere & reddere.

Mors & ob antecedentia, & ob consequentia, plerisq; est formidabilis.

Mortes leuissimæ.

Mors optima.

CCLX. SENTENTIA.

Illud angit, uel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quæ bona sunt in

uita.

uita. Vide ne à malis, dici uerius possit.

EXPLICATIO.

Sic & in secunda Tusculana auditor ait: Etsi mihi conscius sum, nunquam me nimis cupidum fuisse uitæ: tamen obijciebatur, interdum animo metus quidam, & dolor, cogitanti, fore aliquẽ finẽ huius lucis, & amissionem omnium uitæ commodorum. Homini rectè ualenti, opibus, liberis, honoribus, amicis, ingenio, doctrina, eloquentia, uirtute ciuili, & gloria florenti, aut saltem tragicorũ casuum experti, mediocriterq́ fortunato: peracerba est sanè mortis memoria: nisi & res humanas despicere, & diuinas admirari ac desiderare didicerit. Sed horũ plerosq́ inuenias, qui aut cogitẽt, aut etiam inconsideratè effutiant, se uita cœlesti æquo animo carituros, si hac terrena uita frui perpetuò liceret. Tantum frigus fidei est in animis multorum, diuitum præsertim: de quibus tristia extant in sacris literis elogia: non quòd diuitiæ per se malæ sint, sed quòd plerique iis abutantur. Quin & Cicero pronunciat, difficile esse eum uirtutem reuereri, qui perpetuò secunda fortuna usus fuerit. Cordatis autem hominibus in eo studio ab ineunte ætate, cùm nulli ætati mors parcat, ela-

Omnium uitæ cõmodorũ amissio, angit morientiũ animos.

Cœlestis patriæ desiderio maturè incendendus est animus.

elaborandum est, ut cœlestem patriam desiderent. Nam uitæ quidem tantus amor, tantus item mortis horror, est plerisq; mortaliũ insitus, ut nec decrepiti senes, nec mutilati & morbosi mendici, mortem magnopere optẽt: ac potius deprecẽtur, & differant quoad possunt, illud Pheretis cogitantes: ὀλίγον μὲν τὸ ζῶ, φίλον ἦ. *(etsi parũm uitæ restat, tamẽ id ipsum amo) Cicero autẽ primũm negat magna aut plura esse uitæ bona quã mala. Deinde paucos ait esse perpetuò felices: & plerosq; ex iis, qui felices habeantur, progressu temporis fieri miserrimos, illustribus exemplis ostendit: ut & Iuuenalis Satyra decima. Nostro quidem seculo, res & publicæ & priuatæ plurimorum, eo loco sunt: ut plura mala timenda esse, quàm bona speranda uideãtur. Quare adolescentes, quamuis omni fungentes officio, nõ tam bona spe inflati, quàm patientia Christiana muniti esse debent: & singulis momentis parati, ad æquo animo discedendum è uita: pro sua sapientia, cogitantes difficilima, ferentes quæcunq; erũt. Nam sperare optima, cõtinuata quadam serie, nũc pestilentia, nunc caritate annonæ & fame, nunc bellis grassantibus, nunc omnibus his, uelut conspiratione quadam inter se coniunctis,*

Vitæ continentes miseriæ, spem adolescentiæ parum bonam faciunt.

ctis, prudentes uix audent. Teneatur tamen interim illud Horatij:

Inter spem, curamq́, timores inter & iras:
Omnem crede diem tibi diluxisse supremũ:
Grata superueniet, quæ nõ sperabitur, hora.
Itemq́ illud Hesiodi:

Ἀλλ' ἔμπης καὶ τοῖσι μεμίξεται ἐσθλὰ κακοῖσι.

Sed tamen hisce malis bona forsan iuncta uigebunt.

CCLXI. SENTENTIA.

Quid ego nunc lugeam uitam hominum? uere & iure possum.

EXPLICATIO.

Flagitia & scelera tam lugenda nobis quàm luenda sunt, uel in hac, uel in altera uita: ac potius in utraque, si cuius ingenium insanabile est. Neque enim (ut prouerbio dicitur) ullum benefactum præmio, malefactum supplicio caret: & præclarè scripsit Euripides: Flagitia & scelera, & lugenda & luẽda sunt omnibus.

Εἱμαρμένον γὰρ τῶν κακῶν βουλευμάτων
Κακὰς ἀμοιβάς ἐστι καρποῦσθαι βροτοῖς,

(Sic fato constitutum est, ut mortales improborum consiliorum (sub his etiam facta continentur) malos fructus percipiant.) Nemo est, qui non multis incommodis, aut etiam

infortuniis conflictetur. Ac molestias quidem sentimus: causas verò earum non expendimus. Sed prudentis hominis est, quandocunque acerbi aliquid ei accidit, statim memoria repetere cum naturæ suæ prauitatem, tum peccata & delicta sua, ueniámque à Deo petere: & quantum possit, Spiritus sancti auxilio implorato, cauere, ne posthac in similem fraudem maiorémque calamitatem incidat. Omnino bonis & piis animis (ut antè dixi) causæ pœnarum, id est, peccata & delicta maiorem faciunt dolorem, quàm & publicæ & priuatæ calamitates. Sed ad Ciceronem redeamus: qui in Catone simili ἀποδιώξει utens, Non libet, inquit, mihi deplorare uitam, quod multi & hi docti sæpe fecerunt.

CCLXII. SENTENTIA.

Sed quid necesse est, cùm id agam, nè pòst mortem miseros nos putemus forè: uitam etiam efficere deplorando miseriorem?

EXPLICATIO.

Vigilandū. Sperandū. Tolerādū. *Et agnoscenda est uitæ miseria: & magnitudine animi desperatio reprimenda: & spe finis, id est, expectatione diuini auxilij, dura ferenda: & si quid inter hæc boni offertur,*

eo gratis animis modesteq́ fruendum : & officio fungentibus solicitudo in Deum reijcienda. ἀρκετὸν γὰρ τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς (Vnusquisque dies satis malorum secum affert, etiamsi homo ea non cumulet inani solicitudine) Huc pertinet Epicteti dictum, cui philosophiæ summam inclusisse dicitur, ἀνέχου καὶ ἀπέχου (Tolerato malum, & abstineto turpi uoluptate, omniq́ flagitio & scelere) Consimile est & Euripidis dictum, & penè melius: οἰστέον κἀλπιστέον (Tolerantia & abstinentia cum spe bona coniungi debet.)

CCLXIII. SENTENTIA.

Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmetipsos, quantum potuimus consolati sumus.

EXPLICATIO.

Et quidem, ut disciplina (quod nostrate prouerbio dicitur) cuiusq́ propria, sic & consolatio est optima. Sed neutra harum, sine erudita pietate, uera esse potest. Orandum igitur & laborandum. Vsus est hoc loco Cicero, ut dixi, ἀποδιώξει. Habuit enim occasionem digrediendi in deplorationem miseriæ humanæ, & extenuationem uitæ commodorum. Sed eum locum prætermittit, cùm ut superuacaneum

 (etsi

Cardani consolatio pro Ciceroniana.

(etsi nos illius Consolatione amissa, Cardanum de rebus aduersis æquo animo ferendis, nunc illius loco legere possumus) tum ut cum instituto pugnantem. Obiter hic discrimen ἀποδιώξεως καὶ παραλείψεως notetur. Hæc enim διαβολὴν habet τοῦ ἀντιδίκου, id est, aduersarium criminatur: καὶ αὔξησιν τοῦ ἐγκλήματος, & crimen amplificat. Illa uerò commemoratione supersedet rerum uel alio loco tractandarum, ac tum habet ἀναβολὴν, id est, prorogationem: uel ut cum instituto pugnantium, aut certè nihil ad id pertinentium.

Παράλειψις.

Ἀποδίωξις.

CCLXIIII. SENTENTIA.

A malis igitur mors abducit, non à bonis: uerum si quærimus. Hoc quidem à Cyrenaico Hegesia sic copiosè disputatur, ut is à rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quòd multi his auditis, mortem sibi ipsi consciscerent.

EXPLICATIO.

In miseriis parendum est diuinæ uoluntati.

Quantacunque & qualiacunque mala illa sint, ferenda sunt: & existimãdum, quia diuina uoluntas ita ferat, etiam miserrimis expedire uiuere. Sceleratos quidem & impios ne natos quidem esse, præstitisse, Christus ipse

ipse affirmat. Sed hic se abyssus arcanorũ æternitatis aperit. Quare manum de tabula.

CCLXV. SENTENTIA.

A' malis mortem abducere, non à bonis, à Cyrenaico Hegesia sic copiosè disputatur: ut is à rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere.

EXPLICATIO.

Ποιη̃ λελασίαν *Plato in sua illa republica instituit: nec poetas in ea ferre uoluit, quòd uel exemplis, uel sententiis impiis & flagitiosis, mores bene constitutæ Reipublicæ corrumpere uiderentur. At nunc, bone Deus, quanta est licentia eorum, qui & in templis quiduis dicere, & nihil nõ chartis illinere audẽt? Talibus libellis excudendis & incudes typographorum resonant, & turbulentis clamoribus tam sacri quàm priuati parietes penè rumpuntur. Prudentiæ uerò & modestiæ, & ueræ pietati parum loci est: & pastorum ingeniis ouium mores respondent. Interim ueteres autores iacent, quòd paucos emptores, etsi prostent, inueniunt. Sed nos in hoc seculum incidimus, quod corrigi à nemine potest, finiri potest, & quidem (ut spes est) breui finietur, appropinquante iusto Dei iudicio.*

Licẽtia scriptorũ & oratorũ nostri seculi.

Oenopolæ & pistores maximi sunt ueneſici,

Magiſtratus enim, etiam ſapientiſsimi & optimi, ad multa conniuere coguntur, quæ nõ pauciores interimunt, ac potius infinito plures, quàm olim Hegeſiæ oratio. Ac (ut de aliis taceamus) piſtorum & œnopolarum quanta carnificina eſt? quorũ alteri panes non percoquunt, ut iuſtum pondus habere uideãtur. Sed quid fit? cruda illa maſſa in ſtomachis imbecillioribus in pituitã conuertitur & κακοχυμίαν gignit, omnium morborũ uberem materiam. Alteri, nõ aqua modò, impura ſæpè & fœtida, uina diluunt: ſed & ſulphure immodico & uarijs uenenis inficiũt. Vnde λιθίασις, arthritis, ardores inteſtinorũ, & alia infinita mala oriũtur, immaturæ morti aut bipatentes fores aperientia, aut uitæ omnem tollentia iucunditatẽ. Ita nefarij iſti nebulones & cõpilant emptorẽ adulterinis ſuis mercibus & ſanitate uitaq; ſpoliant, altiore cæteris furibus digni patibulo. Hæc ita in promptu ſunt, ut & oculis cernantur, & manibus palpentur: neq; tamen quiſquã eſt, qui prohibere aut uelit aut poſsit. Ac Maximilianus primus hoc interdixit: Ferdinandus primus iniquiſsimo animo tulit, uinum ad ſalutem hominibus datum, in eorum peſtem cõuerti. Sed plerique iubent diſcere cautius mercari.

Quis

Quis uerò satis cautus esse potest in tot impo sturis? aut quẽ tu delectũ agas ꝑbitatis inter lu_i inos catulos? Leuia hæc uulgus existimat: & sunt qui colorem uini saporemq́; facticiũ pluris faciant, quàm natiuam bonitatem. In causa fortaßis est, quòd pernicies illa non statim sentitur, sed paulatim serpit, donec ueneni sui uires palàm exerat. Sed & tum homines imperiti quiduis potius, quàm pestilentẽ istam uictus rationem, ac intemperiẽ aeris causantur. Ac uino abutentibus non fit iniuria. Sed istæ fraudes sobrios homines & studiis optimis deditos, & meliore ualetudine, uitáque longiore dignißimos, æquè conficiunt.

CCLXVI. SENTENTIA.

Multi uitæ malis ex Hegeſia Cyrenaico auditis, mortem ſibiipſi conſciuerũt.

EXPLICATIO.

De Epicureis minimè id mirum, nec prouidentiam diuinam, nec æternitatẽ animorũ credentibus. Cæteri nec satis prudenter, & parum iustè ac fortiter uincula illa carceris ruperunt: cũ non tanquã à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocati atq; emißi, exierint. Nemo sibi ipse uitam

 dedit,

dedit, nec in sua potestate quisquam est: expectandum est æquo & forti animo, dum is qui dedit, eandem repetat. Ac præclara est sententia Socratis, in Somnio his uerbis exposita: Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec iniussu eius, à quo ille est datus, ex hominum uita migrandum est: ne munus humanum, à Deo assignatum, defugisse uideantur. Αὐτόχειρες *autem* καὶ οἱ ἀποκαρτεροῦντες *(qui uel ferro, uel inedia, uel ueneno necem sibi consciscunt) periculum est, ne & hac uita se infeliciter priuent, & in malum mortis incidant sempiternum. Quod & Virgilius significat, cùm sic scribit:*

αὐτοχειρίαν & Virgilius, præter Platonicos, damnat.

Proxima deinde tenēt mœsti loca, q sibi lethū
Insontes peperere manu: lucemq; perosi,
Proiecere animas. Quā uellēt æthere in alto
Nunc et pauperiē, & duros perferre labores:
Fata obstant: tristiq; palus innabilis unda
Alligat: & nouies Styx interfusa coercet.

CCLXVII. SENTENTIA.

Callimachi quidem epigrāma in Ambraciotam Cleombrotum est: quem ait, cùm nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro. Eius autem, quem dixi, Hegesiæ liber

est ἀποκαρτερῶν (alij ἀποκαρτεροῦντος, alij ἀποκαρτερήσοντος: alij perquàm inepte, ἀποκαρτερώτατος. τὸ ἀποκαρτερεῖν Suidas exponit, ἑαυτὸν τοῦ βίου λιμῷ ἢ ἀγχόνῃ ἐξάγειν) quod à uita quidam per inediam discedens, reuocatur ab amicis: quibus respõdens uitæ humanæ enumerat incommoda. Possem id facere, etsi minus, quàm ille (καί τοι οὐκ ἐφ᾽ ὅσον ἐκεῖνος, ἀλλ᾽ ἧττον ἢ ἐλλειπόντως) qui omnino uiuere expedire nemini putat.

CCLXVIII. SENTENTIA.

Possem id facere: etsi minus (scilicet, copiosè) quàm ille, qui omnino uiuere expedire nemini putat.

EXPLICATIO.

Obiter & hic notetur, omnino nemini, *sicut paulò antè,* Quid *necesse est efficere: cohærere. Sæpè enim uerba, natura coniuncta, uel propter* εὐφωνίαν, *uel alia de causa longiusculè distrahuntur: eaq;* ὑπερβατὰ *siue traiectiones uerborum, minus attentos & imperitiores in errorem inducunt. Nolim tamen hic negare,* omnino uiuere, *quoq; iungi posse: ut sententia sit, totam uitam esse perniciosam. Sententia enim manet eadem. Sed ad*

Traiectiones uerborum sunt obseruandæ.

Vitæ mala sunt à multis deplorata.

rem: uitæ incommoda etiam ante Hegesiam, ab Homero, Hesiodo, Axiocho, & multis alijs fuere deplorata. Sacræ uerò literæ eorum etiã causas, ut contemptum Dei mandatum, & horrenda exempla, ut diluuiũ, & conflagrationem Sodomorum, & excidia gentis Israëliticæ, proponunt: ut & historia Ecclesiastica. In uerbis ETSI MINVS QVAM ILLE, *uel modesta ironia est, se non ea esse eloquentia, qua ad mortem quenquam adigat.*

Modesta ironia Ciceronis.

(Nam quid est tam inhumanum, quàm eloquentiam à Natura ad salutem hominum et ad conseruationem datam, ad bonorũ pestem perniciemq́. conuertere?) uel correctio quædam, se miseram quidem iudicare uitam: nõ adeò tamẽ, ut uita sit prorsus auersanda. Huius porrò Hegesiæ dictionem, ut asperrimam & molestissimam, exagitat Dionysius Halicarnasseus. Vnde suspicari possis, eum ab aliquibus falsè πεισιθάνατον fuisse cognominatũ, quòd eius oratio esset morte acerbior.

CCLXIX. SENTENTIA.

Omitto (Mitto) alios. Etiam'ne nobis expedit? qui & domesticis & forensibus solatijs ornamentisq́; priuati: certè, si antè occidissemus (alij obissem⁹) mors nos à malis, non à bonis abstraxisset.

E X-

EXPLICATIO.

Hîc se Stoicum esse obliuiscitur Cicero, hominem esse meminit: cùm solatia & ornamẽta in bonis, horumq́ contraria in malis numeret, μηδὲν φροντίσας τῶν προηγμένων καὶ ἀποπροηγμένων. (Neq; curat uerba illa Stoicorum: qui res corporis & fortunæ non bona et mala, sed prælata & postposita uocabant.) Domestica autem solatia intelligantur, Terentia uxor parùm fida, eaq́ de causa repudiata, ut & altera uxor: quòd morte Tulliolæ filiæ gaudere uisa fuisset: charissima filia mortua: Marcus filius minus frugi: Quintus frater capitali penè odio ab eo dissidens. Forensia autem ornamenta nominat, consularem in gerẽda Republica dignitatem, patrocinia iudiciorum, in quibus regnare dicebatur, atq; ipse regnum forẽse appellat defensiones suas: & autoritas publicè priuatimq́ maxima. Forensia enim nõ tantum iudicialia significat: sed ea etiam, quæ extra priuatas ædes & in publico geruntur: & apud Suetonium forensia dicũtur togæ, quibus in foro & extra ædes Romani uterentur.

Cicero se meminit esse hominem.

Sôlatia domestica.

Forẽsia ornamenta.

CCLXX. SENTENTIA.

Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum à fortuna uulnus acceperit.

Metel-

Fortuna potestatē in omnib⁹ habet: non in omnib. utitur.

Metellus ille honoratus quatuor filijs: at quinquaginta Priamus: è quibus decem & septem (nouem) iusta uxore nati. In utroque eandem habuit fortuna potestatem: sed usa in altero est. Metellum enim multi filij, filiæ, nepotes, neptes, in rogum imposuerunt.

EXPLICATIO.

Sententia est: quæ acciderint Priamo, etiam Metello accidere potuisse: ut Græcus habet Senarius:

Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ζῶντα τοῦτ' οὐ πείσομαι.

(quoad homo uiuit, nequit dicere: Hoc mihi non eueniet) nec accidisse tamen. Itaque & huius felicitas, & Πριάμου κακὰ, *in prouerbiū abierunt, & inter insignia exempla memorantur. Nec enim in omnibus & publicis & priuatis historijs facilè quisquam reperietur, qui nihil mali habuerit: nullum à fortuna uulnus acceperit. Itaque philosophus quidam Arsinoën reginam obitum mariti perpetuò deplorantem, inquirere iussit, num familia quæpiam, uel priuata uel regia, luctus & mœroris expers inueniretur?*

CCLXXI. SENTENTIA.

Priamum autem tanta progenie orbatum,

batum, cùm in aram confugiſſet, hoſtilis manus interemit.

Homerus. Ε'ννέα δ' δί-χα μέν μοι ἦς ἐκ νηδύος ἦσαν.

EXPLICATIO.

Inſigne inconſtantis Fortunæ exemplum: Quæ cùm leuis ſit (ut ſcribit Mimographus) citò repoſcit quod dedit: ac potius, quia citò repoſcit quod dedit, leuis eſt. Virgilius autem Priami cædem hoc planè tragico epiphonemate concludit:

Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit: Troiā incēſam et prolapſa uidētē,
Pergama: tot quondā populis terriſq; ſuperbū
Regnatorem Aſiæ. Iacet ingens littore trūcus
Auulſumq; humeris caput, & ſine noīe corp⁹:

Vbi poëta haud obſcurè ad Pompeij Magni interitum alluſit: qui ab Achilla, regis Aegypti miniſtro, interfectus eſt, amputato etiam capite, quod Cæſari poſtea oblatum fuit, corpore inſepulto in littore abiecto.

Virgilius Pompeij interitum Priami nomine deſcribit.

CCLXXII. SENTENTIA.

Hic ſi uiuis filijs, incolumi regno occidiſſet,
Aſtante ope barbarica:
Tectis cælatis, laqueatis:
utrum tandem à bonis, an à malis diſceſſiſſet? tum profectò uideretur à bonis. At certè ei melius eueniſſet, nec tam flebiliter illa canerentur,

Morte à bonis præſentibus, & malis impendentib. diſceditur.

Hæc omnia uidi inflammari,
Priamo ui uitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

Quasi uerò ista ui quicquam tum potuerit ei melius accidere. Quòd si antè occidisset, tum (tamen, alij talem, fortasse rectius) euentum omnino amisisset. Hoc autem tempore sensum malorũ amisit.

EXPLICATIO.

Amittere euentum, sensum.

Sententia est, tempestiua morte, quæ tum esse putatur, cùm est uiuere iucundissimum, cõplura mala euitari. Et sacræ literæ dicunt, colligi iustos, ne uideant mala. Amisisse *uidetur parùm propriè dici. Quis enim euentũ habet, priusquam euenerit? & quod non habeas, quomodo amittes? nempe ut Dialecticorũ cornua. Eo quidem tempore sensum malorum amisit: & calamitosæ uitæ, mortem, quamuis uiolentam, Cicero anteponit: & rectè quidem, si morte homo aut penitus deleretur, aut in meliorem locũ transiret. Sed grauissimum est & horrendum ex ærumnosa uita cadere in mortis malum sempiternum.*

CCLXXIII. SENTENTIA.

Pompeiana mala.

Pompeio nostro familiari cùm grauiter ægrotaret Neapoli, melius est factũ

coro-

coronati (ἐστεφανηφόρουν) Neapolitani fuerunt. Nimirum etiam Puteolani: uulgò ex oppidis publicè gratulabantur. Ineptum sanè negocium, & Græculum, sed tamen fortunatum. Vtrum igitur, si tum esset extinctus, à bonis rebus, an à malis discessisset? certè à miseris. Non enim cum socero bellum gessisset: non imparatus arma sumpsisset: non domum reliquisset: non ex Italia fugisset: non exercitu amisso nudus in seruorum ferrum & manus incidisset: non liberi defleti: non fortunæ omnes à uictoribus possiderentur. Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset: is propagatione uitæ quot, quantas, quàm incredibiles hausit calamitates?

EXPLICATIO.

Si ex animo ista fierent: signa essent iusti, clementis, & fortunati imperij, gratiq; ciuium animi. Nunc consuetudine & metu, adulationis patre, plerunque simulantur. Fortunatum autem dicere uidetur, non tam μακάριον, quàm μακαριστόν, id est, quod fortunatum uulgò putatur. Pompeiana mala ex eius uita Plutarchi & alijs historicis petantur. Fallacia signa honoris & amoris.

CCLXXIIII.

CCLXXIIII. SENTENTIA.

Prouidendũ, ne eueniat, quod euenire potest.

Hæc (multæ, magnæ & incredibiles calamitates) morte effugiuntur, etiamsi nõ euenerint: tamẽ quia posſũt euenire.

EXPLICATIO.

Ergo non tam præsentia commoda, uitæ amorem augere: quàm instantia mala, mortis metum minuere debent. Grauis est illa Aeneæ apud Virgilium exclamatio:

— O' terq; quaterq; beati
Quîs ante ora patrũ Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

In diuina uoluntate acquiescendum.

Christiano autem homini grauissima causa & discedendi è uita, & in uita manendi est VOLVNTAS DEI: *& præclarè præcipit Epictetus:* ὅτι δεῖ συγκατατάξασθαι ἑαυτὸν τῇ θείᾳ τῶν ἀνθρωπίνων διοικήσει *(hominem oportere acquiescere in diuina rerum humanarũ administratione: eundemq; quasi ordinem ultrò sequi.)*

CCLXXV. SENTENTIA.

Sed homines ea (Pompeiana mala) sibi accidere posse non cogitant: Metelli sperat sibi quisq; fortunam: perinde quasi aut plures fortunati sint quàm infelices!

felices: aut certi quicquā sit in rebus humanis: aut sperare sit prudentius quàm timere.

EXPLICATIO.

Perinde (*uel,* proinde) quasi, & quasi uerò, *particulæ, seruiunt ironicæ refutationi. Tria aūt ponit hic pronunciata, primum; plures esse infelices quàm fortunatos: alterū, nihil certi esse in rebus humanis: postremum; timere prudētius esse quàm sperare. Hæc amplam dicendi materiam suppeditare possent. Sed nos breuiter ea perstringamus. Et euentu & rationibus uana spes & securitas hominum coarguitur. Ac euentus, siue exempla calamitosorum, querelas nostras minuere debent: ne solos nos esse infelices putemus. Rationes autem monere, tum ne fortunæ fidentes uel in arrogantiam uel in negligentiam incidamus (etsi hæ plerunq; cōcurrunt) tum ut spem rebus aduersis, metum secundis opponamus, ꝓpter alternas fortunæ uices. In eandem sententiam canit Horatius:*

Tria pronunciata Ciceronis.

Euētus cōsolatur: rationes monent.

Incerti uitæ casus.

Sperat aduersis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus, &c.

Et Isocrates μηδενὶ, *inquit,* ξυμφορὰν ὀνειδίσῃς. κοινὴ γὰρ ἡ τύχη: καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον, *hoc*

est, Cicerone interprete, fortunæ dominatus per omnes peruagatur: nec quid sequatur sci ri potest. Euripides autem disputat, plura esse uitæ bona quàm mala: quòd alioqui uiui non posset. Et quidem rectè sentire uidetur. Sed nos queruli & morosissimus, plurimorum bonorum obliuiscentes, & pauca mala subinde exaggerantes: quasi uerò albæ gallinæ filij simus: omniaq́; diuina, quod aiũt, uirgula suppeditari nobis, & quicquid calcauerimus (ut Satyricus iocatur) rosæ fieri debeant. Quòd si ita est, plures etiam erunt fortunati quàm infelices: si mediocres fortunæ hominum & casus tolerabiles: non autem uel extrema miseria, uel amplissimæ opes spectentur. Quæ enim ciuitas est (calamitosissima tempora pestilentiæ, famis, seditionum, bellorum excipio) in qua non plures sint, qui habeant unde uiuant, quàm qui egeant? nõ plures qui mediocriter ualeant, quàm grauibus morbis cõflictentur? non plures qui rem familiarem tueantur, quàm qui bonis cedant? non plures qui in lectulo suo obdormiscant, quàm qui morte uiolenta intereant? Hæc satis sit commemorasse, ut grati erga Deum animi admoneamur, cum longè plura addi possent. Sed ad spem & metum redeo: etsi utrunq́; affectum æquè

Euripides disputat, plura esse uitę bona, quàm mala.

Plures fortunati, quã infelices.

eque uitiosum esse, Stoici contendunt: tamen metus ad prudentiam, spes ad magnitudinem animi propius uidetur precedere. Boetius autem, Stoicis assentiens, tranquillitatem animo suam constare posse negat, dum ullus in eo sit affectus. Quod quidem optari facilius, quàm sperari potest. Vtile tamen est, pro uirili perturbationibus obsistere, & quasi fores occludere. Versiculi eius sunt hi:

Metus, prudētię: spes, fortitudini coniunctior.

Vacuitati à perturbationib. studendum.

Tu quoque si uis	*Pelle timorem,*
Lumine claro	*Spemque fugato,*
Cernere uerum	*Nec dolor adsit.*
Tramite recto	*Nubila mens est*
Carpere callem:	*Vinctaque frenis*
Gaudia pelle,	*Hæc ubi regnant.*

CCLXXVI. SENTENTIA.

Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte priuari. Ergo etiam carere mortuos uitæ commodis? idque esse miserum? Certè ita dicant necesse est (ij qui mortem malum esse putant.) An potest is, qui non est, re ulla carere?

EXPLICATIO.

Videntur posteriora uerba ἀποδεικτικῶς accipienda, hoc modo: Si concedimus, carere

mortuos uitæ commodis: eosdem esse miseros, negare non possumus. Sed quia is qui non est, re nulla carere (quod est sentientis) potest: ne miser quidem esse potest: cùm tantus interitus in morte sit (si mortales animi sunt ex Epicuri sententia) ut ne minima quidem suspitio sensus relinquatur. Nec enim miser esse potest quisquam, sensu perempto, nihilò magis quam stipes aut saxum: quorum nihil interest, siue crementur et comminuantur: siue in Deorũ effigies formentur, & auro & gemmis ornentur.

Non sentienti nec bonũ, nec malum quicquam.

CCLXXVII. SENTENTIA.

Carẽdi significationes.

Triste enim est nomen ipsum carendi: quia subijcitur hæc uis: habuit, non habet: desiderat, requirit, indiget. Opinor hæc incommoda sunt carẽtis. Caret oculis: odiosa cæcitas: Liberis: orbitas. Valet hoc in uiuis. Mortuorum autem non uitæ modò commodis: sed ne uita quidẽ ipsa quisquã caret. De mortuis loquor, qui nulli sunt. Nos, qui sumus, num aut si cornibus caremus, aut pennis, sit qui id dixerit? certè nemo. Quid ita? quia cùm id non habeas, quod tibi nec usu, nec natura aptum sit: non careas, etiamsi

sentias

ſentias te non habere. Hoc premendum etiam atq; etiam eſt argumentum: confirmato illo, de quo (ſi mortales animi ſunt) dubitare non poſſumus, quin tantus interitus in morte ſit, ut ne minima quidē ſuſpitio ſenſus relinquatur. Hoc igitur probè ſtabilito & fixo: illud excutiendum eſt, ut ſciatur quid ſit carere, ne relinquatur aliquid erroris in uerbo. Carere igitur hoc ſignificat, egere eo, quod habere uelis. Ineſt enim uelle in carendo: niſi cùm ſic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione uerbi. Dicitur enim alio modo etiam carere: cùm aliquid non habeas, & non habere te ſentias, etiamſi id facilè patiare. Carere enim malo, id non dicitur: non enim eſſet dolendum: dicitur illud, bono carere, quod eſt malum. Sed ne uiuus quidem bono caret, ſi eo non indiget. ſed in uiuo intelligi tamen poteſt regno carere. Dici autem hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt: poſſet in Tarquinio, cùm regno eſſet expulſus: at in mortuo ne intelligi quidem poteſt. Carere enim, ſentientis eſt: nec ſenſus in mortuo eſt: ne carere quidem igitur in mortuo eſt.

EXPLICATIO.

E' philoso pho grammaticus.

Hic è philosopho Grammaticus fit Cicero: imitatione, ut opinor, Stoicorum, qui uerborum uim propriamq́ notionem studiosè exquisiuerunt: simulq́ declarat illud Dialecticum: ὅτι τὸ πεφυκέναι καὶ ἐσχηκέναι πρότερόν ἐστι τοῦ ἐστερῆσθαι καὶ ἀποβεβληκέναι *(prius esse, ut aliquid uel à natura uel industria partum habueris, quàm eo priueris, idq́ amittas) quo paralogismus de non amissis cornibus & mille talentis soluitur.* Cæterùm carere, *autore Cicerone,* κυρίως *(propriè) de bono, eoq́ aut naturali aut acquisito:* καταχρηστικῶς *uerò* καὶ κατ' ἀκυρολογίαν *de malo, aut de eo, quod nec habeas nec habere cures, dicitur. Hinc in Catone: Caret, inquit, senectus epulis extructisq́ mensis, & frequentibus poculis? Caret igitur uinolentia, & cruditate, & insomnijs (furialibus, ut loquitur Plinius.) Sic habere febrim, carere febri, etiam per inuersionem dici uidentur. Habetur enim potius ægrotus à febri, & febris caret homine: unde Plautus facetè, ut solet, febris te caruit? pro, caruisti ne febri? uel nunquid febris te deseruit?*

1. Caremus bono, κυρίως.

2. Carem⁹ malo καταχρηστικῶς.

CCLXXVIII. SENTENTIA.

Ne uiuus quidem bono caret: si eo nõ indiget.

EXPLICATIO.

Hinc Socrates, in maxima copia mercium & uarietate, exclamauit: quàm multis ego non indigeo? necessitate naturæ, non luxu & opinionis errore diuitias metiens. Contrà inexplebilis est cupiditatis sitis. In Catone, non caret, inquit, qui non desiderat. Ergo non desiderare, melius esse dico.

Dāda opera est, ut q paucissimis egeamus: quod fit, prauo appetitu moderando.

CCLXXIX. SENTENTIA.

Quanquam quid opus est in hoc philosophari? cùm rem non magnopere egere philosophia uideamus? quoties non modò ductores nostri: sed uniuersi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? quæ quidem si timeretur: non L. Brutus, arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in prælio concidisset: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruscis filius, etiã cum Pyrrho nepos, se hostium telis obiecissent: non uno bello pro patria cadentes (duos) Scipiones Hispania uidisset: Paulum & Geminum Cannæ: Venusia Marcellũ: Latini Albinũ: Lucani Gracchũ.

A'rationibus philosophicis trãsitus ad exempla.

EXPLICATIO.

Sentẽtia est: ubi exempla in promptu sint, quæ rem demonstrent: subtilibus rationibus

Rationes exemplis sunt declarandæ.

superſederi poſſe. Sed utraq; Cicero, ut & alÿ boni autores, prudenter eleganterq́; coniungit: diſputationes exemplis atq; autoritate ſimul & illuſtrando & comprobando.

CCLXXX. SENTENTIA.

Num quis horum (in bellis interfectorum) miſer hodie? Ne tum quidem poſt ſpiritum extremum. Nec enim poteſt miſer eſſe quiſquã, ſenſu perempto.

EXPLICATIO.

Peremptio ſenſus nulla eſt: cum Inferorum reſtent ſupplicia.

Aliter noſtri Theologi ſentiunt: non quidem propter uitæ iacturam: quæ (miſero præſertim) optabilior eſt quàm formidabilior: ſed ob pœnas Inferorũ: quarum tanta atrocitas deſcribitur, ut ſine horrore ne cogitari quidem poßint: et cogitari tamẽ perpetuò eas, eſt utile & neceſſariũ: quò magis turbulẽti affectus: unde omnis generis mala proficiſcũtur: reprimantur, diſſolutaq́; uitæ licentia, intra rectæ rationis, & Euangelicæ legis terminos (quantum naturæ fragilitas patitur) cohereceatur. Nam quæ de Inferis dicuntur, nõ ſunt poëtarum & pictorum portenta (etſi hi uerã narrationem mirabilibus commentis deprauarunt) ſed Prophetarum, Apoſtolorũ, & domini noſtri Ieſu Chriſti indubitata oracula.

Poetæ ueritatem figmentis corruperunt.

Quibus

Quibus qui fidem habere nolunt, seq; nescio qua uana spe ipsi iactant: eorum ueritatem (nisi resipuerint) suo malo, & quidem expectatione sua citius, experientur. Sed apage experientiam cum æternis cruciatibus coniunctam. Nam qui contra conscientiam scientes & uolentes, uel turpibus uoluptatibus indulgent, uel fraudibus & iniuriis alios uiolant, diuinaq; & humana iura contemnunt: ijs quid præsidij sit in diuina clementia repositum, equidem non uideo: & sera est multorum pœnitentia: atque adeò ne seria quidem. Malefacere enim desinunt, non quòd nolint, sed quòd iam non possint. Hæc maturè cogitanda sunt adolescentibus: quò conscientiam nullius flagitij & sceleris consciam tueantur: recteq; uiuere studeant, ut bene morientes ueram uitam adipiscantur. Cæterùm (ut ad Ciceronem redeam qui negat ullum mortuum esse miserum) etiam scholastici doctores superiori ætate pronunciarunt, omnes bonos uiros, qui uitam honestè prudenterq; instituerint, in sua quosq; lege, felicitatis factos esse compotes: Patriarchas & Ethnicos, lege naturæ, Iudæos, Mosaica, Christiana Christianos: mirum est, eos nõ addidisse, Mahometana Turcos. Cogitarunt

Iis, qui suis libidinib. indulgent, nihil est præsidij in diuina clementia.

illi ſcilicet, tantam ſæuitiam non cadere in Deum, ut præſtans hoc animal, & mentis rationiſq; capax (ut Cicero loquitur) poſtquã omnes uitæ labores & ærumnas exantlaſſet, in malum mortis incideret ſempiternum: præſertim cùm è millies millibus uix unus atque alter reperiatur, qui uitam nedum legi diuinæ, ſed uel naturali agat conſentaneam. Cogitatio hæc animis humanis ualde allubeſcit. Sed D. Petrus diſertè pronunciat: nõ aliud eſſe nomen ſub cælo, quàm Ieſu Chriſti, per quod homines ſeruari oporteat. Hoc nos tenentes, & conſideratione hac dies noctesq; occupati: quomodo cum iis, qui doctrinam Euangelicam ignorarunt, et adhuc ignorãt, actum agendumq; ſit, diuinæ prouidentiæ et clemẽtiæ committamus: ſine qua nec ipſi ullo momento conſiſtere poſſumus.

Πανθειοσία religionũ & beatæ uitæ, pugnat cum ſcriptura ſacra.

CCLXXXI. SENTENTIA.

A. At id ipſum odioſum eſt, ſine ſenſu eſſe. M. Odioſum, ſi id eſſet carere. Cùm uerò perſpicuum ſit, nihil poſſe in eo eſſe, qui ipſe non ſit: quid poteſt eſſe in eo odioſum, qui nec careat, nec ſentiat?

EXPLICATIO.

Proſpicere ſe fore ſine ſenſu, eſt odioſum.

Non tam eſſe ſine ſenſu, quàm proſpicere,

fore,

fore, ut sensum omnem amittas, uiuenti est odiosum: si præsertim reputet, quàm præclara res sit, mentis & sensuum integritas, & iucundissimæ lucis aspectus. Itaq; apud Platonem disputatur: magis esse consentaneum, iniquo animo uiros bonos & sapientes mori, quàm stultos & improbos: propterea quòd hi res pessimas, uacordiam & scelera amittant: illi uerò iacturam earum rerum facere uideantur, quibus nihil est neque præstabilius neque optabilius, uirtutis & sapientiæ. Atque hæc non scribuntur è sententia Platonis: qui in morte summum hominis bonum esse positum, multis locis affirmat: sed è uulgari opinione. Et tamen etiam eruditis uiris cogitatiões hæ nõnihil aliquãdo negocij facessunt: quid me dies noctesq; doctrina comparanda fatigo? quorsum attinet tot labores capere, tot molestias & tanta pericula subire propter officij conseruationẽ? cùm hæc omnia paulò momento in nihilum recasura sint: & nec mihi nec aliis quicquã fructus allatura. Hinc est celebrata illa Theophrasti querela. Sed cogitandum est, uirtutem & sapientiam nequaquam interituras sed multò ampliores & perfectiores futuras esse post obitũ. Qui si sensum oẽm tolleret: ne

Stultis & improbis maior est causa moriendi, quàm uiris bonis & sapienti bus.

Virtus & sapientia non intereunt.

tum

tum quidem quicquam haberet dolendum: cùm perspicuum sit (ut noster autor præclarè dicit) nihil in eo esse posse, qui ipse non sit: qui nec careat, nec sentiat?

CCLXXXII. SENTENTIA.

Eadē cantilena, repetita sæpius.

Quanquam hoc quidem nimis sæpe, sed hoc ideò, quòd in hoc (sensu doloris post obitum, id est, quòd homines cogitant, se quanta bona amiserint, quantis in malis uensentur, sensuros esse) inest omnis animi contractio ex metu mortis (id est, animi humani nec metuerēt mortem, nec dolerent, si absque hac opinione esset.)

EXLPICATIO.

Fides, animi contractionem tollit.

Et quidem metus iste animiq; contractio iustissima est in hominibus impiis, eademq; miserrima: quòd in æternum sunt cruciādi. Pij autem illam contractionem non morte animi, ut Epicurei: sed uita animi, qui est Iesus Christus, debent depellere.

CCLXXXIII. SENTENTIA.

Animal factū nihil, nihili facit omnia.

Qui enim satis uiderit (id quod est luce clarius) animo & corpore cōsumpto, totoq; animante deleto, & facto interitu uniuer-

uniuerso: illud animal, quod fuerit, factũ esse nihil: is planè perspiciet, inter hippocentaurum, qui nunquam fuerit, & regem Agamemnonẽ, nihil interesse: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc ciuile bellũ, quàm illo uiuo ego (Cicero) fecerim Romam captam.

EXPLICATIO.

Luculenta est hæc descriptio τῆς ψυχοκλονίας (nam Epicurei animos quasi capite damnatos, morte mulctãt) quæ si uera esset, quid magis retundere posset humanam superbiã, in tãtà uitæ breuitate & morte sempiterna? Atque adeò ne sic quidem, cùm animi immortales sint, ulla efferendi sese causa uel impiis uel piis relinquitur: quòd alteri non suapte dignitatẽ, sed clementia diuina beati futuri sunt: alteri suo merito suáq; culpa pessimè perituri: & sic quidem, ut sensum acerbissimorum dolorum ne in morte quidem sint amissuri. Quàm uerò præclara est ista comparatio, ac potius extenuatio & depreßio quãta fieri potest maxima? Apud Homerum magnificus est uersus

Et mortalitas & immortalitas retundere debent superbiam.

Ἥρως ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων

Heros Atrides latè imperitans Agamemnon.

Hunc

Hunc igitur tantum regem Cicero turpiſsimo monſtro, eiq́; uulgi fabula conficto, comparat. Sic apud Lucianum in mortuorum dialogis, cùm Diogenes Helenæ et Nirei capita ſibi monſtrari cuperet: uidet ea nihil à caluis Therſitis & Aeſopi differre. Itaque miratur & Græcorum & Troianorum inſaniam, qui propter tam deforme cadauer tot annos dimicarint, & Aſiam atque Europam cædibus & incendiis miſcuerint. Venit hoc loco in mentem Emblematis cuiuſdam: quod habet diadema pontificium, Cæſareū, & Regium (ego etiam caluam adderem) adiunctumq́; aratrum, cum hac inſcriptione: MORTE AEQVAMVR: *quæ æqualitas propediem futura, homines pauperes, miſeros, contemptos non parùm conſolari debet: eóque magis, quòd etiam dum uiuunt, ex ſemiſſe potentiſsimis regibus aut pares ſint aut etiam feliciores. Nam & æquè ſuauiter dormiunt, & ſomniis ſæpè iucundioribus fruuntur. At ea æqualitas, ſi ad corpora uetuſtate conſumpta, referatur, uera eſt: nec in cœmeterio Nireus (ut dixi) à Therſite dignoſcitur. Sed animorum è corporibus exeuntium, maximum eſſe diſcrimen, etiam Platonici tradiderunt: nec minus diſcrimē erit*

Oſſa formoſorum & deformium æquè fœda.

Emblema æqualitatē defunctorum depingens.

Mortis æqualitas & ἰσοτιμία cō ſoletur pauperes.

cor-

corporũ resurgentiũ, et pius pauper etiã spem æternæ uitæ maiorẽ habet, quã Epicureus & uiolentus diues. Verùm ne sic quidem (repetendum enim hoc est, ut omnes se cognoscere discant) piis & beatis ulla de se gloriãdi causa uel est uel erit: sed summa & necessitas & uoluntas diuinæ clementiæ celebrandæ: qua & sunt & erunt, quicquid & sunt & erunt: per sese æquè damnati, atque impij: sed Iesu Christo intercessore liberati, æternáque uita donati. Cæterùm ἀφϱοντισία *eorum, qui & nondum nati sunt, & post obitum sensu omni orbati (si in hoc Epicurus rectè sentiret) par omnino fuerit. Vtrum autem Manes ea quæ hic geruntur, & sentiant & curent: an uerò maioribus siue bonis siue malis occupati, suum utrique negocium agant: alteri beatitate sua lætantes: alteri miseriam lamentantes: & olim fuit dubitatum, & hodie quoque est controuersum: cùm & herorum ueterum & diuorum nostratium spectra,* διὰ τὴν τοῦ μυϱοτέχνου τοῦ ἄρχοντος τούτου τοῦ κόσμου πανουργίαν, *multis suspecta sint. Sunt & portentosæ magorum præstigiæ, carminibus suis & cerimoniis Manes (ut profitentur) & simulacra olim mortuorum, tanquam uiuentia corpora ex-*

Misericordia Dei celebranda est: nõ gloriandum.

Dubium, an defuncti terrena curent?

Manium euocatio.

exhibentium. Quàm mira est narratio de spectro Mauricij ducis Saxoniæ, in Lochauiensi castello, cum aulica pompa nocturno tẽpore & uenantis & epulantis. Ἀλλὰ τάγε ὑπὲρ ἡμᾶς, μηδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Nos officio fungamur, Deúmq; precemur; ut nos contra ludibria, insidias, & uim mali genij, & omnium eius instrumentorum; suo potenti brachio defendat, & in æternum tueatur.*

CCLXXXIIII. SENTENTIA.

Cur igitur Camillus doleret? &c. Quia tanta charitas patriæ est, &c.

EXPLICATIO.

Locus ambiguus. *Crebræ sunt in hac parte subiectiones: estq; dubium, an personarum interpositione distinguendæ? Quæ quidem distinctio minus haberet obscuritatis: ut si auditor dicat:* at id ipsum odiosum, &c. *Respondeat Cicero:* Odiosũ si id esset carere, &c. *Et postea inferat auditor:* Cur igitur & Camillus, &c. *Cicero iterum respondeat:* Quia tanta charitas patriæ est, &c. *Sed utcunq; se hæc habeant, Cicero docere uelle uidetur: etiamsi mortales animi essent: uirum tamen bonum* Respublica etiá in posterũ curã- *& Reipublicæ, & priuatis familiis, nõ in præsens tantùm, sed in futurum etiam consulere opor-*

oportere: secus atque Epicurei & doceant & faciant, tantùm ætatis suæ tempus & uoluptates suas spectantes. Sic ergò locum hunc distinguamus. A. Cur igitur & Camillus doleret, si hæc post trecentos, & quinquaginta ferè annos euentura putaret? & ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam (urbe nostra) urbem nostram potituram putem? M. Quia tanta charitas patriæ est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. Itaque non deterret sapientem mors (quæ propter incertos casus quotidie imminet, propter breuitatem uitæ non longè abesse potest) quò minus in omne tempus reipublicæ suisque consulat, & posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quare licet, etiam mortalem esse animum, iudicantem, æterna moliri: non gloriæ cupiditate, quam sensurus nō sit: sed uirtutis, quam necessariò gloria, etiamsi tu id non agas, consequatur. da: etsi animi non essent immortales.

CCLXXXV. SENTENTIA.

Tanta charitas est patriæ: ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. Patria, ipsius salute metienda.

Metiri patriã sensu suo, est patriã curare non diutius quàm uiuas atq; in ea uerseris. Metiri patriam salute ipsius, est ita aduersus illã affectũ esse, ut pius pater erga suos liberos est animatus: qui iamiam moriturus, si illos immortales posset reddere, utiq; id faceret. Ac nos quidem nec ea, quæ ante nos natos facta sunt: nec (animis quidem extinctis) ea quæ post nos futura sunt, dolere possumus. Sed dum sumus & uiuimus: nõ præsentia modò, sed & præterita & futura dolere possumus, & sæpè debemus: ut, primorum parentũ contumaciam nobis æternũ exitiũ peperisse: nos non ardere dilectione Dei & hominum: Turcos (quod utinam falsò nonnulli prædixerint) intra annos circiter uiginti & Italia & Germania tota potituros. Eadẽ est & lætitiæ ratio. Gaudere debemus, nos per Christũ in integrum esse restitutos: Deum imbecillitati nostræ dare ueniã, si resipiscamus: nomina nostra scripta esse in cœlo & libro uitæ. Cæterùm prouidentiam hanc, id est, dolorem & lætitiam rerum futurarum ita moderari debemus: ut & mala cauere, et bona cõsequi, tum precibus ac uotis, tum dictis ac factis, pro uirili studeamus: officióque functi, in diuina

Dolere & præsentia, & præterita, & futura quædã & possumus, & aliquando debemus.

Moderandus & dolor, & lætitia.

uina

uina rerum humanarum administratione acquiescamus. Neque enim Scipio, rogũ Carthaginis intuens, illachrymando efficere potuit, ne Roma, plena flagitiorum & nefariorum scelerum (quæ sacræ literæ peccata in cœlum clamantia uocant) non ad decem millia annorum (ut Cicero auguratur) sed post annos sexcentos eodem modo à Totila, Gottorum rege, diuinitus impulso, incenderetur. De cura posteritatis Cicero in Lælio eodem modo dicit: Mihi non minori curæ est, qualis, me defuncto, respublica futura sit: quàm qualis nunc sit. Præteritorum autem alia ratio est: quorum summa felicitas obliuio esse dicitur. Vt enim quædam, quæ futura esse uideantur, ut excidium Nini, & mors Ezechiæ, uel auferri uel differri possint: ea certè, quæ iam facta sunt, ut Turcicæ tyrannidis incrementa maxima: ut Romani imperij ruina: ut maxima uitæ licentia omnium ordinum: ut intestina bella, perpetuæq́ digladiationes Christianorum: hæc inquam & similia infecta fieri nulla ratione queunt: eóque dolere illa, inane est, etsi non inhumanum.

Rerum irrecuperabilium summa felicitas est obliuio.

CCLXXXVI. SENTENTIA.

Mors ꝑpter incertos casus quotidie imminet:

minet: &,propter breuitatem uitæ nunquam longè abesse potest.

EXPLICATIO.

Incerti casus pietatẽ & diligentiã acuant: *Habet hæc sententia sapientem προσωπόδοσιν. Debent autem casus incerti, & ij penè infiniti, ut pestilentia, fames, latrocinia, bella, incendia, inundationes, aliaq; plurima, nos excitare ad diuinã opem implorandam: & acuere diligentiam in uitandis peccatis, & omni officij genere præstando. Vitæ uerò breuitas despicientiam rerum humanarum augere, & æternæ uitæ desiderium inflammare debet. Nemo enim homo frugi, in itinere faciendo ita affixus est hospitio, quamuis commodo & eleganti: ut non quàm primum domum redire studeat.*

Vitæ breuitas doceat res humanas contẽnere.

CCLXXXVII. SENTENTIA.

Sapientem æterna moliri decet, non gloriæ cupiditate (quam sensurus non sit) sed uirtutis.

EXPLICATIO.

Nihil in rebus humanis æternũ. *Nullæ respublicæ, nulla imperia, nulla regna (uno Christi regno excepto, quod spirituale et cœleste est) æterna sunt: ac nè diuturna quidem. Assyriorum monarchia, quæ omnium longissima perhibetur, uix millesimũ annum attigit: Persica ducentesimum: Macedo-*

cedonica ne hominis quidem ætatem durauit: Romanæ, omnium initiò potentißimæ, à mille annis usque ad hæc tempora, exiguæ quædam reliquiæ, ac potius umbra & simulacra quædam supersunt. Inanem igitur laborem capiunt, qui in terris quicquam æternum moliuntur. Nos autem Christiani æterna molimur, pœnitentiam agendo, misericordiam diuinam amplectendo, piè uiuẽdo, καὶ ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανῷ εἶναι, statuendo: id quod nos & precatio dominica, & fidei nostræ profeßio, qua patrem cœlestem & omnipotentem compellamus, monere debebat. Vbi enim pater noster est: ibi & patriam & patrimonium nostrum esse repositum, statuere debemus. Sed tantus noster siue stupor est, siue incuria, ut animos humi perpetuò defixos geramus, cœlumq́; rarò uel suspiciamus, uel desideremus: & promißis & potentiæ Dei, propter improbitatem et miseriam nostram, diffidentes. Rectè igitur, quamuis tragicè, exclamat Satyricus:

Soli ueri Christiani æterna moliuntur.

O curuæ in terras animæ, cœlestium inanes:
& statim in principio operis:
O curas hominũ? o quãtũ est in rebus inane?

Cicero autem hic attingit pronunciatum Stoicũ, ὅτι τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν: *&* κενο-

Nõ glorię, sed Deo seruiendum.

δοξίαν, id est, captationem auræ popularis, inanemq́ gloriæ studium improbat. Vir certè grauis & sapiens, in omnibus dictis et factis, diuini mandati, & conscientiæ suæ rationem potius habet, quàm opinionis & sermonis popularis: nec tamen bonorum approbationem aspernatur.

CCLXXXVIII. SENTENTIA.

Virtutem necessariò gloria (etiamsi tu id non agas) consequitur.

EXPLICATIO.

Gloriosa sunt apud quosdã flagitia & scelera.

Apud bonos quidẽ & sapiẽtes: qui omnib. & temporibus & locis paucissimi & sunt & fuerũt. Multũ itaq; refert, in quæ loca & tẽpora cuiusq; uirtus incidat. Apud multos superbia, rapina, iniuria, latrociniũ, ebrietas, fortitudinis: auaricia, libidò, luxus, inertia, ignauia, simulãdi, dissimulãdi, mẽtiẽdi fallẽdiq́ calliditas, sapientiæ nomen sibi uendicant. Hinc præceptum illud est apud Aristophanẽ ortũ: ὅτι δεῖ ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον (quenq; debere se tenere more sui loci, suiq́ seculi) uel δουλεύειν καιρῷ, νόμῳ καὶ χώρᾳ (seruiendum esse tempori, legi & regioni.) Et quidem in rebus, quæ nec impietatis, nec turpitudinis quicquam habẽt, dicta hæc ferri possunt. Cæterùm si iacturã bonæ conscien

Tẽpori seruiendũ usque ad aras.

ti.e

tiæ afferant, iustaq; notent infamia: omnino repudianda et detestanda sunt. Verùm quæ erit in corrupta disciplina, et luxu aliisq; uitiis perdita ciuitate, uiri boni, frugi, modesti, temperãtis, eruditi, ueracis, magnanimi, fortis, liberalis gloria: nisi et alta spectet: et in sinu (quod aiunt) gaudeat? Ac peruersi iudicij homines, improbaq; uitæ (si sit facultas) declinandi ac fugiendi sunt, quærendiq; meliores. Sin minus id licuerit (nam et ubique malorum maior est numerus (unde D. Paulus ait, è Mundo exeundum esse ei, qui nolit incidere in improbos) et paucis potestas datur collocandi domicilij, ubi maximè uellẽt) ferenda erunt, quæ mutari non poterunt: popularibus iudiciis neglectis, soliusq; conscientiæ, καὶ τῆς δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ ratio habenda.

Peruersi homines sunt declinandi.

CCLXXXIX. SENTENTIA.

Natura uerò sic se habet, ut quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors. Quæ ut nihil pertinuit ad nos ante ortum: sic nihil post mortem pertinebit.

EXPLICATIO.

Si hæc Epicurea hypoth. uera esset: et Pythagorea μετεμψύχωσις & Platonica ἀνάμνησις

καὶ ἀθανασία ψυχῆς concideret. Falſam autem eam eſſe, iam ſæpius dictum eſt: immortalitatem uerò eſſe ueram, ſacræ literæ teſtãtur: recordatio uerò ſuperioris uitæ, unà cum tranſitu animorũ in alia corpora, & à Theologia & à ſaniore philoſophia iam olim exploſa eſt. Habet enim Plato inter multas præclaras doctrinas, etiam monſtroſas quaſdam opiniones: cuiuſmodi eſt hæc ipſa, & uxorum, liberûm, rerum deniq; omnium communitas, & aliæ complures: quæ cum iudicio legendæ ſunt, & ad Lydium lapidem ſacrarum literarum exigendæ.

Plato cum iudicio legendus.

CCXC. SENTENTIA.

In quo (morte) quid poteſt eſſe mali? cùm ea nec ad uiuos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli ſunt: alteros non attingit.

EXPLICATIO.

Mors & ad uiuos & ad mortuos pertinet.

Imò pertinet & ad uiuos: quorum omnis ætas quid aliud eſt, niſi progreſſio quædam ad mortem? & ad mortuos, (ſiquidem Chriſtianè ſentimus & loquimur) cùm ea uitæ nouæ afferat initium: piis quidem melioris, impiis uerò deterioris. Quòd autem dicit mortuos eſſe nullos, id eſt, nihil eſſe, non eſſe in

rerum

rerum natura: sumptū esse uidetur è responso Thaletis (nisi fallor) qui interrogatus, uiui ne plures essent, an mortui? Viui, inquit: quia mortui nulli sunt. Idem dubitauit, nauigantes essent'ne in uiuentium an mortuorum numero collocandi? quòd, ut alius quidā dixit, eorum uita quatuor tantum digitis à morte distet. Extat idem dictum in Axiocho Platonis, Prodici nomine: ὅτι ὁ θάνατος οὔτε περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε περὶ τοὺς μετηλλαχότας: ὅτι οἱ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν.

CCXCI. SENTENTIA.

Quam (mortem) qui leuiorem faciunt, somni similimam uolunt esse.

EXPLICATIO.

Ἡ ὁμοιότης οὐκ ἂν εἴη ταυτότης. *Quod simile est, non est idem: neq; duæ res una esse possunt. Eiusdem quidem rei appellationes esse plures nihil uetat: ad quas uerbum* IDEM *propriè pertinet. Homerus* ὕπνον καὶ θάνατον *uocat* δύ' ἀδελφεώ. *Christus autem Lazarum mortuum dormire dicit, longè alia ratione, quàm Epicurus: significās, fore, ut mortuorum corpora suo tempore non minus expergiscantur et resurgant, quàm nunc uiuentium. Ac mors quidem secundum Epicureos,* Christianis mors somnus est corporis, non animi παννυχίς. LAZARI LIBER.

 est

est ἀναισθησία παντελὴς (uniuersus interitus hominis.) Apud quos bellißima fabula (si dijs placet) celebratur: Lazarum interrogatum, quid in quatriduana illa morte uel egisset uel uidisset? respondisse se ea omnia diligenter peculiari descripta libro post se relicturũ.

LAZARI LIBER.

Qui cum apertus esset, nihil habuerit præter puram putam chartam. Somnus uerò propriè non est ἀναισθησία (nisi quis ueterno, aut crapula oppressus stertat) sed est exteriorum sensuum hebetatio quædam ad tempus, uel auocatio potius à corpore ad animum: ab exterioribus ad interiora caloris naturalis transitus, concoctionem adiuuans, uiresq́ue diurno labore debilitatas instaurans. Quis uerò mirabilia somniorum uisa, non in semetipso experitur? Ac tum tantùm abest, ut sensus nullus sit, ut sit uel acerrimus. Somnians enim ea spacia sæpè una hora conficit, quæ uigilans toto anno uix posset.

Inquies dormientium.

Cæterùm nota est ἡ ἀντιμεταβολὴ puulgata: τί θάνατος; ὕπνος μακρός. τί ὕπνος; θάνατος βραχύς (quid est mors? Longus somnus. Quid est somnus? Breuis mors) Apud Homerum est Odyssea ν'. ὕπνος νήγρετος (pro quo aliàs νήδυμον καὶ χάλκεον dicit) ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. Eundem & κασίγνητον θανάτοιο uocat.

Quibus

Quibus epithetis à nō expergiſcendo & prorſus penetrando, ſomnum à morte parum diſtinguit, eumq́; ſuauiſsimum eſſe affirmat. Idem facit apud Platonem & Socrates: diſputans, ſi quis unam noctem ſine ullis ſomniorū uiſis, molliter quieſcat: eum totius uitæ ſuæ perpaucos dies deprehenſurum, cum illius noctis ſuauitate comparandos. Dulcis ſomnus uita potior.

CCXCII. SENTENTIA.

Quaſi uerò quiſquam nonaginta annos ita uelít uiuere: ut, cùm ſexaginta cō fecerit, reliquos dormiat: ne ſues quidē uelint: nedum (uel, non modò) ipſe.

EXPLICATIO.

In Epicurea opinione de lenitate mortis (quod & ſuprà fecit) ut nihil inſit mali: certè ne boni quidem ineſſe quicquam oſtendit: eoq́; Platonicam ſententiā illi anteponit. Etſi autē uita uigilia eſt, & uita ſine literis mors eſt, uiuiq́; hominis ſepultura, ſi Plinium audimus: tamen pleriq́; de nonaginta annis (exemplum Ciceronianum de induſtria retineo: etſi paucißimi terminum illum attingimus) non triginta, ſed quadraginta quinque, hoc eſt, uitæ ſemiſſem amittimus. Illud tamen intereſt, quòd Cicero de continente Vitæ ſemiſſem ſomno amittim⁹.

ſomno

ſomno loquitur: nos de eo, qui certis uicibus interrumpitur. Iam quid tu nugas atq; ineptias omnes uaniſſimosq; labores & inania

Vana hominum ſtudia, ſomnia ſunt.

ſtudia mortalium aliud, niſi ſomnum quendam ac potius mōſtroſum ſomnium appelles? ſi omne tempus perit, quod ſtudio non impenderis? Ariſtoteles quidem prouerbio dici ſcribit: ὅτι τὸ ἥμισυ τοῦ βίου μηδὲν διαφέρουσιν οἱ ἄθλιοι τῶν εὐδαιμόνων, καὶ οἱ φαῦλοι τῶν σπουδαίων (mediam uitæ partem nihil differre neq; miſeros à felicibus, neq; improbos à bonis uiris: cùm omnis uirtutis laus in actione conſiſtat: ſomnus autem ſit ἀργία καὶ ἀπραξία, id eſt, ignauum quoddam ocium ab omni actione alienum.) Itaq; ſomno ferè ut morte æquamur. Alibi tamen etiam inter dormientes diſcrimen conſtituit, cùm ait: ὅτι τῶν σπουδαίων σπουδαῖα καὶ τὰ ἐνύπνια (hominū uirtute & ſapientia præditorum etiam ſomnia ſtudio uirtutis et ſapientiæ exerceri.) Sed

Sōnia non ſemper imitantur affectiones animorum.

hæc regula propter uarias cauſas (de quibus nunc agendi locus non eſt) ſæpè fallit. Tamē & Plutarchus tranquilla & honeſta ſomnia inter argumenta numerat progreſſionis ad uirtutem. Eraſmus item monet, itura cubitū memorabile aliquid uel è profanis uel è ſacris literis legendū eſſe, quod meditantem ſomnus opprimat.

opprimat. Fabulã Endymionis attingit, cùm delectationis ergo, tum ad declarandam mortis ἀναισθησίαν καὶ ἀφροντιςίαν. Epimenidis uerò Cretensis somnus in prouerbium abijt: qui post annos quinquaginta septem tandem experrectus esse fertur, & omnia noua in patria et familia sua reperisse. Septem uerò dormientes in Ecclesiastica historia somnum ultra ducentesimum annum feruntur extendisse. Endymiõ. Epimenides. VII dormitores.

CCXCIII. SENTENTIA.

Endymion uerò (si fabulas audire uolumus) nescio quando in Latino obdormiuit (qui est mons Cariæ) nondũ opinor est experrectus.

EXPLICATIO.

Mythologiæ hunc uel astrologũ fuisse uel uenatorem putant. Ac nihil uetat, eum fuisse utrunque simul: cùm in agris & montibus liberrimus cæli conspectus pateat. Cæterùm quod poëtæ tribuunt Lunæ: id stryges & impudicæ mulierculæ factitare putãtur, τοῦ μυσοτέχνου συνεργοῦντος: non contentæ osculis (id enim ferri posset) sed optimum corporis succum exhaurientes: unde experrectos & ingenij stupor, & debilitas corporis, & pallor ac Strygum oscula.

ac deformitas faciei consequitur. Fiunt ista quidem sæpè uisu, ὄναρ καὶ φανταστικῶς. Sed & sæpè ὕπαρ καὶ ὄντως αὐδῶ ὀνειρωγμῶν, μετὰ παντελοῦς ἀναισθησίας. Felices qui hæc ignorant. Sed uæ experientibus: quantumuis ista nasuti homines, & quidē ij maximè, qui magicis præstigijs delectantur maximè, cachinnis excipiant: & tale aliquid uel credentem uel conquerentem, fatuum esse dicant.

CCXCIIII. SENTENTIA.

Num igitur eum (Endymionem) cũ rare censes, cùm Luna laboret, à qua cō sopitus putatur: ut eum dormientē oscu laretur? Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginē mor tis: eamq; quotidie induis; & dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cùm in eius simulacro uideas esse nullũ sensum?

Somnus, imago mortis.

EXPLICATIO.

Atqui decebat amatorem uicem amicæ dolere, si quid illi aduersi accidisset. Cùm autem Luna suum lumen à Sole mutuetur: umbra terræ ex diametro inter eam et Solem interposita, utiq; illam summo bono, id est, luce priuat. Itaq; Thessali peluibus & crepitacu-

lis

lis & uociferationibus subuenire illi studuerunt. Satyricus autem de garrula muliere: Vna (inquit) *laboranti poterat succurrere Lunæ.*

Sed est illa horulæ unius atq; alterius incommoditas: ac nostri oculi potius in eclipsibus Solis & Lunæ laborant: multaq; priuata & publica mala defectiones istas luminum consequi, tradunt Astrologi: à quibus hæc petenda sunt. Alij uerò etiam sine eclipsibus & cometis nunquam defuisse calamitates argutantur. Quod ut ita sit: cœlestibus tamen signis, præsertim crebris & euidentibus, nos diuinitus præmoneri putandum est.

Eclipses non Soli aut Lunæ nocent: sed homines præmonent.

CCXCV. SENTENTIA.

Pellantur ergo istæ ineptiæ penè aniles: ante tempus mori miserũ esse. Quod tandem tempus? naturæ ne? At ea quidem dedit usuram uitæ, tanquam pecuniæ nulla præstituta die. Quid est igitur quod querare: si repetit cùm uult? ea enĩ conditione acceperas.

Hactenus in genere disputatũ est, mortẽ nõ esse malum. Nunc ne eam quidem mortem, quæ immatura uulgò dicitur, esse malũ, docere instituit.

EXPLICATIO.

Quicquid & sumus & habemus, diuini muneris est uniuersum, non nostri iuris aut meriti: quod ꝑspicuè docet D. Paulus, etsi per

se

se manifestum, cùm ait: Quid gloriaris homo? quid habes quod non acceperis? Sed nos pleriq; sumus & arrogantes in rebus secundis atq; gloriosi: & in aduersis queruli ac morosi, & mala atq; ingrata nomina. Arrogamus nobis successus prosperos, & uirtuti prudentiaq́; nostræ ascribimus: frustrationes iniquissimis animis ferimus, non nostram prauitatem & stulticiã, sed uel naturam nouercam, uel fortunæ cæcitatem, sublata diuina prouidentia, accusamus. Si quid amisimus: mallemus nihil datum esse nobis initiò, quàm ultrò, nõ cũ pětibus, ac ne sentientibus quidem, datum, eripi. Pauper æquiore animo fert, non contingere sibi diuitias: orbus, liberos: homo plebeius, magistratus: quàm iacturam eorum, quæ contigerunt, quæq́; sua præsentia & possessione ipsos exhilararunt. Achilles probri loco Græcis obÿcit ἐπεί μ' ἀφέλεσθέ γε δόντες : *& Plato pueriliioco celebratũ esse tradit,* οὐκ εἶναι καλὸν, τόγε ὀρθῶς δοθὲν, ἀφελέσθαι *(non esse honestum, quod rectè datum sit, rursus eripere.) Ad summam, diabolicum illud mendacium:*

Quæ diuini muneris sunt: ea homines sibi arrogant.

Data nobis eripi, molestè ferimus.

Nequaquã morte mulctabimini: sed scit Deus, si de fructu arboris comederitis, tum oculos apertũ iri uobis, atq; ita uos fore quasi Deos, scientes boni atq; mali:

Hæc

Hæc inquã mali genij sophistica fallacia, tam altè radices in animis nostris egit: ut αὐτοκράτορες, omniumq; rerum ipsi esse domini uelimus, æquumq; censeamus, non Dei, sed nostram fieri uoluntatem. Quod cùm fieri neq; debeat, neque possit: cumq; μεμψιμοιρία ista & indignatio impia, non modò grauissimum scelus sit, sed etiam singularis animorum carnificina: consuefacere nos debemus, ope diuina implorata, ut non ore tantùm & uerbis, sed seriò & ex animo tandem precemur: fiat uoluntas tua: *& quicquid factum fuerit, ut diuinitus factum, æqui boniq; faciamus:* spe finis dura ferentes, *ut poëta canit. Nã & bona & mala quæ dicuntur, à diuina uoluntate aut saltem permissione proficisci omnia, sentiendũ est. Vtitur autem Deus in hominibus uel euehendis uel deprimendis arcano geniorum & hominum utriusque sortis, id est, & bonorum & malorum, ministerio. In hãnc sententiam & à Theologis, & ab Epicteto, philosopho lectu dignissimo, complura disseruntur. Similitudo creditæ pecuniæ satis perspicua est atque perelegans: quali & Lucretius est usus, illo uersiculo:*

Diuinitatis diabolica affectatio.

Diuinæ uoluntati parendum.

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus usu.

CCXCVI. SENTENTIA.

Inconstantia uulgarium opinionum. Iidem, si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant: si uerò in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat. Nondum gustauerat, inquiunt, uitę suauitatem. Hic autē iam sperabat magna, quibus frui cęperat.

EXPLICATIO.

Aeterna spectanda. *Terrena omnia & parua & breuia sunt, per se quidem: quantumuis nostræ pusillitati & magna & diuturna uideantur: sola diuina, & magna & æterna sunt. His ergo frui ab ineunte ætate incipiamus: terrenis illis utentes, tanquam non utentes: semperq; cogitemus, hîc nobis diuersoriū quoddam esse concessum, non certum & stabile domicilium.* Spes fallax. *Nam spe quidem ista magnorum bonorum, nihil est fallacius, nihil uanius: neq; etiam eius frustratione quicquam molestius & acerbius. Quare Epictetus prudenter monuit: si quid optes, confectumq; uelis: cōtrarium euenire posse, esse statuendum. Idem & ad expectationem rerum aduersarum est transferendum: ut meditata sint nobis mala, quæ ho-* Mala præmeditāda. *mini*

mini euenire possunt omnia: ut præclarè ex Euripide apud Terentium Demipho philosophatur. Tum autem mori optimum esse dicitur, cùm uiuere sit iucundissimũ: ne qua ægritudo illis gaudijs intercedat. Sed ea est φιλοψυχία καὶ φιλαυτία: ut & à rebus iucundis ægerrimè auellamur: & in aduersis subinde speremus meliora.

Immodicus uitæ nos amor illaqueat.

CCXCVII. SENTENTIA.

At id quidem ipsum in cæteris rebus melius putatur: aliquam partem, quàm nullam attingere. Cur in uita secus?

EXPLICATIO.

Sic & Horatius:

Est aliquò prodire tenus: si non datur ultrà.

Inconstantiæ autem huius, quam Cicero arguit, esse causa uidetur, ἡ τε τῆς αἰσθήσεως, καὶ τῆς ἀναισθησίας, καὶ ἡ τῆς ἐμπειρίας καὶ ἀπειρίας διαφορά. (discrimen sentiendi & non sentiendi, experiẽtiæ & imperitiæ.) Abstemij uino, qui nunquam gustarunt, non modò facilè carent: sed etiam à congressu potorũ abhorrent: cuius gustũ ubi perceperint: eo ingurgitare ferè sese solẽt. Eadẽ est & luxuriæ & omniũ deliciarũ ratio: nõ secus atque cursus de monte: quẽ semel ceptũ, sistere, nisi prolabaris humi, difficilimũ

Aliud sentiũt experti, aliud imperiti.

 est.

est. Quare principijs obstandū. Alioqui idem nobis accidet, quod amantibus. Amor enim, ut ait Mimographus, animi arbitrio sumitur nō ponitur. Χαλεπὸν χορίων κυνὶ γεῦσαι *(gustanda præbere cani intestina, periculosum est.) In ijs autem rebus, quæ bonæ honestæq; sunt: aliquid quàm nihil consecutū esse, longè præstat. Quis nō malit esse iustus & moderatus: etiamsi, ob ingenij & animi infirmitatem, nec sapientiæ nec fortitudinis compos fieri poßit: quàm cum hac & improbitatem & luxuriam coniungere? Satius est Latinas literas mediocriter didicisse, etiamsi Græcas & Hebræas ignores, quàm nullas. Et quidem (ut hoc obiter addam, non quòd ad institutū pertineat, sed quia utilem habet admonitionem) qui uel tardioribus ingenijs sunt, uel tardius ad discendum accesserunt, uel in studio literarum perseueraturi non sunt: ijs magis expediret, linguam Latinā, & rudimenta Dialecticæ atq; Rhetoricæ, absq; poësi & literis Græcis discere tantò studiosius: quàm illis additis, distrahere potius ingenium uarietate, quàm erudire. Euanescunt enim illa statim (de poësi & Græcis literis loquor) non minus, quàm Arithmetica, exercitatione uel ad breue tempus intermissa. Quare in hāc urbe,*

Rerum bonarum aliquam partem, quàm nullam attingere, melius est.

Poesis & Grecæ literæ tardis, ignauis, alia tractaturis, parū utiles sunt.

urbe, quæ paucissimos pueros ultra prima elementa in scholis publicis detinet, ubi & linguæ & pcësis, & artes liberales discuntur, utilissimum esset, institui peculiarem scholã, in qua adolescentes, alijs uitæ generibus destinati, Latinitatem quàm expeditissimè sine ullis àmbagibus alijs, docerentur. Sed hæc magistratuum cura erit: nos nostrum negocium agamus. Vt igitur Latinas literas didicisse, quàm nullas præstat: sic potiores sunt fortunæ mediocres extrema inopia: tametsi amplum censum consequi non possis. Melius est esse μέτοικον *(inquilinum, atq; in aliena urbe domoq; habitare) quàm (ut Homeri uerbis utar)* ἀφρήτορα, ἀθέμιστον, ἀνέστιον *(nulla censeri tribu, nulli certo iudicio subiectum esse, nullum habere domicilium.) Sed fit, quod nostrate prouerbio dicitur: puero si digitum porrexeris, totam manum inuadit.* SCHOLA IGNAVORVM INSTITVENDA.

CCXCVIII. SENTENTIA.

Quanquã non malè ait Callimachus: multò sæpius lachrymasse Priamum q̃ Troilum (id est, senem quàm puerũ aut adolescentem.)

EXPLICATIO.

Est hæc opportuna correctio: diuturnam

uitam non habendam in bonis. Sic & in Catone: At diu uiuendo in multa incurrunt senes, quæ nollent. *Quod si unquam uerũ fuit, nunc certè apud nos est uerissimum. Imperia fiunt subinde acerbiora: dissidia religionis augentur: mores ruunt in deterius: precia rerum ferè omnium multiplicantur. opificia & negociationes iacent: mendicorum plena sunt omnia: ex intemperanti uictu & frugibus non satis maturis aut corruptis, noui subinde morbi existunt: peiora metuuntur: meliora uix optari, nedum sperari possunt.* Μακάριοι τοίνυν οἱ ἀποθνήσκοντες ἐν τῷ κυρίῳ *(beati igitur qui in domino moriũtur.) Hæc, tametsi ad uiros & senes potissimum pertinere uidentur: tamen pueris etiam & adolescentulis sunt meditanda: ut maturè & pœnitentiam agant, & ad patientiam se præparent.*

Diu uiuendo homines in multa incurrunt.

Aetas de duro est ultima FERRO. Protinus irrupit uenę peioris in æuum Omne nefas. Fugere PVDOR VERVMq; FIDESq;. In quorũ subiere locũ FRAVDESQVE DOLI'Q; INSIDIAE'Q; & VIS, ET AMOR SCELERATVS HABENDI.

CCXCIX. SENTENTIA.

Eorum autem qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur.

EXPLICATIO.

Satis est perplexa hæc sententia, & dubium, addendáne sit, an tollenda negatio. Sentire tamen uidetur Cicero contra uulgarem opi-

opinionem, senum etiam diuturniorem uitã fortunatiorem esse iudicandam, quàm mortem tempestiuam. Sed non urget hoc: & dubitanter uulgi iudicium refellit.

CCC. SENTENTIA.

Cur? Nam (reor) non illis, si uita longior daretur, posset esse iucundior. Nihil est enim profectò homini prudentia dulcius.

Lutecianus codex omnẽ tollit scrupulum: qui sic habet: Cur nam? Reor enim, illis si uita longior daretur, &c.

EXPLICATIO.

Hoc non de omnibus senibus uerè dici potest: sed de ijs tantùm qui in senectute præ cæteris floruerunt: cuiusmodi commemorantur Q. Fabius Maximus, M. Porcius Cato, Gorgias, Isocrates, Plato, alijq; complures, quos in Macrobijs recitat Lucianus. Nec id tamen, nisi eorum senectus in tranquilla tempora inciderit, uidetur omnino esse concedendum. Prudentiam autem cùm afferat senectus: etiam uita longior senibus posit esse iucundior. Non igitur eorum fortuna laudanda est, qui exacta ætate moriuntur: beatiores utiq; futuri, si sua prudentia diutius & ipsi fruerentur, & alijs prodessent: Exacta porrò ætas nullo certo annorum numero definiri potest: q tamẽ annũ sexagesimũ attigerũt, ætatẽ exegisse uidẽtur, et satis uel naturæ uel gloriæ

Non omnes senes fiunt ætate prudẽtiores: sed nõnulli & infeliciores & deliri euadunt.

Exacta ætas annus sexagesimus.

(ut Cæsar: ut ego, uel miseria) uixisse. Solon tamen octogesimum sibi annum optauit, hoc pentametro: ὀγδωκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου. *Obseruanda est autem Emphasis in uerbo* homini, *cuius potissima pars est mens. Humanam igitur uitam agunt, qui in cognitione rerum bonarum uersantur, eandemque iucundissimam. Quod si adolescentes uel ipsi intelligerent, uel expertis crederent: nihil esset illis cognitione diuinæ humanæque sapientiæ iucundius & optabilius. Nunc uerò plerique beluinam potius uitam agũt, ad sensum corporis pleraque referentes.*

Humana uita agenda.

CCCI. SENTENTIA.

Quam (prudentiam) ut cætera auferat: affert certè senectus.

EXPLICATIO.

Cætera, *intelligenda sunt, uires & uoluptates corporis, uigor atque integritas omniũ sensuum. Verùm aliorum alia & natura & fortuna est: eorum etiam qui temperanter & moderatè uixerunt. Multis senectus affert & delirium, & omnium pene rerum obliuionem, & imbecillitatem, & cruciatus morborum incurabiles. Quæ si non omnia, at pleraque tempestiua morte effugiuntur.*

Non

Non igitur temerè eorum, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur: ac multò rectius eorum, qui uel in adolescentia, uel etiam in pueritia piè obdormiscunt.

CCCII. SENTENTIA.

Quæ uerò ætas longa est?

EXPLICATIO.

Πάντα βαιὰ βίου. Omnis uita breuis.

In Catone eodem fere modo: Mihi, inquit, ne diuturnum quidem uidetur quicquam, in quo aliquid est extremum. Item, Omnis uoluptas pro nihilo putanda est: quæ cùm præterierit: perinde est, ac si nulla fuisset: Sic & Virgilius:

—— Viximus ambo
Rhœbe diu. Res si qua diu mortalibus usquam est.

Sed uitæ longitudo & breuitas sunt τῶν πρός τι, καὶ κατ' ἀναλογίαν *(pportione quadam) consideranda, ut & ipse Cicero fatetur.*

CCCIII. SENTENTIA.

Aut quid omnino homini longum? Sed quia ultrà nihil habemus: hoc longum dicimus.

Qui ultimum ætatis humanæ terminum attigit, diu uixit.

EXPLICATIO.

Quia ipse homo (ut ita dicam) pusillum

& breue quiddam est: & humana omnia pusilla breuiaq́; sunt: sicut in pumilione aut pygmæo omnia membra parua sunt, per se quidem: quia tota cohors, ut Satyricus ait, pede non est altior uno. Et sic intelligendus est hic locus. Nam si τὸ HOMINI,*pro opinione hominum, interpreteris: multa certè homini longa erunt, in rebus præsertim aduersis, afflictaq́; ualetudine. Metimur nos nostræ naturæ & conditionis regula: octogenarium diu uixisse putamus. Mercenarius si centum aureos corraserit: Cræso & Crasso sibi erit ditior.*

CCCIIII. SENTENTIA.

In uitæ stadio decurrunt pueri cia & adolescentia: quas Senectus & mors assequuntur.

Nónne modò pueros, modò adolescentes (scilicet γενομένους, id est, eos qui paulò ante pueri & adolescentes fuerũt) in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus?

EXPLICATIO.

Sic in Catone: Obrepere aiunt senectutem, antequam putarint. Sed quid eos falsum opinari coegit? Cæterùm sæpius multóque plures in cursu à tergo insequens, nec opinantes est assecuta mors. Est hoc nescio quomodo ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πήδημα, καὶ

τοῦτο

τοῦτο γρωϊκὸν, à pueritia statim & adolescentia transitus ad senectutem. Quare ut suspecta lectio non sit: hyperbole tamen quædam est, quasi dicat: Etiam pueritia & adolescentia suam quandam habent senectutem, id est, occasum. Verba hæc elegantis Emblematis præbent occasionem, hoc ferè modo: depingatur stadium siue curriculum, idq́ breue, puer præcurrat, sequatur adolescens, cuius uestigia persequatur senectus ac deniq; mors præmium cursus auferat, puero à meta depulso, arreptáque corolla, & caluæ suæ imposita.

CCCV. SENTENTIA.

Omnia ista perinde ut cuiq; data sunt: ita pro rata parte, aut longa aut breuia dicuntur. Apud Hypanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem uiuant. Ex his igitur hora octaua quæ mortua est, prouecta ætate mortua est: quæ uerò occidente Sole, decrepita: eò magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate: in eadem propemodum breuitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur.

Homines sunt ἐφήμεροι & ἡμερόβιοι: æquè atq; illę ad Hypanim bestiolæ.

EX-

EXPLICATIO.

Data, sunt intelligenda uel à Natura, uel potius ab autore Naturæ, Deo: uerbi causa (ut ea sumamus, quæ frequentius eueniunt) Homini dati sunt anni septuaginta: equo triginta: cani duodecim: τοῖς ἡμεροβίοις καὶ ἐφημέροις *unus dies. Homo igitur septuagesimo anno moriens, exacta ætate moritur, & senex, diuq́ꝫ uixit pro rata naturæ humanæ parte. Ab hoc autem termino quò quisque longius abfuerit: eò immaturiore ætate obiisse creditur.*

CCCVI. SENTENTIA.

Contẽnamus omnes ineptias (Quod em̃ leuius huic leuitati nomẽ imponã?)

EXPLICATIO.

Secundo de Oratore ait: Qui aut tempus quid postulet, non uidet: aut plura loquitur: aut se ostentat: aut eorum, quibus cum est, uel dignitatis uel commodi rationem non habet: aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est: is ineptus dicitur. Ineptus. Ineptiæ. *Ex hac descriptione etiam ineptiæ quid sint, facile intelligitur.* Grauitas. Leuitas. *Iam grauitati, quæ rationis est, opponitur leuitas, à temerariis & subitis pro-*

proficiſcens affectibus: qui nihil habent firmitatis, nihil conſtantiæ, ipſo Vertunno magis mutabiles, & pluma, quod aiunt, leuiores.

CCCVII. SENTENTIA.

Totamq; uim bene uiuendi, in animi robore ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum cõtemptione ac deſpicientia, & in omni uirtute ponamus.

EXPLICATIO.

Magnifica & heroica ſententia eſt: non eſſe nobis de longitudine uitæ laborãdum: ſed eò enitendum, ut officio fungentes, cœleſti potius, quàm terrenæ uitæ ſtudeamus. Nititur autem Cicero hoc loco pronunciato illo: Qui uitam beatam in uirtute collocarit, ei nec uitam moleſtam, nec mortem fore formidabilem. Sed Stoicum iſtud ſomnium eſt, præclarum illud quidem, ut dixi, ſi talis conſtantia in hominem profanum caderet. Nam ſola Chriſtiana patientia & fides horum utrunq, uerè præſtat. Animi robur intelligatur de contemptu periculorum & incommodorum: magnitudo, de appetitione rerum diuinarum: ut & Iſocrates præcipit: Ἀθάνατα φρόνει τῷ μεγαλόψυχος εἶναι. *Res humanas appellat, quicquid eſt extra uir-*

Non de longa, ſed de honeſta uita laborandum eſt.

Robur. Magnitudo.

Res humanæ.

uirtutem & sapientiam. Ac magnificè quidem ista dicuntur: sed sine fiducia & expectatione diuini auxilij, ea, tanquam nebulas Sole aduentante, in rebus aduersis euanescere, & ueluti fumos dißipari: nos uel unus Cicero exul & proscriptus suomet exemplo doceat. Est enim profectò difficilimum, non affici animum incommodis & doloribus corporis: oberrare in egestate, auulsum ab omnibus iis, quæ chara habueris. Qua de re uide Isocratis Plataicum. Præterea, magnanimitas (si Aristoteli credimus) consummatio & quasi fastigium est omnium uirtutũ: eaq́ de causa uirtus omnium rarißima. Cicero autem hic omnem uirtutem dixit, uel pro sola, uel pro singulis eius partibus, quæ satis notæ sunt.

Disputare facile est: tolerare, arduum.

CCCVIII. SENTENTIA.

Nam nunc quidẽ cogitationibus mollissimis effœminamur: ut, si antè mors aduenerit, quàm Chaldæorum promissa cõsecuti sumus: spoliati magnis quibusdam bonis, illusi, destitutiq; uideamur.

EXPLICATIO.

Mollicies est partis appetẽtis.

Mollicies ista, in cura & admiratione corporis & rerum externarum posita, propria est

est τῆς ἐπιθυμητικῆς (partis animi appetentis. Nam τὸ ἡγεμονικὸν (Mens & ratio) καὶ τὸ θυμῶδες (uis animosa) aliquid uirile & firmum habent. Chaldæorum autem, id est, Astrologorum promissis 2. de Diuinatione & Pompeium & Cæsarem delusos esse, ostendit: cùm utrique mors placida, domi in lectulo & summa cum dignitate, prædicta fuisset. Noluerunt illi, opinor, uera dicendo catulos illos leonum irritare. Quod quàm periculosum sit, Ascletarionis, à Domitiano interfecti, exemplum docet: itemq; Thrasylli Mathematici: qui πηλοῦ τοῦ αἵματι πεφυρμένου (Tiberium Claudium Cæsarem sic præceptor eius appellauit) crudelitatem uix euitauit. Mihi quoque malam nonnulli gratiam retulerunt, uel uera mala experti, uel falsa bona, quæ coniectaueram, nō adepti. Et est hoc plerisq; insitum, quibus mala portenduntur, ut astrologos & astrologiam insectentur. Sic fecit Picus: sic ipse Cicero: sic alij multi. Agrippa, Tiberius, Vespasianus, Domitian⁹, Vitelli⁹, alij cōplures magni uiri Astrologiæ ueritatē re ipsa sunt experti. Sed qa & tēpus in lucē editi infantis plerunq; incertū est: & pauci sunt in hoc genere artifices: neque multi ea quæ requiruntur, considerant Chaldæorum promissa.

(requi-

(Requiruntur autem plurima) & quia inter hos ipsos, qui de arte scripserunt, multæ magnaq́; controuersiæ sunt: eorum & promissa & minæ sic accipiantur, ut Tiresiæ auguria:

O Laertiade, qcquid dicam, aut erit, aut nō.

In promptu sit & illud Euripidis

Τὶς δ᾽ μάντις ἐστ᾽ ἀνὴρ;

Ὅς ὀλίγ᾽ ἀληθῆ, πολλὰ δ᾽ ψευδῆ λέγει.

(Quis augur est homo?

Qui pauca uera, multa falsa prædicat.)

Quin & ipse Ptolemæus significat: ὅτι τὰ ἀστρολογικὰ τῶν μαντευμάτων ἐν μέσῳ κεῖται τοῦτε δυνατοῦ καὶ τῆς ἀνάγκης. *(Astrologicarum prædictionum eam esse rationem, ut ea quæ prædicta sint, & fieri poßint, & fieri non sit necesse. Item, Sapientem astris dominari.) Cordati hominis est, Deo fretum, de ingenij ui, & animi affectionibus, uel semetipsum, uel candidos amicos consulere: de ualetudine & uita tuenda, fideles & peritos medicos adhibere in consilium: cæteris in rebus* πολιτικῇ συνέσει *(ciuilis prudentiæ obseruantem) in loca & tempora & homines, cum quibus conflictari necesse est, esse intentum. Hæc multò certiora sunt, quàm Astrologicæ prædictiones: quas omnino uitare debent homines creduli,*

Astrologia politica.

duli, meticulosi, arrogantes: ij denique omnes, qui appetitu magis rapiuntur, quàm recta ratione reguntur. Mala enim excruciãt animos, & ab agendo deterrent: prospera inflant, nimiumq́ securos & ignauos reddunt. Prudentes uerò & mala deprecãtur, studioq́ singulari cauent: & prospera, moderatione sua atq; industria, promouent. His solis præscire futura quædam (neq; enim omnia prædici, ac ne multa quidem possunt) utile est: cæteris omnibus perniciosum: quòd eos (ut de parasito Comicus seruulus dicit) Astrologia ex stultis insanos facit. Equidem suspicor & Ciceroni illustrem dignitatem in senectute, & periculum uiolentæ mortis à Chaldæis fuisse prædictum: cumq́ in Somnio Scipionis ad id præsagium alludere: cùm scribit, se eius temporis ancipitem uidere quasi fatorum uiam, & reliqua. Vt autem hic pro sua persona Scipionem: sic libello de senectute Catonem substituisse uidetur: etsi & historiæ simul seruijt, & suum negocium unà, sed dissimulanter egit. Neq; enim per omnia in simili causa cum horum utroque fuit.

Homini, suis affectib. indulgenti noxia, & uitanda est prædictio rerum futurarum.

CCCIX. SENTENTIA.

Quòd si expectando & desiderando

pendemus animis, cruciamur, angimur: proh dij immortales, quàm illud iter iucundum esse debet (*quàm optabiliter iter illud ineundum esset) quò confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit?

EXPLICATIO.

Mors, si ἀναισθησίαν, etiam ἀπάθειαν affert.

Magna tyrannis est affectuum & perturbationum animi, quæ hominem nunquam quietum & tranquillum esse sinunt: ut uersiculi Boetiani declarant, & in semetipso quis indies experitur. Ab his mors (si sit ἀναισθησία) liberat. Commendatur ergo ab effectu mors: ut quæ ἀπάθειαν præstet longè uerius & certius, quàm omnis doctrina Stoicorum: quæ huius operis libro 2.3.4. libro item tertio de Finibus explicatur. Sed eadem ista ratione carnifices medicis, uenena medicamentis omnibus anteponi queant.

CCCX. SENTENTIA.

Quàm me delectat Theramenes: quàmque elato animo est.

EXPLICATIO.

Autoritates. Rationes. Exempla.

In hac disputatione Cicero autoritatibus, rationibus & argumentis tam ad confutandum, quàm ad confirmandum usus est: dum efficere studet, mortem aut non esse malum,

aut summum etiam esse bonum. Nunc etiam exemplis utitur Theramenis, Socratis, Laconis cuiusdam, quem Tectamenem Plutarchus appellat, Romanorum denique militum, qui mortem utique non tam alacriter oppetiissent, si malum eam iudicassent. Habent autem hæ narrationes singularem suauitatem.

CCCXI. SENTENTIA.

Etsi enim flemus, cum legimus: tamen non miserabiliter uir clarus moritur.

Vir clarus non miserabiliter moritur.

EXPLICATIO.

De Theramene hic loquitur. Sed de quouis præstanti uiro idem dici potest: uel quia mortem non reformidat: uel quia uirtutis gloriam consequitur. Nam τὸ miserabiliter, *uel ad ipsius morientis personam, uel ad spectatores referri potest.*

CCCXII. SENTENTIA.

Qui cùm coniectus in carcerē triginta iussu tyrannorum uenenum ut sitiēs * obduxisset: reliquū sic è poculo eiecit, ut id resonaret. Quo sonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in cōuiuijs solent nominare, cui po-

Propinationes Græcorum.

* ebibisset.

Lusus morituri.

culum tradituri sint. Lusit uir egregius extremo spiritu, cùm iam præcordiis conceptam mortem contineret: ueteꝗ; ei, cui uenenum præbiberat, mortem est eam auguratus, quæ breui consecuta est.

EXPLICATIO.

Pro obbibisset aut ebibisset: docti censent legendum, eadem tamen significatione, obduxisset. *Iidem quod de sonitu reddito scribitur,* κοτταβισμὸν *describi putant, de quo uide Suidam & Athenæum. Fingit autem Theramenes Critiam suum esse amasium: & è reddito ueneni sonitu (ut erat amatorum persuasio) se redamari ab illo auguratur scilicet: à quo & è catalogo deletus, & ab ara abstractus, ad necem compellebatur.* ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσι.

CCCXIII. SENTENTIA.

Græci in conuiuiis solent nominare, cui poculum tradituri sint.

EXPLICATIO.

Προπίνειν φιλοτησίαν, *id est, poculum amicitiæ offerre, humanitatis & beneuolentiæ est: quando*

Siccat inæquales calices conuiua: solutus
Legibus insanis.— Sed importunè urgere

non

non sitientem, ac potius nauseantem, cum periculo ualetudinis, famæ & conscientiæ, immanitatis est, omnem humanitatem repellentis. Ac tales Centauri, tanquam pestes humani generis, pro uirili cauendi & fugiendi sunt. Eripiunt enim sanam mentem: labefactant corpus: ingenium uastant: memoriam extinguunt: exhauriunt loculos: maculam famæ aspergunt: in plurima pericula capitis & fortunarum atque ipsius etiam animi præcipitant: hominem denique in belluam & feram conuertunt. Vbi enim plures cædes fiunt? Vbi facilior lapsus est in fœdas libidines, quàm in ebriosis conuiuiis? Quotusquisque mediocrium hominum, dissolutam agendo uitam, dum genio indulget, non fortunis euertitur, & ad egestatem redigitur? Diuites autem, ut iacturam rei familiaris non faciant (quod ipsum tamen etiam sæpè fit) certè plerique aut immatura morte extinguuntur, aut in senectute lithiasi, arthritide, apoplexia, aqua intercute & similibus morbis, qui è redundantia malorum humorum existunt, miserè conflictantur. Huc accedit, quòd cordati homines ebriosos à se quàm remotissimos esse cupiunt: neque eorum opera utuntur, nisi coacti. Nostra na-

Centauri non sitientem bibere cogentes, fugiendi sunt.

Immaniũ poculorũ noxæ multiplices.

Germani ob bibacitatem malè audiũt.

tio hoc nomine apud exteros ita malè audit, ut plerique Germanos uix appellatione hominum dignentur, sed temulentas bestias esse dicant. Obiter & hoc notent adolescentes inurbanum haberi, si natu minor & dignitate inferior senioribus propinet: nisi iussus. Vulgò dicunt salutationem ab aula proficisci, id est, à superioribus.

CCCXIIII. SENTENTIA.

Lusit uir egregius extremo spiritu: cùm iam pręcordijs conceptam mortem contineret.

EXPLICATIO.

In morte non ludendum.

Lusus hic in homine profano magnitudini animi tribuitur. Christianum uerò tum diuinam clementiam implorare decet: ut contra diaboli insultus defendatur: & comitatu sanctorum geniorum in Abrahæ sinum perducatur.

CCCXV. SENTENTIA.

Morientiũ diuinatio.

Vereq; ei (Theramenes Critię) qui uenenum præbuerat, mortem est eam auguratus, quæ breui consecuta est.

EXPLICATIO.

Morituros, eos præsertim, qui per iniuriam occiduntur, diuinare: multa poetarum

&

& historicorum & uitæ communis exempla docent.

CCCXVI. SENTENTIA.

Quis hanc animi maximi æquitatem in ipsa morte laudaret: si mortem malum iudicaret? **Animi maximi æquitas.**

EXPLICATIO.

Tribueretur enim stupori potius, aut insaniæ, quàm uirtuti: cum ipsa natura à malis rebus abhorreat atq; refugiat. Obseruentur elegantissima hæc uerba: animi maximi æquitas, *id est, magnanimitas & æquanimitas: uel animus maximus & æquissimus. Ferè autem cohærent hæc. Magnus enim animus, cùm res humanas despiciat, & pro nihilo ducat: fusq; deq; fert quicquid acciderit: aut certè non magnopere commouetur.*

CCCXVII. SENTENTIA.

Vadit in eundem carcerem, atque in eundem paucis pòst annis scyphum Socrates: eodem scelere iudicum, quo Tyrannorum Theramenes. **Scelera iudicum.**

EXPLICATIO.

Vadit in carcerem: *usitata locutio est. Sed* uadit in eundem scyphum: *Zeugma*

duriusculum. Historiæ satis notæ sunt è Xenophonte & Platone & Aristophanis Nubibus. Iudex autem uel iuris & æqui ignarus, uel, in dicenda sententia, non iuris & æqui: sed uel personarum, uel largitionum, uel affectuum suorum rationem habens: non iudex est, sed Cicerone quidem iudice) sceleratus & tyrannus. Sic D. Augustinus, Imperia sine iusticia nihil esse aliud nisi latrocinia, pronunciat.

CCCXVIII. SENTENTIA.

Quæ est igitur eius (Socratis) oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices, iam morte mulctatum.

EXPLICATIO.

Cicero, sicut in epistolis ad Atticum, pædiam Cyri Xenophontis non ad historiæ fidē: sed ad imaginem iusti & clementis imperij scriptam esse ait; ita hic Apologiam Socratis, Critonem, Phædonem, ἠθοποιΐας esse significat: πολλὰ τοῦ πλάτωνος ἐγκωμιαστικῶς Σωκράτους τεθνεῶτος καταψευσαμένου. *Ita enim Socrates, cùm quosdam dialogos Platonis legisset, subridens exclamasse fertur: quàm multa iste adolescentulus de nobis mentitur. Significans ea se locutum induci, quæ nūquā dixisset. Ego quoq, nequaquam*

Ethopœiæ Platonicæ.

quam puto, omnia ad eum modum uel dicta uel gesta esse. Orationis autem Socraticæ argumenta, cùm & antè tractata sint pleraq;, & in Platonicis sententijs nostris explicentur: copiosiùs hîc enarrare non est necessariũ. Illud interim obseruetur, τὸ morte mulctatum, *non de interfecto, sed de capitis condemnato dici.* Sententiæ Platonicæ, Aristotelicæ, Homericæ, Græcolatinæ, nondũ editæ: sed in Augustana schola discipulis discẽdæ propositæ.

CCCXIX. SENTENTIA.

Magna me (inquit) spes tenet, iudices, bene mihi euenire, quòd mittar ad mortem. Bene euenit morituro.

EXPLICATIO.

Propositio hæc est orationis Socraticæ: bene cũ eo agitur, qui moritur: & ex consequenti, mors malum non est, sed bonum.

CCCXX. SENTENTIA.

Necesse est enim sit alterum de duobus: ut aut sensus omnino mors omnes auferat: aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Dilemma de morte Socraticũ.

EXPLICATIO.

Confirmatio propositionis constat illo crebrò iactato dilemmate: mortem aut tollere omnem sensum: aut transferre hominis ani-

mum in aliam uitam meliorem. Obseruetur hic emphases uerborum: quòd mittar ad mortem. *Ita enim loquitur, quasi non sit capitis condemnatus, sed libera quadam legatione ab Atheniensi republica ad potentissimum regem Plutonem, eiusq; proceres atque iudices, Minoëm, Aeacum, Rhadamãthum (Triptolemum addit non tanquam iudicem apud Inferos: sed ut uirum præstantem, per quem frumentum & leges per totum orbem propagata sint) cum quibus aut familiariter colloquatur, aut causam suam, tanquam apud superiores iudices, denuò disceptandam proponat. Perinde enim est ac si diceret: facilè quidem à uobis me condemnatum esse patior: sed tamen quia iniuria mihi fit, appello iudices sapientiores & æquiores, Minoëm & reliquos.*

Socrates de morte, tanquã de libera legatiõe loquitur.

CCCXXI. SENTENTIA.

Quamobrem siue sensus extinguitur, morsq; ei somno similis est, qui nonnunquam, etiam sine uisis somniorum placatissimã quietem affert: dij boni, quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponãtur? cui si similis futura est perpetuitas omnis cõsequẽtis tẽporis, quis me beatior?

Tranquillus somnus omni uita felicior.

E X-

343

EXPLICATIO.

Prior dilemmàtis pars: quæ etiam extenuatio est felicitatis humanæ: quæ nihil sit (ut res optimè cadat) nisi suauis quidam somnus, aut somnium iucundum.

Humana felicitas est suaue somnium.

CCCXXII. SENTENTIA.

Sin uera sunt quę dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui è uita excesserunt, incolunt: id multò iam beatius est, te, cùm ab ijs, qui se iudicum numero haberi uolunt, euaseris, ad eos uenire, qui uerè iudices appellentur, Minoëm, Radamanthum, Aeacum, Triptolemum: cõuenireq́ eos, qui iustè & cum fide uixerint.

Cato Ciceronianus.

O' præclarum diem: cum ad illud diuinũ animorum concilium cœtumq́ue pficiscor: cunq́ue ex hac turba & colluuione discedam.

EXPLICATIO.

Animaduertantur aculei orationis Socraticæ. Neq; enim obscurè iudicibus iniquitatem & stulticiam obijcit: dum eos iudicũ numero haberi uelle dicit: & uerbo euadẽdi *utitur, tanquam tyrannos aut latrones effugiat: eosq́ iustè & cum fide uixisse negat, id est, periuros esse affirmat.*

Aculei aduersus iudices,

CCCXXIII. SENTENTIA.

Hæc peregrinatio mediocris uobis (iudicibus) uideri potest? (cùm ij qui iustè

iuſtè & cum fide uixerunt, conueniuntur.) Vt uerò colloqui cũ Orpheo, Muſęo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpè mori, ſi fieri poſſet, uellem, ut ea, quæ dico, mihi liceret inuenire. Quantá delectatione autem afficerer, cùm Palamedem, cùm Aiacem, cum alios iudicio iniquorũ circumuentos conuenirem?

EXPLICATIO.

Socrates beatitatẽ mortis, in colloquijs præſtantiũ uirorũ ponit.

Vitæ conſequentis beatitatem maxima ex parte collocat Socrates in conſuetudine & colloquijs bonorum & ſapientum uirorum. Exprimit etiam affectus eorum, qui conſimilia perpeſſi ſunt. Mala enim & bona eadem, coniungunt homines: eorumq́; cõmemoratio mutua, delectationem habet.

CCCXXIIII. SENTENTIA.

Tentarem etiam ſummi Regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, & Vlyſſis, Siſyphiq́; prudentiam.

EXPLICATIO.

Nõ omnes ſapuerunt, quos fama celebrat.

Et hîc poëtarum commenta, & uulgi perſuaſiones perſtringit. Multi enim ſapientiæ nomine celebrantur, qui à ſapientia longiſſimè

mè abfuerunt. Vnde Euripides in Andromacha exclamat:

ὦ δόξα, δόξα: μυρίοισι δὴ βροτῶν
μηδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν,

hoc est,

O fama, fama: plurimis mortalium
Nihili, præclarum per te contigit decus.

Significat etiam, se rationem nullam habere uel potentiæ uel splendoris externi, uel præceptæ opinionis: quò minus exploret hominum ingenia & iudicia. Examinator integerrimus.

CCCXXV. SENTENTIA.

Nec ob eam rem, cùm hæc exquirerem, sicut hîc faciebã, capite damnarer.

EXPLICATIO.

Socrates impietatis, & corruptæ adolescentiæ fuit accusatus. Quæ crimina cùm euidentissimè diluisset: tamen ex inuidia & odio cõdemnatus est: quòd suis disputationibus & poëtarum, & oratorum, & magistratuum, & opific[um] deniq; inscientiam, falsaq; de rebus iudicia coarguisset. Horum igitur conspiratio, ut quorum autoritatem apud uulgus imminuisset, exitio illi, tanquam læsæ maiestatis reo, fuit, ueraq; condemnationis causa. Crimina uerò illa προφάσις tantùm fuerũt. Socrates, quia multos inscientiæ conuicit, ex inuidia & odio condemnatus.

CCCXXVI. SENTENTIA.

Gratiarũ actio iudicibus.

Ne uos quidem, Iudices, ij qui me absoluistis, mortem timueritis.

EXLPICATIO.

Est hæc quasi gratiarum actio, uel potius gratiæ relatio, bonorumq́ uirorum, qui in iudicando nihil nisi ueritatem & æquitatẽ spectant, & consolatio & laudatio.

CCCXXVII. SENTENTIA.

Viro bono mali nihil euenire potest.

Nec enim cuiquam bono mali quicquam euenire potest, nec uiuo nec mortuo: nec unquam eius res à Dijs immortalibus negligentur.

EXPLICATIO.

Alia est Christiana uirtus, quã philosophica.

Magnifica & planè diuina sententia est, si fundamento ueræ pietatis nitatur. Πάντα γὰρ τοῖς εὐσεβέσιν εἰς τἀγαθὸν συνεργάζεται. *(Omnia pijs hominibus felicia, fausta, fortunataq́ sunt.) Sed cùm, ipso Christo autore, nemo bonus sit, nisi Deus: & quem Deus, propter Christi meritum, iustum & bonum pronunciarit: labascit iste uerborum apparatus, & planè concidit apud eos, qui naturæ deprauatæ adminiculis sine regeneratione ex aqua et Spiritu sancto nituntur. Sed Socrates (cum aliàs ignorantiam rerum omnium præ se ferret)*

uet) nec naturæ humanæ infirmitatem & cæcitatem satis perspexit: nec diuini iudicij seueritatẽ: cui tota natura humana, propter peccati labem, sordet, intellexit. Neq; uerò id mirandum: cùm inter Christianos etiam (nomine quidem, sed non re) plerosq; inuenias, qui mediocri studio disciplinæ honestæ freti, persuasum habeant, se omni fungi officio, Deoq; esse acceptißimos, et sine ulla dubitatione, immortalitatis præmium consecuturos. Neq; uerò negandum est, bonos mores, & ciuiles seu philosophicas uirtutes, magnum esse decus: nec uel diuina uel humana destitui remuneratione: sed in his nõ sunt omnia. Oportet enim accedere, ac potius antecedere uerã suæ miseriæ, & amplitudinis diuinæ misericordiæ cognitionem, fidem, spem, charitatem. De ijs demum rectè dicitur, eos esse bonos uiros: non certè quidem suapte natura atq; industria præcipuè: sed potißimùm gratia Dei. Hi mortem timere non debent, cùm habeant Deum propicium: & à malis ad bona abducantur. Etsi autem plurimis ærumnis in hac miseriarum ualle ferè perpetuò conflictãtur: nõ tamẽ mali quicq̃ eis euenire põt nec uiuis nec mortuis. Pijs enim (ut modò dixi) D. Paulo teste, oĩa cedunt in bonũ: nec unquã eorum

res

res à Deo immortali negliguntur. Omnes e-nim capilli eorum numerati sunt. Hæc diui-na prouidentiæ & uoluntatis agnitio atq; fi-ducia, quæcunque acciderint, efficit non tan-tùm leuiora, sed etiam iucunda: & animos ad desiderium æternæ uitæ, & tumultuum flagi tiosi & scelerati. Mundi detestationem atque odium mirabiliter incitant & inflammant. Sed hæc subtilius & copiosius à Theologis dis-seruntur: nec tamen homines prauis affecti-bus indulgentes, & terrenis cupiditatibus æstuantes, multùm afficiunt. Adolescentibus tamen perpetuò cogitanda sunt: modò ij esse uelint, qui dicuntur, Christiani: & bonarum artium atq; optimarum literarum studiosi.

Magna uis est in diuinæ prouidentiæ & uoluntatis agnitione atque fiducia.

CCCXXVIII. SENTENTIA:

Nec mihi ipsi hoc accidit fortuitò.

EXPLICATIO.

Θέσιν laudare procliue est: sed eandem ad ὑπόθεσιν accommodare perdifficile: quod ta-men hîc facit Socrates, significans, se nec mor tem timere, nec quicquam sibi mali accidere, neq; suas res negligi à Deo. Magnum profectò quiddam est, uerè sentire, adduci in iudiciū capitis, duorum atrocissimorum criminum, impietatis & corruptelæ iuuentutis reum fieri:

In turpissimis criminibus, & ignominiosa morte, se Deo curæ esse statuere, arduum est.

fieri: à ducẽtis & octoginta iuratis iudicibus cõdemnari: pertrahi in carcerem: bibere aconitum: mortem ignominiosam oppetere: non esse mala: & inter hæc Deo se curæ esse, existimare. Grauissima hæ res sunt, ac penè incredibiles: proptereaq́ crebrò diligenterq́ meditandæ.

CCCXXIX. SENTENTIA.

Nec uerò ego ijs à quibus accusatus sum, aut à quibus condemnatus, habeo quod succenseam: nisi quòd mihi nocere se crediderunt.

EXPLICATIO.

Initium orationis Socraticæ est, Magna me spes tenet, *&c. quæ his uerbis terminatur. Est autem hæc anteoccupatio quædam: ne parùm constare sibi uideatur. Nihil enim mali sibi accidisse, dicere: et ijs, per quos id acciderit, succensere: non satis inter se consentiunt. Irascimur enim ijs tantùm, qui dederint damnum aut malum. Improba tamen & maleſica uoluntas, etiam sine effectu, odiosa & inuisa est omnibus: & sæpè etiã à legibus plectitur, si nihil præter facultatem nocendi, defuisse appareat. Sed improbi hominum conatus, sæpè diuinitus in contrarium uertuntur:* **Improba & malefica uoluntas, odiosa est.**

K sicut

sicut Iosephus Patriarcha suis fratribus dicit: uos quidem malè cogitastis: sed ea mihi Deus in bonum conuertit.

CCCXXX. SENTENTIA.

Et hoc quidem hoc modo. Nihil autẽ melius extremo.

EXPLICATIO.

Hæc est Ciceroniana ἐπίκρισις, id est, censura orationis Socraticæ: quasi dicat: etsi hæc præclara sunt: tamen conclusio orationis est omnium præstantissima. Sed (si liberè dicendum est) conclusio ista, præclaram superiorẽ orationem non tantùm contaminat, sed prorsus euertit, & secum ipsa pugnat. Nam suprà mortem uita longè potiorem esse affirmauit. Nunc uitáne morti, an mors uitæ præstet, dubitat: satisq́ue ostendit, magnifica ista uerba non in corde, sed in ore esse nata. Sed hic uolaticæ Academiæ mos est: quam disciplinã cùm Cicero profiteretur: instituti sui perpetuò meminit.

Epilogus exordio non consentaneus.

CCCXXXI. SENTENTIA.

Sed tempus est, inquit, iam hinc abire: me, ut moriar: uos, ut uitam agatis. Vtrum autem sit melius Dij immortales sciunt: hominem quidem scire arbitror neminem.

EXPLICATIO.

Apud Homerum frequens est, θεοὶ δέ τε πάντ' ἴσασι (sed enim dij singula norunt.) Sũt & aliæ sententiæ poëtarum, quæ humanam ignorantiam perstringant: & si quis aliquid prudenter feliciterq́ uel dicit uel agit, id Mineruæ alijs'ue Dijs acceptum referant. Quin & improbos ijdem dij poëtici sæpenumero in fraudem impellunt, sana mente adempta. Cæterùm quòd Socrates ait, num uita sit morte potior, mortalium scire neminem: non prorsus de nihilo est. Beata enim immortalitas (ut sæpè iam monuimus) magis fide Christiana, quàm scientia philosophica nititur. Hegesias quidem uitæ mortem prætulit: Epicurei inter media numerarũt: ij, qui uel supplicia Inferorum crediderunt, uel uitæ cõmoda magnifecerunt, nihil morte pestilentius, nihil detestabilius esse crediderunt.

Dij poetici humanã sapiẽtiam & conferũt & auferũt.

Variæ de morte opiniones.

CCCXXXII. SENTENTIA.

Næ ego haud paulò hunc (Socratis) animum malim, quàm eorum omnium fortunas, qui de eo iudicauerunt.

EXPLICATIO.

Rectè utiq́ sapiens magnitudo animi diuitijs & potentiæ præfertur. Quanquã iudices

Sapiẽs animi magnitudo rectè diuitijs & potentiæ præfertur.

Atticorum iudicũ sortitio & sordes.

Athenienses plerię pauperrimi fuerunt, et de pecuntola, quam ob iudicandum è publico accipiebant, uictitarunt. Vnde Isocrates in Areopagitico acriter plebem Atheniensem perstringit, sortem ante prætoria iacientem, esuriendum'ne esset, an inueniendum, quo famem depellerent?

CCCXXXIII. SENTENTIA.

Etsi quod præter Deos negat scirè quenquam: id scit ipse, utrum melius sit:

EXPLICATIO.

Necessaria ἐπιδιόρθωσις, ad diluendā eam, quam dixi, Socraticæ orationis inconstantiā & repugnantiam. Ego uerò dubito, an ipse Socrates hoc scierit: ac potius, è religionis nostræ decretis, eum toto cœlo aberrasse existimo.

Socrates à toto cælo aberrasse uidetur.

CCCXXXIIII. SENTENTIA.

Nam dixit antè. Sed suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum.

EXPLICATIO.

Epoche Socratica.

Ista ἐποχὴ καὶ διάσκεψις modestiæ quidem speciem habet, atq; (ut sæpè iam dictum est) in rebus obscuris, controuersis, dubijs, inexplicabilibus, rectè adhibetur: sed in exploratis & certis, uanitati coniunctior est quàm ueritati.

ueritati. Mortem certè quidem per se esse ma lum, Deus ipse homini patefecit: cùm sit mors pœna scelerum, & contemptus Dei atq; contumaciæ. Quòd si malum non esset: cur eam omnes animãtes, ipsius Naturæ impulsu, exhorrescerent, & pro uirili fugerent? Mors suapte natura malum est.

CCCXXXV. SENTENTIA.

Nos autem teneamus, ut nihil censea mus esse malum, quod sit à natura datũ omnibus.

EXPLICATIO.

Hæc quasi correctio est Socraticæ dubitationis: quasi dicat: nos persuasum habere debemus, certoq; tenere, mortem non esse malũ. Cur uerò? Quia diuinitus constituta est. Vtitur autem tali syllogismo: quicquid à natura datum est omnibus; id non est censendũ malum. At mors à natura data est omnibus. Ergo mors mala non est censenda. Argumentũ ducitur à causa effectrice: quæ cùm bona sit: quicquid ab ea proficiscitur, bonum esse necesse est. Hæc est κοινὴ ἔννοια, *id est, noticia diuinitus insita hominibus, hoc modo: Deus bonus est: & omnium bonorum autor, mali uerò nullius. Naturam enim sæpè philosophi κα ταχρηστικῶς pro Deo, Naturæ autore, ponunt. Neq; uerò Deus quicquam dedit hominibus,* Naturam philosophi Deum faciunt.

cæterisq́ animantibus, totiq́ naturæ rerum, nisi bonum: secundum dictum illud geneseos: Vidit Deus omnia: erantq́ ualde bona. Sed inuidia diaboli intrauit in Mundum peccatū, & per peccatum mors, πάντων τῶν φοβερῶν τὸ φοβερώτατον (omnium rerum terribiliū maximè formidabilis.) Ciceronis igitur pronunciatum hoc uerum fuit de Natura integra: de corrupta autem, uti nūc est, minimè probandum. Nam contumacia primorum hominum, & mentis lucem obscurauit, & uoluntatis rectitudinem deprauauit: unde consecuta sunt omnis generis & corporis & animi mala: ut stulticia, impietas, odium, inuidia, angores, sterilitates, pestilentiæ, bella, scelera, flagitia, morbi, miseriæ infinitæ: quas nemo non & uidet in alijs, & in semetipso plerasq́ experitur.

Mors à natura nō est data, sed à peccato.

Naturæ humanæ deprauationem secuta sunt mala omnia.

CCCXXXVI. SENTENTIA.

Intelligamusq́ si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam uitæ miseræ mors finis esse uidet̃: mors, si misera est; finis esse nullus potest.

Cicero negat, ullum esse sempiternū malum,

EXPLICATIO.

Sicut antea à causa effectrice argumentatus est: ita nunc ex absurdo consequenti, concludit idem, syllogismo Hypothetico, hoc ferè modo:

modo: si mors malum est: sempiternum est aliquod malum: quia mortis nullus finis est, ubi semel animal oppresserit. At nullum est sempiternum malum. Id enim natura respuit, & à Dei bonitate alienum est. Mors igitur malum nõ est. Et sic quidem concludit humana ratio: de qua conclusione in extremo hoc libro accuratius erit differendum. Interim teneatur hoc: si mors sit sempiternum malum, ut est: oraculum hoc horrendũ esse impijs, ac uehementissimam ad agendam pœnitentiã adhortationem: Christianis uerò non extimescendũ, quibus mors ianua & aditus est beatæ immortalitatis. Quare hi debent hoc dictum inuertere: Mors, quia beata est: sempiterna est beatitudo: cuius finis esse nullus potest.

CCCXXXVII. SENTENTIA.

Sed quid ego (Socratem & Theramenem) præstantes uiros uirtutis & sapientiæ gloria commemoro? Elogium: Viri præstãtes uirtutis & sapiẽtiæ gloria.

EXPLICATIO.

Præclarum elogium, quoq; nullum in rebus humanis maius esse potest: eaq; de causa omnibus generosis adolescentibus summa & animi & corporis contentione consectandum.

CCCXXXVIII. SENTENTIA.

Tectamenes Lacon, mortē pœnam facillimā esse ait.

Cùm Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortē tantopere contempserit, ut, cùm ad eam duceretur, damnatus ab Ephoris, & esset uultu hilari, atq; lęto: dixissetq; ei quidam inimicus: Contemnis'ne leges Lycurgi? responderit, Ego uerò illi maximam gratiā habeo, qui me ea pœna mulctauerit, quam sine mutuatione, & sine uersura (usura) possem dissoluere. O'uirum Sparta dignum: ut mihi quidē, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse uideatur.

EXPLICATIO.

Non claros tantùm uiros, sed etiam plebeios mortem contempsisse docet.

CCCXXXIX. SENTENTIA.

Contemnis'ne leges Lycurgi?

EXPLICATIO.

Contemptus legū Christianarum.

At nos Christiani (quod utinam secus esset) quoties non Lycurgi aut Solonis: sed naturæ ipsiusq; Dei leges securè nimium aut petulanter contemnimus? Sed nequaquam impunè: tot undiq; miserijs circumuenti & oppreßi: & nondum finis. Sequentur enim grauiora, nisi resipuerimus.

CCCXL.

CCCXL. SENTENTIA.

Mors est pœna, quæ sine mutuatiõe & uersura (usura) potest dissolui.

EXPLICATIO.

Facetè quidem hoc dicitur & magnificè. Verùm ita sentire, hominis est uel deplorati, uel homine superioris, id est, diuinitus illustrati. Non loquor autem de Epicureis: qui more pecudum & uiuunt & moriuntur: sed de iis, qui persuasum habent, restare iudicium de uniuscuiusq; cogitationibus, dictis & factis: quorum plerique

Vt corpus redimant, ferrũ patiũtur & ignes.

Facetũ potius dictũ, quàm uerum.

CCCXLI. SENTENTIA

O uirum Sparta dignum.

O uirum Ecclesia dignum.

EXPLICATIO.

Sparta optimè Græciæ ciuitatum fuisse morata perhibetur: & tamen eius tantæ iniuriæ commemorantur ab Isocrate in Symmachico: ut uix ea quicquam sceleratius fingi poßit. Laudantur & Romani ueteres, ob frugalitatem & constantiam animorũ. Nostra uerò in terris ciuitas est Ecclesia, ac potius cœlum ipsum: qua ciuitate utinam innumerabiles sese dignos præberent: ut omnes

meritò exclamarent: ô uiros Euangelica Ecclesia dignos. Sed cò, proh dolor, res rediјt, ut propter nos uerbū Dei malè audiat apud exteros & aduersarios. Neq; uerò id mirum est, in hac disciplinæ corruptela & prauitate. Plerique Theologiæ studiū à mendicitate auspicantur: quæ, si frugalis, & modesta, & studiosa, & pia sit: omni uacat reprehensione. Sed quid fit? Plerique patronorum liberalitate consecuti unde honestè uiuant, & absq; ullo incommodo studeant, statim lasciuiunt, ferociunt, in medios dormiunt dies, publicas prælectiones & exercitationes negligunt, genio indulgēt, in uicinos pagos compotādi gratia expatiātur, luxu uestiū & superbia nobiles sæpè & locupletissimos quosq; facilè superāt. Deinde cùm pecuniā ad discēdū suppeditatā per nequiciam uel primo mēse absumpserūt, qua per totū semestre uictitare & debuissēt & potuissent: contrahunt æs alienū, molestè flagitatores & queruli patronis facessunt negocium: nōnulli etiā malè sibi conscij desperataq; uenia, aut in militiam proficiscuntur, aut deficiunt ad aduersarios: aut certè uitæ genus aliquod liberali adolescente & homine studioso minimè dignum, sequuntur. Vt taceam interim rixas, odia, inuidiam, digladia-

Theologici studij à plerisq; nō optima fūdamenta iaciuntur.

diationes: quibus inter se certant ij, quos plus quàm fraterno amore inter se coniunctos esse oportebat. Ait Erasmus à diabolo autore prouerbiũ illud profectũ: ex angelicis pueris uiros fieri diabolicos. Sed si quis diffidat, è diabolicis studentibus concionatores angelicos extituros: is profectò diffidentiæ suæ nimis graues causas habere uideatur. Quòd si ipsos doctores, auaritiæ, libidinum, ambitionis, superbiæ, luxus, mancipia esse apparuerit: quid erit ab eorum auditoribus expectandũ? Sed nos hæc Deo committamus. Admonendi tamen fuerunt ij, qui sanabilibus sunt ingeniis, ne multorũ peruersitatem imitentur: sed perpetuò meminerint, quid Deo, quid Ecclesiæ, quid Reipublicæ, quid patronis, parentibus, præceptoribus, deniq; sibimetipsis (modò salui esse uelint) debeant: idq; præstare anxiè soliciteq; studere debent. Nam ita profectò (ut Cicero scribit de sua ætate) creuit adolescentiæ licentia, ut omnium opibus coërcenda esse uideatur.

Angelici pueri.

Studentes officij sui meminisse debent.

CCCXLII. SENTENTIA.

Vt mihi quidem (*Thectamenes*) qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse uideatur.

Magnitudo animi in morituro, innocẽtiæ signũ.

EXPLICATIO.

Conscia mēs ut cuiq; sua est: ita cōcipit intra
Pectora pro facto spemq; metumq; suo.

Phocionis mors. *Phocion, Atheniensis Imperator, uir innocentia & sanctitate uitæ, rebusq; plurimis fortiter gestis clarissimus, cùm iniquissimi populi tyrannide uenenum bibere cogeretur: & uxor exclamaret* innocens moreris mi uir: Quid? *inquit.* Num tu me nocentem malles? *Idem etiam rogauit amicum, ut carnifici precium ueneni flagitāti, satisfaceret: adiecta hac conquestione, quòd in ciuitate ingratissima ne mori quidem gratis liceret. Sed ista magnitudo animi sine pietate, nihil est, nisi ludibrium diaboli, mentisq; cæcitas: diuini iudicij seueritatem non intelligentis. Christianos quidem martyres, animorū constantia innocentes esse, Deoq; charos, declarauit: qua uel sola impulsi multi, Christianismum sunt amplexi: à quo nunc Iudæi, Turci,* Nostri mores à nobis alienant alios. *Idololatræ, propter flagitiosam nostram uitam & sceleratos mores, uehementissimè abhorrent.*

CCCXLIII. SENTENTIA.

Romani, uiri fortes. Tales innumerabiles nostra ciuitas tulit. Sed quid duces & principes nominem?

nem? cùm legiones scribat Cato sæpè alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur.

EXPLICATIO.

Vtitur ἀποδιώξει, siue ne prolixum texat catalogum ducum & principum: siue numero destitutus innumerabili. Facilius enim iactantur talia, quàm probantur. Etsi uerum est & Reges & Consules plerosque, atque intra DC. *annos plurimos extitisse fortißimos uiros,* animæq; magnæ prodigos: *ut Horatiana dictione utar. Miles porrò cordatus (quales Romani ferè omnes olim fuerunt) & magnanimus quid aliud (nostra præsertim ætate, inter tot & tanta bellica tormenta) expectet, nisi mortem? Vilis igitur ei uita est, uel ex officij neceßitate: uel ex desperatione & inopia: quam aliis affert ignauia, & fuga laboris, atque luxus: aliis scelerum conscientia: aliis temeritas & animi petulantia. Hi Horatianum illud in promptu habent:*

Miles ad certã proficisci mortem uidetur.

Quid enim? concurritur: horæ
Momento cita mors uenit, aut uictoria læta.

Nauigatio Peregrinatio.

Idem & de longinquis itineribus, & de nauigationibus, quod de militia dici potest.

Quot

Quot enim pericula obijciuntur, pestilentiæ, famis, latrociniorum, tempestatum, æstus, frigoris, incendiorum, præcipitationũ, submersionum? Quanquã etiam de iis ipsis, qui domi in tuto uiuere uidentur, illud Senecæ dici rectè potest:

οἰκουρία.

Nemo tam diuos habuit fauentes
Crastinum ut posset sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Cardine uersat.

Cõsilium. *Itaq; consultissimum est, quicquid uel necessitas flagitat, uel officij ratio postulat, implorata diuina ope, magno & alacri animo suscipere, casus omnes prospicere, & pro uirili cauere, deniq; diuinæ prouidentiæ euentũ committere, & æquo animo ferre, quicquid diuinitus acciderit.*

CCCXLIIII. SENTENTIA.

Pari animo Lacedæmonij in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides,

Dic hospes Spartæ, nos te hic uidisse iacentes,
Dum sanctus patriæ legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti, Lacedæmonij: hodie apud Inferos fortasse cœnabimus.

EXPLICATIO.

Plutarchus ita refert: τοῖς στρατιώταις παρ

ηγ-

ἤγγειλεν ὁ λεωνίδας ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ᾅδου διαπνησομένους. (*milites monuit Leonidas, ut prandium pararent, tanquam apud Inferos cœnaturi*) Itaq; prandete, pro pergite, *non malè uidetur legi. Significauit, eos sub cœnæ tempus fore mortuos, atq; ultimum id illis prandium futurum: quò largius ederent atq; biberent, eoq; maiore & corporum & animorũ robore hostes inuaderent. Quòd si Leonidas per Inferos, Christiano more, Inferorũ supplicia & cruciatus intellexisset: nõ uiri fortis, sed hominis amentis ea esset oratio. Dei clementia prohibeat istas cœnas apud Inferos: & nos pro uirili caueamus: demusq; operam, ut nouum illud nectar in regno Christi bibamus. Sed & nostra memoria quidam Pannonius ante conflictum infelicem Ludouici Regis, cùm potentißimis Turcorum copiis, cùm milites ad strenuè pugnandum exhortatus esset, ut (si peßimè res caderet) apud Superos cœnaturos: Italus quidam facetè magis quàm fortiter, se eo die incœnatum uelle cubitum ire, dixit, seq; clanculum subduxit.*

Apage cœnas Inferorum.

CCCXLV. SENTENTIA.

Fuit hæc gens (Laconica) fortis, dum Lycurgi leges uigebant: è quibus unus,

cùm

Faceta inuersio. cùm Perses hostis in colloquio dixisset glorians, Solem præ iaculorum multitudine & sagittarum non uidebitis: In umbra igitur, inquit, pugnabimus.

EXPLICATIO.

Disciplina præstat legibus. *Eæ leges magis occupatæ fuerunt in moribus ciuium, ad frugalitatem, parsimoniam, continentiam, laborem, fortitudinem, concordiam, æqualitatem possessionum quandã, formandis, prohibendoq́ue luxu & auaricia: quàm in diiudicandis forensibus controuersiis, aut præmiis & suppliciis constituendis. Ac præmium quidem uirtutis, Lacedæmone fuit, honos & magistratus: pœna uerò plerunque contemptus & ignominia: rarò exilium, carcer, aut mors. Operam enim pro uirili dedit Lycurgus, ut ea esset disciplina ciuitatis, ut ne quis uellet improbè facere: cauitq́ue sedulò, ne domestica instituta peregrinis uitiis (id quod Germaniæ nostræ, proh dolor, accidit) corrumperentur. Qua de re præclarè scribit Xenophon ά παιδείας Κύρε (primo libro institutionis Cyri.) Et Isocrates noster, cùm alibi, tum in Areopagitico: qui & in oratione de pace pronunciat: ὅτι ἡ ἀρχὴ τῆς θαλάττης ἀρχὴ τῶν κακῶν τοῖς λακεδαιμονίοις*

μονίοις ἐγένετο (principatum maris malorũ principium Lacedæmoniis extitiſſe) idq; in Panathenaico exequitur copioſius. Prædixerat & Apollo: ὅτι ἁ φιλοχρηματία τὰν σπάρταν ὀλέσει (fore ut pecuniæ cupiditas Spartã perderet.) Verba FVIT *&* HABVI, *de bonis honeſtisq; rebus uſurpata, miſeriam & uiu perationem ſignificant:* ut, fuimus Troes: &, Imò habui Chremé: &

FVIT. HABVI.

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι

(Fuere quondam ſtrenui Mileſii.

Qui charientiſmus ſeu εὐφημισμὸς *elegãs, ſignificat, eos degeneraſſe, luxu corruptos: unde legatis illorũ quodã tẽpore parùm decorè ſe gerentibus, Lacedæmonij edixerunt:* οἴκοι τὰ μιλήσια *(domi uiuite more Mileſio) & aliàs immodeſtiã urbanè illis obiecerunt, cùm dicerent: ſe non obſtare Mileſiis, quò minus flagitiosè facerent. Laconicæ porro diſciplinæ præclarum ſpecimen continent tres uerſiculi, à ſenibus, iuuenibus, & pueris in ſolennibus conuentibus decantari ſoliti:*

Laconicæ diſciplinæ ſpecimen.

Ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.

Nos olim fortes fuimus adoleſcentuli.

Ἄμμες δ' ἐγ' ἐσμὲν: αἰ δὲ λῇς, πεῖραν λάβε.

At nos ſumus. Fac, ſi libet, periculum.

Ἄμμες πόκ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες.

Senum γερόντων. Virorum ἀνδρῶν. Puerorum παίδων.

Nos fortiores ſimus ut, ſtudebimus.

Quibus cantilenis ſe mutuò ſunt, hoc memorabili & ad imitandum utiliſſimo exemplo, ad uirtutem cohortati. Nunc uerò plerunque ſenes adoleſcentiam, adoleſcentes puericiam uitioſis moribus contaminant: ut ferè nihil ſit reliquum, niſi ut exempla uirtutis è literis petantur potius, quàm è uita noſtrorum hominum.

Exempla uirtutis rara ſunt.

CCCXLVI. SENTENTIA.

Viros commemoro: qualis tandem Lacæna? Quæ cùm filium in prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet: idcirco, inquit, genueram, ut eſſet, qui pro patria mortem (morti) non dubitaret occumbere.

EXPLICATIO.

Mulier hæc ſine philoſophia (quæ, ut & eloquentia, Spartæ haud magno in precio fuit) philoſophicè locuta, intellexit, liberos patriæ ſaluti & dignitati ſeruire oportere: totamq́ue educationis & inſtitutionis rationem eò accõmodandam eſſe. Alia Lacæna, cùm filio clypeum traderet, quæ Græcè ἀσπὶς dicitur, ſubiecit, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς: monens, ut aut uictor è bello excederet, aut fortiter interfectus, in patriam

Liberi ſunt ad patriæ ſalutem & dignitatẽ educandi.

triam

triam in clypeo (quem abiecisse militi turpissimum fuit, ut & ἐῤῥίψασπις conuicium grauissimum) reportaretur. Christiani uerò dare debent operam, ut liberi sui è diaboli mancipijs (tales enim omnes nascimur: id quod Christus testatur, negans, cuiquam patere aditum ad regnum cœlorum, nisi renato ex aqua & spiritu sancto) filij Dei euadant. Quam ad rem magno studio & labore in tot pessimis exemplis, & tam perplexis opinionibus, uehementer est opus. Christianorum officium.

CCCXLVII. SENTENTIA.

Esto: fortes & duri Spartiatæ. Magnã habet uim reipublicæ disciplina. Quid? Cyrenæum Theodorum, philosophum non ignobilem, non'ne miramur? Cui cùm Lysimachus rex crucem minaretur: Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis. Theodori quidem nihil interest: humi'ne an sublime (alij, in sublimi) putrescat. Etiã philosophi possunt esse fortes.

EXPLICATIO.

Mortem esse cõtemnendam uarijs exemplis inter se permistis, hominum politicorum, philosophorũ, imperatorũ, militũ, mulierum deniq́, Cicero docere instituit: postremoq́, locosciтè dictũ philosophi adiũgit, quò cõmodè Ab exẽplis cõtemptæ mortis, trãsitio cõmoda ad negligẽdam sepulturã.

ad disputationem de sepultura transiret. Et hanc quoque non magnopere curandam esse, exemplo Theodori, Socratis, Diogenis, Anaxagoræ, Magorum, Hyrcanorũ docere instituit. Viri enim sapiẽtis parùm ac nihil potius interesse, q̃d cadaueri accidat nihil sentienti, siue uigeat animus siue occiderit. Ac locum hunc contrariis uulgi exemplis, quæ poetæ secuti sunt, Persarum item & Aegyptiorum per contentionem illustrat. De uario autem sepeliendi genere & ritu extat Gyraldi libellus.

CCCXLVIII. SENTENTIA.

Cuius hoc dicto admoneor, ut aliq̃d etiam de humatione & sepultura dicendum existimem: rem nõ difficilem (prope non difficili) iis præsertim cognitis, quæ de nihil sentiẽdo paulò ante dicta sunt. De qua Socrates quidẽ quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo iam tam multa diximus. Cùm enim de immortalitate animorum disputasset, & iam moriendi tempus urgeret: rogatus à Critone, quemadmodum sepeliri uellet, Multam uerò, inquit, operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auo-

latu-

latum, neque quicquam mei relictum. Veruntamẽ, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris: ut tibi uidebitur, sepelito. Sed, mihi crede, nemo me uestrum, cùm hinc excessero, consequetur. Præclarè id quidẽ, qui & amico permiserit, & se ostenderit de toto hoc genere nihil laborare. Durior Diogenes, & idem quidem sentiens: sed, ut Cynicus, asperius, projici se iussit inhumatũ. Tum amici, Volucribus'ne & feris? Minimè uerò, inquit: sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti? Præclarè Anaxagoras: qui cùm Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, uelletne Clazomenas in patriã, si quid accidisset, afferri? Nihil necesse est, inquit: undiq; enim ad Inferos tantundem uiæ est.

Socrates, sepeliri se posse negat.

Diogenes insepultũ se iubet projici.

EXPLICATIO.

Exempla & dicta hæc faceta satis perspicua cùm sint: enarrationem non magnopere desiderant. Sed attingamus tamẽ unum atque alterum.

CCCXLIX. SENTENTIA.

Mortui hinc auolant, neque quicquã

ſui relinquunt: nec eos quiſquam, cùm exceſſerint, conſequitur.

EXPLICATIO.

Mortui intellıgũtur hìc mortuorum animi, quos Manes appellant. Ac illi quidem ſua corpora fortunasq́, & nominis ſui memoriã, ſiue bonam, ſiue malam, poſt ſe relinquunt. Sed hæc ſunt extra ipſos. At ij qui nunc uiuunt, eos qui mortui ſunt, ita conſequuntur, ut nemo deniq́ ſuperſtes maneat. Itaq́ uulgò non malè dicunt, mortuos non eſſe amiſſos, ſed præmiſſos, nec ſcire quenquam, quis ſit ultimum ſepulturus? Hîc uerò conſequi *pro* aſſequi, *& quaſi in itinere adipiſci, ponitur. Volantia porro ſectari prouerbio uetamur. Significat autem Socrates (ut & à Platone ſcriptum eſt)* ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος τὸ ὁρώμενον *(hominem non eſſe id, quod in oculos incurrat)ſed mentem eſſe hominem, quæ & incorporea ſit, & immenſæ celeritatis. Huc dictum Achillis apud Actium pertinet: Corpus (ad quod totam humationis rationem pertinere Cicero dicit) Priamo reddidi: Hectorem abſtuli. Fama uerò uirtutis, rerumq́ geſtarũ, non eſt mortuorum (qui illam uel non ſentiunt, uel non curant, maioribus ſiue bonis ſiue malis occupati)ſed eorum, qui illa celebrant.*

Mortui, præter cætera, ſui memoriam relinquunt.

Mortuorũ fama pertinet ad uiuos.

Redit

Redit inde aliquãdo etiam fructus aliquis ad hæredes & posteros. Hic admoneor dicti patris mei Georgij Vuolfij, præfecti Comitatus Oetingensis: qui non multò ante obitum dicebat, nos, liberos suos, fidelis operæ, quam heris suis nauasset, fructum esse capturos. Nec eum omnino suum fefellit augurium. Ludouicus enim Comes, Ludouici F. Vuolfgangi N. ut nihil dicam quod sororibus & fratri meo D. Henrico, philosopho & physico Norimbergẽsi præstiterit: me singulari beneuolentia prosecutus, ad se pertraxisset: nisi Augustanæ reipublicæ fidem meam astrinxissem. Et tamen uetus est illa Pindarica querela: immemores esse mortales: ueteremq́; gratiam dormitare, id est, ueterum beneficiorum uel exiguã uel nullam potius rationem haberi.

CCCL. SENTENTIA.

Nihil necesse est, in patriã, si quid homini acciderit, auferri mortuum: cùm undiq; ad Inferos tantundem uiæ sit.

EXPLICATIO.

Sensit Anaxagoras, cadaueris nihil interesse, ubi aut quomodo sepeliatur. Neque uerò hic philosophari necesse est, in terræ globosæ medio esse Inferos: unde omnes lineæ ad ambitum ductæ, sint æquales. Iocus enim

Iocus Anaxagoræ de sepultura.

est: quo significauit philosophus, non metuendam esse mortuis longi itineris defatigationem: qualis fertur moribundi scurræ cuiusdam, qui sibi gratularetur, quòd in cœlum (ut fert phrasis nostra) peruehendus esset: in tanta præsertim uirium defectione, ut ne paucos quidem passus ambulare posset. Festiuus est & Diogenis cum amicis suis dialogismus, de inani sepulturæ solicitudine. Sunt tamen, qui reipublicæ interesse censeant, quo loco uiri præstantes sepeliantur: quòd nescio quod in ea re insit augurium. Refertur & mira historia de Scythis, qui gleba & aqua impetrata à Pannoniis, totã regionẽ occuparint. Magica ista fortasse sunt, eoq; cauenda diligentius, ne cui sit sua facilitas exitio.

CCCLI. SENTENTIA.

Totaq; de ratione humationis, unum tenendum est: ad corpus illam pertinere: siue occiderit animus, siue uigeat. In corpore autem perspicuũ est, uel extincto animo, uel elapso, nullũ residere sensum.

Corpus non desiderat sepulturam.

EXPLICATIO.

Sepulturam uiuentium potius quàm mortuorum causa inuentam esse, probabile est. Accessit deinde religio nescio quæ: ac

ac potius superstitio, de errabundis insepultorum & tumultuosis animabus: quas poëta Charontem traÿcere Stygiam paludem, non nisi accepto obolo, qui defunctis in ore poneretur, negauerunt. Commemoratur tamē mirum à Plinio exemplum, & alia non dissimilia complura referuntur, non à uulgo tantum, sed & à sacris & profanis scriptoribus: de quibus suo quisque iudicet arbitratu. Ego me ignorare multa & dubitare, ingenuè fateor. πάντα γὰρ τὰ εἴδικα ἐν τοῖς βιβλίοις ἐ πεφανέρωται. Superstitiosa sepulturæ opinio.

CCCLII. SENTENTIA.

Sed plena errorum sunt omnia.

EXPLICATIO.

Quia (ut alibi scribit) stultorum plena sunt omnia: neq; stulticia quicquā aliud est, quàm caligo quædā ingenÿ & error opinionis, orta potissimum (ut Physici tradunt atq; Astrologi) ex immodico humore & frigore cerebri, maloq; Mercurÿ & Saturni positu. Etsi Theologi quidam semper adiunctum esse aliquid diabolicum, existimant. Sed errores in rebus domesticis & ciuilibus, philosophia, id est, recta ratio: in diuinis, Theologia, id est, diuina ratio studet tollere: & è stultis facere sapientes. Vtraq; igitur & expetenda est & Quia stultorum, etiam errorū plena sunt omnia. Errorum correctio.

colenda, aut certè posterior: qua contentum uulgus esse oportet, quòd ei priorē assequi nōn licet. Quātus uerò error est eius, qui metuit, laceratis membris ne minus bene utatur: ne combustis, non extimescit? Sic potius erat argumentandum: si laniatus ferarum & uolucrum nocet cadaueribus: quantò magis eadē uastat ignis? Et per consequens, insepultum abijci præstat, quàm cremato cadauere sepeliri. Eodem pertinet illud etiam: Sed quid singulorum opiniones animaduertam? nationū uarios errores perspicere cùm liceat? *Qui quidem errores eiusmodi sunt propter deprauationem inueteratæ consuetudinis, ut summæ sapientiæ titulum sibi arrogent: quiq; secus senserit aut fecerit, insanire & impietatis reus esse uideatur. Quæ uerò causæ atq; origines superstitionum Hyrcaniæ & Magorum fuerint: alijs exquirendum relinquo. Aegyptij autem, Persæ, Romani, uidentur ista ratione tum charitatem suam erga defunctos, tum uetustatem nobilitatis suæ ostentare uoluisse. Vtcunq; sit: & difficile & periculosum est, pugnare cum opinionibus & moribus sui loci suiq; seculi: contraq; et necessarium & utile uidetur* ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον *(uiuere more suæ regionis.) Idq; probaretur,*

Crematio laceratione pnicio sior esset, si quid sentirent cadauera.

Varij gentiū humationis rit9.

Consuetudini, quoad fas est, cedendū.

aretur, si uera esset Ciceroniana definitio iusticiæ: quam ait, esse obtemperationem legibus scriptis, & institutis populorum. Ac id quidem non recusandum est, quatenus salua religione & honestate licet. Nam alioqui uel ad extremos Garamantes profugere præstiterit, aut in solitudine degere, aut etiam mortem oppetere (id quod fecerunt sancti martyres, & complures uiri graues & honesti) quàm scrupulum inijcere conscientiæ: quæ omnem ludum & iocum (in agone mortis præsertim) auersatur. Huc referatur & hoc dictum: Magno hæc in errore uersantur: portum esse corporis, & requiescere in sepulchro putare mortuum. *Quam tamen siue metaphorã siue Catachresin Christiana doctrina, propter futuram resurrectionem, adeò non repudiat, ut ea etiam delectetur, ipsamq́; mortem piorum nihil aliud, nisi somnum, appellet.*

CCCLIII. SENTENTIA.

Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum & sentire credo putat. Ergo hic (hunc) ulciscitur, ut quidem sibi uidetur. At illa sicut acerbissimam rem mœret: Cadaueris nihil inter est, quomodocunque tractetur.

Vidi, uidere quod me paſſa ægerrimè,
Curru Hectorem quadriiugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector? melius Actius (Attius) & aliquando ſapiens Achilles:

Imò enim uerò corpus Priamo reddidi,
Hectorem abſtuli.—

Non igitur Hectora traxiſti, ſed corpus quod fuerat Hectoris. Ecce alius exoritur è terra, qui matrem dormire nõ ſinat:

Mater te appello q̃ curã sõno ſuſpẽsã leuas.
Neq; te mei miſeret, ſurge, & ſepeli natũ.

Hęc cùm preſſis & flebilibus modis, qui totis theatris mæſticiam inferant, concinuntur, difficile eſt non eos qui inhumati ſunt, miſeros iudicare:

—priuſquam feræ,
uolucresq;:

metuit, ne laceratis membris minus bene utatur: ne combuſtis, non extimeſcit.

Heu reliqas ſemiaſſi Regis denudatis oſſib.
Per terrã ſanie delibutã fœdè diuexarier.

Non intelligo quid metuat, cùm tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiam. Tenendum eſt igitur, nihil curandum eſſe poſt mortem, cùm multi inimicos etiam mortuos pœniantur. Execratur luculentis

dis sanè uersibus apud Enniũ Thyestes, primùm ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc sanè: talis enim interitus nõ est sine graui sensu. Illa inania; Thyestis aduersus Atreũ inepta execratio.

Ipse summis saxis fixus asperis, (bo;
Euisceratus latere pendẽs, saxa spargẽs ta
Sanie, & sanguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni uacabunt, quàm ille latere pendens, cui se hîc cruciatũ censet optare. Quàm essent dura, si sentiret: nulla sine sensu sunt. Illud uerò perquam inane:

Neq; sepulchrum quò se recipiat, (quo recipiatur) habeat, portum corporis,
Vbi, remissa humana uita, corpus requiescat à malis.

Vides quanto hæc in errore uersentur, portum esse corporis, & requiescere in sepulchro putat mortuum.

CCCLIIII. SENTENTIA.

Trahit Hectorem ad currum religatũ Achilles.

EXPLICATIO.

Sicut suprà solicitudinem de sepultura superuacuam esse, exemplis Cyrenæi, Theodori, Socratis, Diogenis, Anaxagoræ docuit: itnaq; ostẽdit, cur rectè negligatur sepultura: quòd

quòd cadauer omni sensu careat: ita nũc κατ' ἀντίθεσιν profert exempla poëtarum, quæ uulgi opiniones repræsentant, & τὰ δέοντα τοῖς γινομένοις conferendo, exagitat ineptas multorum opiniones.

Poetæ uulgi opiniones exprimunt.

CCCLV. SENTENTIA.

Achilles fortior q̃ sapiẽtior.

Aliquando sapiens Achilles.

EXPLICATIO.

Alludit ad descriptiones Achillis apud Homerum aliosq́ poëtas, qui non tam sapientiã illi, quàm militarem fortitudinem, cum insigni arrogantia & crudelitate coniunctam tribuunt.

CCCLVI. SENTENTIA.

Corpus Priamo reddidi, Hectora abstuli.

EXPLICATIO.

Animus est homo.

Significat, animum hominis uerè esse hominem, nõ corpus: quod Platonici carcerem, alij diuersorium animi appellarunt. Sed ut iam sæpius dictum est, homo constat ex mortali corpore, & animo immortali: quarum partium neutra per se hominem constituit.

CCCLVII. SENTENTIA.

Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortẽ, cùm multi inimicos etiã mortuos pœniantur.

EXPLICATIO.

Postrema uerba uidentur ex antiquo poëta sumpta. Pœniuntur *enim pro* puniunt, *est ἀρχαϊσμὸς, constans mutatione diphthongi in prima syllaba, & generis in extrema. Sed quod Cicero hic scribit, id ipsi usu uenit, in triumuirali proscriptione, amputato capite & manibus, atque in Rostris collocatis: cùm quidem Fuluia, Antonij uxor, linguam eius, qua contra maritum perorasset, aciculis antè compunxisset. Ac fieri potest, ut hoc Ciceroni prædictum fuerit à Chaldæis. Qua de causa etiam locum hunc accuratius tractauerit. Etsi crudelitatis in occisos hostes satis multa exempla extant & in Tragœdijs, & in historijs. Creon Thebanus apud Sophoclē & Euripidem Argiuos, qui urbem oppugnarant, & Polynicen sepeliri uetat: Xerxes Leonidæ cadauer, propter ingentem ab eo Persarum stragem editam, in crucem tolli iussit: neq; ignotum est, quibus contumelijs non ita pridem, Casparis Colignij, classis Gallicæ præfecti & Petri Rami, professoris Regij, cadauera fuerint affecta, post cædem crudelissimam.* Cicero suo cadaueri uaticinatur.

CCCLVIII. SENTENTIA.

Naufragio interire, non est sine graui sensu.

EX

Horatius. Illi robur & æs triplex circa pect⁹ erat, qui fragilē truci cōmisit pelago ratem prim⁹: nec timuit prę cipitē Africum decertantē Aquilonibus: Nec tristes Hyadas: nec rabiē Noti.

Ibi enim tota rerum natura cum horrendo fragore, & terribili facie in hominum exitium conspiraſſe uidetur: decumani fluctus, ſcopuli rigidi, procellæ uentorum, fulmina, grando, tonitrua, tenebræ, marinæ belluæ. Quid iam dicamus de bellis naualibus, et tormentorum uiolentia? ubi non tantùm ferro, ſed & igni & uenenis pugnatur. Quæ quidem, ſi terreſtribus pugnis comparentur: ludus hæ & iocus eſſe uideantur. Vt enim quidam dixit, quantum pax bello præſtet, tantò ſeditionem bello deteriorem eſſe: ita non incōmodè idē ad marina et terreſtria bella transferri poteſt. Quàm enim horrendum ſpectaculum eſt, aliquot centurias fortium uirorū, uno momento, uel in aquis ſubmergi, uel conflagrare? Et tamen, ut canit Horatius,

—Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per uetitum nefas.

Neq; uerò Comicus tantùm ſeruulus fortunatum eum cenſet, qui mare nunquam fuerit ingreſſus: ſed Catonem quoq; pœnituit nauigaſſe, quò terreſtri itinere puenire licuiſſet.

CCCLIX. SENTENTIA.

Magna culpa Pelopis, qui nō erudierit filiū, nec docuerit. quaten⁹ eſſet qdq; curandū.

EXPLICATIO.

Pelopa dici Plato censet, ὅτι τὰ πέλας μόνον ὅπωπε (quòd ea, quæ ante pedes essent, tantummodo uideret, nec consuleret in longitudinem.) Ac Plato rectè hoc dicit, æquitatem spectans, & pœnas improborum. Sin externũ splendorem consideres: longè lateq; uidit, relicta Pelopidarũ celeberrima familia: & Apiæ nomine in Peloponnesum mutato. Ceterùm Platonicos Pelopas pleraq; locupletes familiæ habent, & nihil nisi Pelopidas procreant. Eadem enim culpa, quæ Pelopis, est maximæ partis hominum diuitum & potentium: qui liberos suos nõ tam ad uirtutem & sapientiam, quàm ad ostentationem, auariciam, luxum instituunt: ut, quales ipsi sunt, tales & filij fiant, πρόβατα χρυσόμαλλα (oues aureo uellere) ut à Diogene Cynico uocabantur. Quod quidem boni cõsulendum esset (nam lanæ aliquid ijs detonderi posset) nisi aut in lutulentos apros, aut in rapaces lupos, & cruentos leones degenerarent.

Diuites plerique sunt Pelopes, id est, malè instituunt suos liberos.

CCCLX. SENTENTIA.

Sed quid singulorum opiniones animaduertam, nationũ uarios errores perspicere cùm liceat? Condiunt Aegyptij mortuos, & eos domi seruant: Persæ etiã

Varij sepeliẽdi ritus.

cera circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneāt diuturna corpora. Magorum mos est nō humare corpora suorum, nisi à feris sint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes: optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse. Sed pro sua quisq; facultate parat, à quibus lanietur: eamq; optimam illi esse censent sepulturā. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus.

EXPLICATIO.

Ne hæc quidem admodum interpretem desiderant: & paulò antè nonnihil de his diximus.

CCCLXI. SENTENTIA.

Sed ita tetra sunt quędam, ut ea fugiat & reformidet oratio (id est, ut uir honestus ea commemorare non audeat. Eleganter res posita est pro persona. Primò autem de officijs dicit: Quædam ita fœda, ita tetra esse: ut ea uir bonus, ne patriæ quidem cōseruandæ causa, facturus sit. Ea Posidonium collegisse permulta: sed ita tetra quædam, ita obscœna: ut dictu quoq; uideantur turpia.)

EX-

EXPLICATIO.

Prudentiæ igitur modestiæq́ est, talia uel per ambages quasdam (si necesse sit) & κατ' ἀποσιώπησιν καὶ παράλειψιν (ut Cicero hîc facit) significare: uel (si liceat) planè dißimulare. Stoici autem εὐθυρρήμονες γινόμενοι, & ligonem ligonem (secundum prouerbium) & ficum ficum nominantes: urbanitatem istam parùm curarunt, Cynicis in hoc non admodum dißimiles. Sed cùm delicatißimus & fastidiosißimus sit sensus aurium: καὶ μέτρον τοῦ λόγου, οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ' ὁ ἀκούων: uidendum est quatenus sermo delectationem habeat: aut saltem offensione careat. In uulgaribus congreßibus multa dicuntur & fiunt ab imperitis & craßis hominibus (& quidem cum approbatione uulgi) quæ turpißimũ fuerit apud uiros doctos & graues inculcare: nec mediocris adolescēti labor capiēdus est in dediscēdo plebeia ꝓuerbia, & scurriles iocos, et ꝗcq̄d cũ modestia et grauitate pugnat. Sicut aũt Demosthenes sapiēter ait: Non exiguũ esse beneficiũ mederi aurib. hominũ: ut uera et salutaria falsis et ꝑniciosis anteponãt: ita ẽt ꝓclarè de adolescẽtia meretur ꝗ līguæ illi⁹ medicinã adhibet, eãq́ à popularib. ineptijs, et intẽꝑijs reuocat: cuiusmodi sunt friuolæ deierationes,

Turpia uel dissimulāda sunt, si licet: uel ꝑ ambages significanda.

Adolescẽti dediscẽdæ sunt plebeiæ ineptiæ.

obscœna prouerbia, contumeliosa scommata, inurbanæ reprehensiones, futiles execrationes, immania conuicia, & reliqua sentina huius generis, nō modò pessimè obolens naribus politorum hominum: sed etiam sæpenumero causa inimicitiarum, uulnerū, homicidiorū.

CCCLXII. SENTENTIA.

Totus igitur hic locus (de sepultura) est contemnendus in nobis, non negligendus in nostris: ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire sentiamus. Quantum autem consuetudini famæq; dandum sit: id curent uiui: sed ita, ut intelligant, nihil ad mortuos pertinere.

EXPLICATIO.

De funebribus cerimonijs nō omnes idem sentiunt.

Funebres cerimonias Cicero iudicat ἀδιάφορους (eiusmodi esse res, quæ utcunq; administrentur, parùm referat) alij, iuris naturalis atq; adeò diuini, esse contendunt: & pertinere ad mortuos: & uiuorum esse, ut curent: idq; colligunt ex consensu totius ferè humani generis. Qua de re etiam initio huius disputationis actum est. Mortuorum quidem corpora, etsi nihil sentire (uel extincto animo, uel elapso) extra controuersiam est: tamē interfectorum sepultura (quam ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν

νεκρῶν Græci dicunt) olim etiam ab hostibus impetrari solebat per inducias: & qui eam negabant, atq; inimicos etiã mortuos puniebant: crudeles, impij & nefarij habebantur, ut Tragœdiarũ exempla docent: ob id fortasse, quòd crediderunt, erraticos esse Manes insepultorum, ut ait Beroaldus: & apud poëtas multi sepulturam postulant: quòd alioqui à cymba Charontis repulsi, quasi in exilio, incertis uagari sedibus necesse habeant.

CCCLXIII. SENTENTIA.

Sed profectò mors tũ æquissimo animo oppetitur: cùm suis se laudibus uita occidens cõsolari potest (id est, cùm homo moriturus recordatur, se laudabiliter uixisse.)

EXPLICATIO.

Bona conscientia (ut bona fama non sequatur. Premimur enim sæpè falsis præiudicijs) non exiguum sanè est & in uita & in morte solatium. Gloria uerò, quamuis uiuentes delectet: nescio tamen quantum iuuet morituros. Sed quis omnium in hac deprauatione & naturæ & consuetudinis, tam diligens, tam cautus, tam bene sibi conscius est: quin idem, si non flagitiorum & scelerum, at prauorum affectuum, dubitationum de rebus diuinis,

Recordatio actæ uitæ plures terret, quã cõsolatur.

uinis, errorum, prætermißi frequēter officij, & commißi eius, quod nō factū oportebat, sibi sit conscius? Melanchthon dicere solebat, mortalium esse neminē, quin acerbos aliquos diaboli morsus sentiret: alludens ad illud dictum geneseos, cùm Deus ipse serpenti, id est, diabolo uaticinatur: fore ut semen mulieris cōterat illi caput, & ipse insidietur calcaneo eius. Firmißima igitur & unica morituro cōsolatio est, diuinæ clementiæ & misericordiæ fiducia, propter illud ipsum mulieris semen, quod serpētis caput cōtriuit, hoc est, ꝓpter dominū & seruatorē nostrū Iesum Christum.

Morsus diaboli.

Fiducia ob semen mulieris.

CCCLXIIII. SENTENTIA.

Nemo parū diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus est munere.

EXLPICATIO.

Platonica idea, & Stoicum somnium est ista perfectio: cùm humana omnia sint infinitis erroribus & peccatis contaminata, & innumeris impedimētis atq; calamitatibus obnoxia. Sed Cicero perfectionē eam dicit, ōpinor, quæ cadit in mediocrem hominē, et eum, qui populari cōsuetudine uir bonus perhiberi solet. Nam si perfectißima forma & expressa uirtutis imago spectetur: mortaliū nemo, tametsi Mathusalæ ætatem superarit, qui non

Perfectæ uirtutis inane somnium.

parùm

parùm diu uixerit, reperietur. Id quod ipse Cicero in libris de officijs ingenuè confitetur, his uerbis: Sed nos ueræ germanæq́ iusticiæ nullã solidã & expressam imaginẽ habemus: simulacris quibusdam tantùm utimur: quæ utinã teneremus. Ducuntur enim ex optimis naturæ fontibus.

CCCLXV. SENTENTIA.

Multa mihi ipsi ad mortem tempestiua fuerunt: quæ utinam potuissem obire (id est, Sæpè ita mecum actum est, ut mori debuerim. Sed prohibitus fui, tum spe rerum meliorum, tum cohortationibus amicorum. Obire ea, quæ ad mortẽ tempestiua sunt, nihil aliud est, quàm tempestiuè mori.) Nihil enim iam acquirebatur: cumulata erant uitæ officia: cum Fortuna bella restabant.

Cicero cõsulatu abiens, feliciter uidetur fuisse moriturus.

EXPLICATIO.

Vix quisquã est, cui non in uita paulò longiore cõplura obijciãtur, quæ maturiore morte euitata esse uellet: cuiusmodi est illud Virgiliani Aeneæ, tempestate conflictantis:

In uita diuturna sæpè homini acciduñt morte acerbiora.

O terq́ quaterq́ beati
Quis ante ora patrũ, Troiæ sub mœnib. altis
Contigit oppetere!

Mortis autẽ tempestiuitatẽ dicit, cumulata

uitæ officia, id est, aßiduos defensionum labores, senatoriaq́ munera: & abundè præstita omnia, quæ à bono & uiro & ciue requirantur. Nihil autem acquirebatur Ciceroni post gestum consulatum, summū ordinarij in Republica honoris fastigium. Bella cum Fortuna restabāt, præter alia obscuriora, tribunicij furores P. Clodij, destitutiones magistratuū & amicorū, XVIII *mensium exilium, insidiæ æmulorum, triumuiratus Pompeij, Cæsaris, Craßi, bellum ciuile Pompeianum, mors filiæ charißimæ, fraterna odia, perfidia uxorum, triumuiratus alter Octauiani, Antonij, Lepidi, proscriptio, fuga: crueta deniq; mors, & cadaueris mutilatio, uexatioq́; ignominiosa. Sed si tum occidisset: tot præclara scripta non reliquisset. Quid uerò nos grammatici ageremus (ut cum Epicteto nostras rideam operas) nisi tam eruditè scripsisset, ut interpretem requireret?*

Bella Ciceronis cum Fortuna.

CCCLXVI. SENTENTIA.

Ratio. Acta uita.

Quare si ipsa ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus: at uita acta perficiat, ut satis superq; uixisse uideamur.

EXPLICATIO.

Vitā actā appellat, summa et propria bona laudis

laudis & gloriæ: rationem uerò argumenta philosophica: quibus ostendere conatus est, mortem uel non esse malum, uel summum etiam esse bonum: quorum utrunque uerum est in piis, falsum in impiis.

CCCLXVII. SENTENTIA.

Quanquam enim sensus aberit (abierit) tamen summis & propriis bonis laudis & gloriæ, quamuis non sentiant, mortui non carent.

Mortui & carent, & non carent gloria.

EXPLICATIO.

Manet enim laus & glòria etiam post obitum, & propagatur ad posteros. Non carent igitur iis bonis, quod ad alios attinet, qui illorum meminerunt. Ipsi uerò mortui, ea uel non sentientes, uel non curantes, utique iis (si propriè loquare, ut suprà dictum est) carent. Nihilominus tamen duabus in rebus homini per omnem ætatem præcipuè elaborãdum est: una, ut ad Deum bonam conscientiam afferat: altera, ut bonam famam apud homines relinquat. Ea porrò bona, quæ Cicero nominat, uiuentes delectant uel in præsentia, uel expectatione æquiorũ iudiciorum apud posteros. Nimis enim uerum est & frequens illud poetæ:

Ad Deum afferenda bona conscientia: relinquenda apud homines bona fama.

Pascitur in uiuis liuor: post fata quiescit. Et,
Summa petit liuor: perflant altissima uenti.

CCCLXVIII. SENTENTIA.

Gloria & uirtus differunt, ut corpus & umbra.

Etsi enim nihil in se habeat gloria, cur expetatur: tamen uirtutem, tanquã umbra (corpus) sequitur.

EXPLICATIO.

Vera hominis bona sunt in ipsius ingenio & animo collocata: gloria uerò pendet ab alienis iudicijs, sæpè ineptis, falsis, iniquis. Vt autem umbra corpus non est, οὐ καθ' ὑπόστασιν οὖσα, ἀλλὰ κατ' ἔμφασιν (cùm non res uera sit, sed imago quædam, ut arcus cœlestis, ut halones, ut alia simulacra in aere apparentia) ita nec gloria uirtus est aut sapientia: proptereaq; non tantopere expetenda: & tamen ipsi etiam philosophi gloriæ mancipia dicũtur ab Erasmo: nec ulla ferè alia tot absurdorum dogmatum Stoæ & Academiæ, & hortulorum Epicuri, uidetur fuisse causa, q̃ κενοδοξία (inanis gloriolæ captatio) nisi & auariciam addere libeat.

Philosophi gloriæ mãcipia.

CCCLXIX. SENTENTIA.

Multitudinis iudiciũ

Verum multitudinis iudicium de bonis (si quando est) magis laudandum est, quàm illi ob eam rem beati.

EX-

EXPLICATIO.

Incertum est utrum uerum *adiectiuum an coniunctio sit. Adiectiuè sic ordinabuntur uerba:* iudicium multitudinis de bonis *(scilicet uiris)* si quando est uerum. *Sin τὸ* uerùm *coniunctio putatur:* iudicium ἐμφατικῶς *accipiendum erit, ut opponatur incertæ opinioni & errori, hoc modo: multitudinis iudiciũ, id est, uera sentẽtia de bonis uiris, si quando est, id est, si quãdo multitudo (quod rarò fit. Magnus enim errorum magister est populus) de bonis uiris rectè sentit, &c. Sed sententia plana est, utcunque uerba sint. In Somnio, Quid loquãtur, inqt, hoĩes, ipsi uiderint: loquentur tamẽ. Beatitudo, ut & uirtus, & sapiẽtia, & regnũ Dei, intra hominẽ est, id est, in ipsius animi penetralib collocata. Quòd si hoĩes uirtutẽ agnoscũt, probant, celebrãt, accessio illa nõ est cõtemnẽda: nisi fortè ne infamia qdẽ moueri debeamus, eamq́; sedulò cauere: quod nemo temerè dixerit. Sed fundamẽto nitendũ est, ipsa uirtutis cõscientia. Christianæ porrò beatitudinis est fundamentũ, principiũ, mediũ, finis, fastigiũ, forma & perfectio, misericordia Dei: philosophicæ, σαθρῶς γε ἱδρυμένης (minimè firmæ et stabilis) uirtus sapiẽs, seu sapiẽtia et uirtus: cui*

Beatitudo in animi penetralibus est collocata.

cui & adiumẽto & ornamẽto est eloquẽtia.

CCCLXX. SENTENTIA.

Vel propter patriã & posteros gloria est expetẽda.

Non possum autem dicere (quoquo modo hoc accipietur (accipiatur) Lycurgum, Solonem, legum & disciplinæ carere gloria: Themistoclem, Epaminondam, bellicæ uirtutis (carere gloria.)

EXPLICATIO.

Quoquo modo hoc accipietur παρένθεσις est *προκαταληπτική: qua significat, tametsi mortui omni sensu careant: tamen memoriam eorum esse perennem,* καὶ τὴν δόξαν ἀείμνηστον, *ut ait Isocrates. Quæ gloria ut defuncto nihil commodet: tamen uiuentes non tam debent esse* φίλαυτοι, *& omnia suis metiri commodis; quàm* φιλόστοργοι καὶ φιλοπάτριδες. *Neque uerò cuiusquam præstantis uiri gentiles & populares unà cum ipso intereunt: sed ferè longißimo tẽpore sunt superstites. Gloria igitur defunctorum & posteros eorum & patriam & nationem totam ornat atque delectat. Germaniæ nostræ ornamento est Carolus Magnus, Friderici, Ottones: Brettæ Melanchthon: Roterodamo D. Erasmus: Bãbergæ Camerarius: Selidæ Sturmius: aliis locis atq; urbibus innumerabiles*

Viri præstãtes sunt ornamenta patriæ.

aliȷ

alÿ uiri, & pacis & belli artibus, & sapientis eloquentiæ gloria insignes.

CCCLXXI. SENTENTIA.

Antè enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quàm Salaminÿ trophæi memoriam: priusq; Bœotiæ Leuctra tollentur, quàm pugnæ Leuctricæ gloria. Multò etiam tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duos Scipiones, duos Africanos, Maximum, Marcellum, Paulum, Catonem, Lælium, innumerabiles alios.

Rerũ gestarum gloria immortalis.

EXPLICATIO.

Fama per se diuturna esse non potest: non eò solùm, quòd, ciuibus intereuntibus, paulatim exolescit, sed ob illud etiam, quòd oppida & agri sæpè ab externis populis, omnis ueteris memoriæ ignaris, occupantur, indigenis uel cæsis, uel profligatis: quæ nunc totius Græciæ, & magnæ adeò partis Asiæ, Europæ atque Africæ fortuna & conditio est, Scythica Turcarum barbarie & immanitate occupãte & uastante omnia. Verùm diuturnitas memoriæ accepta referenda est ingeniis scriptorum: quæ & ipsa nihil proficerẽt sine manuum & calamorum seu pennarum instrumentis.

Ἐκ μουσῶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι. Musa parit celebrem facũdo carmine famam.

Instrumenta immortalitatis ridicula. *mentis. O præclarã immortalitatem: cuius autor est calamus à uento agitatus: aut pinnula stolidi anseris aut struthionis: & atramentum à sutorio parum differens: custos & asseruatrix, membrana, ouiculæ aut uitulo detracta, aut charta è sordidis linteolis confecta, tineis, blattis, musculorum dentibus, & infinitis alijs casibus exposita. Vnde fit, ut tot præclara ueterum monimenta intereãt.*

CCCLXXII. SENTENTIA.

Quorum (præstantium uirorum) similitudinem aliquam qui arripuerit (id est, Qui uirtutem & res gestas eorum aliqua ex parte imitatus fuerit) non eam famã populari, sed uera bonorũ laude metiens: fidenti animo (si res ita feret) gradietur ad mortem.

EXPLICATIO.

Deterret primùm à κενοδοξία: ne quis uulgi rumusculos magni æstimet: sed uera iudicia uirorum bonorum & sapientum, in omnibus consilijs capiendis, in omnibus rebus gerendis, spectanda esse monet. Deinde gloria illa uera freto mortem non extimescendã esse. Sed alio firmiore præsidio homini morituro esse opus, iam sæpè diximus.

Mors oppetenda non ob gloriã, sed propter officium.

CCC-

CCCLXXIII. SENTENTIA

In qua (morte) aut summum bonum: aut nullum malum esse, cognouimus.

EXPLICATIO.

Pijs in morte summũ bonum, impijs summum malum esse: etiam elementarij pueri Christianorum norunt, hypothesi Ciceroniæ, nullos esse Inferos, *haudquaquam assensuri. Falsò igitur iactant & Cicero & auditor, se ista cognouisse. Obiter consideretur, quanta sit felicitas eorum, qui Christianam Catechesin perdidicerunt. Ea enim doctrina instructi, de maximis rebus, & ad ueram felicitatem summè necessarijs, tam diuinis quàm humanis, uerè iudicare possunt: ea re Platone & Aristotele, Cicerone & Seneca, omnibus deniq; philosophis, & uiris sapientibus, longè superiores. Quorsum enim uaria & multiplex doctrina perducit, si homo à uera suijpsius, & Dei cognitione aberrarit? Fit ille utique nihil aliud, nisi eruditum diaboli mancipium. Quò magis detestanda est ac deploranda eorum uecordia & ignauia, qui salutarẽ doctrinã, ingeniosa methodo breuiter cõprehẽsam, aut negligũt, aut obiter tantùm, tanq̃ canes è Nilo bibẽtes, degustãt: nec*

Mors pijs optima, impijs pessima est.

Summam Christianismi tenere, magna sapientia est.

in

in intimos animorum recessus, tanquam incomparabilem thesaurum, quo, ut ita dicã, regnum cæleste comparetur, recondunt. Sed profectò pœnitebit eos aliquando (utinam non serò) temeritatis, arrogantiæ, contumaciæ, atq; adeò impietatis istius.

CCCLXXIIII. SENTENTIA.

Secundis uerò suis rebus uolet etiam mori (uir rebus gestis clarus.)

EXPLICATIO.

Quasi dicat, non modò fidenti animo (si res ita feret, id est, si qua necessitas ingruerit) gradietur ad mortem: sed eam optabit potius, quàm reformidabit. Peruulgatum est illud: Tum esse mori optimum, cùm sit uiuere iucundissimum. Sed uulgò contrà plerique facimus: rebus secundis uitam, aduersis mortem expetimus, præsentia potius quàm futura considerantes.

Tum est mori optimum: cum uiuere iucundissimum.

CCCLXXV. SENTENTIA.

Non enim tam cumulus bonorum iucundus esse põt: quàm molesta decessio.

Decessio molestior est, quàm accessio iucundior.

EXPLICATIO.

In partitionibus ait: Nihil esse miserabilius, quàm ex fortunato miserum. Et Seneca: Felici-

Felicitas, inquit, est in felicitate mori. Et Solon Crœsum monuit τέλ☉ ὁρᾶν μακρȣ̃ βίȣ: quod dictum elegante paraphrasi exposuit ad hunc modum Ouidius:

Est scilicet ultima semper
Expectanda dies homini: diciq́; beatus
Ante obitum nemo supremaq́; funera debet.

Exempla inconstantis fortunæ habuimus suprà in Priamo & Pompeio. Atque utinam non & annus abhinc septimus uel in sola Cypro insula, nobis cõplura Turcicæ immanitatis exẽpla, priorisq́; status mutationũ in Bragadino & aliis exhibuisset. Atq; adeò perpaucos nõ insigni aliquo infortunio longior ætas afficit uel orbitatis, uel ualetudinis, uel iacturæ opũ & dignitatis: ut suprà quoq; dictũ est, & quotidiana testatur experientia. **Inconstantis fortunæ exempla.**

CCCLXXXVI. SENTENTIA.

Hanc sententiam significare uidetur Laconis illa uox, qui, cum Rhodius Diagoras Olympionices nobilis, uno die duos filios uictores Olympiæ uidisset, accessit ad senẽ, & gratulatus, Morere Diagora, inquit. Non enim in cœlum ascensurus es. **Morere. Non enim in cœlum ascensurus es.**

EXPLICATIO.

Hyperbolica gratulatio est, formata κατ'

ἐναντίωσιν: *qua Lacon iste significauit, illum Olympionicen summum felicitatis humanæ fastigium attigisse: & cunctari illum diutius in uita, fortunæ obiectum, ut autor noster dicit, inutile ei putauit. Cùm enim res humanæ diutius eodem in loco non soleant consistere: multi, autore Claudiano,*

— Tolluntur in altum
Vt lapsu grauiore ruant. —

Optima corporis habitudo est periculosa.

Eandem sententiam ad ualetudinem accõmodans Hippocrates: αἱ ἄκραι, *inquit,* τῶν εὐεξιῶν σφαλεραί *(optima quæq; constitutio corporis lubrica & periculosa est) Ad historiã q̃d attinet, tradũt quidã reuera hũc Diagorã in amplexu filiorũ uictorũ, & cõgratulatione spectatorũ, qui q̃dem flores & corollas in eum cõiecerint, præ gaudio expirasse.*

CCCLXXVIII. SENTENTIA.

Non in cœlum ascensurus es.

EXPLICATIO.

In cœlum ascendere, pro, altiora humana conditione cõsequi.

Hoc est, Quicq̃d homini optabile cõcessũq; est, id abũdè es cõsecutus. Neq; quicquã iam tibi restat, nisi ut Deus fias: id quod naturæ humanæ est denegatũ. Perperã legitur: nunc enim in cœlũ ascẽsurus es: *quasi Lacon diceret, ex homine Deus fies, aut in numerum Deorũ refereris. Nam* αἱ ἀποθεώσεις, *id est,*

con-

cõsecrationes præstantiũ uirorũ, ea ætate exoleuerant apud Græcos: adeò ut Agesilaus facetè admodũ deriserit Thasios. Nam cùm illi se Deum facturos esse illum, si uellet, iactarent: quæsiuit, num ea potestate & facultate præditi essent? Affirmantibus illis: ergo, inquit, uosmetipsos imprimis facitote Deos. Sic enim credere potero, uos me quoq; immortalitate donaturos. Apud ueteres quidẽ Græcos αἱ ἀποθεώσεις non inusitatæ fuerunt. Hinc Dij Deæq; facti sunt Bacchus, Hercules, Ceres, Proserpina, Iupiter, Saturnus, cæteriq; superstitiosorum hominum dij: qui homines & ipsi fuerunt, ijq; fortasse nec optimi nec sapientissimi: id quod eorum facta declarant. Eadem assentatio post Alexandrũ Magnũ reuocata est à Græcis seruitute oppressis, et ad Romanos imperatores quoq; translata: neq; ibi substitit, sed κακοζηλία quadã & in Ecclesiam irrepsit. Veterum ἀποθεώσεις.

CCCLXXIX. SENTENTIA.

Magna hæc, & nimium fortasse Græci putant: uel tum potius putabant: isq;, qui hoc Diagoræ dixit, permagnũ existimans tres Olympionicas una ex domo prodire, cũctari illũ diutius in uita fortunæ obiectum, inutile putabat ipsi. Admiratio uictoriæ olympicæ.

EXPLICATIO.

Pro L. Flacco. Apud Græcos, inquit, esse Olympionicē, iudicatur propè maius & gloriosius: quā Romæ triūphasse. Fertur & Xerxes, cùm Græcos Olympiæ de corolla tantū certare tāta contentione audiuisset: dixisse, inuictos illos esse uiros, q propter laudē & gloriā tātos facerēt sumptus, tantosq; caperēt labores. Verùm aliis locis atq; tēporib. alia studia florēt & iacēt: mutatis subinde hominū, uel ipsa satietate, uel casu aliquo, uel corū q rerū potiūtur imperio, uolūtatib. Sic apud Germanos nostros, ludis Troianis, cōcursionib. & decursionib. equestrib. olim nihil fuit celebrius, nihil frequētius: cùm nunc illi quidē prorsus interciderint, ac perpauci ex nobilitate locū in illis habituri essent (omni enim crimine carere oportebat eum, qui ibi certare uellet) hæ uerò rarò admodum usurpentur.

Studiorū pro temporibus mutatio.

CCCLXXX. SENTENTIA.

Διαλογικῶς

Ego autem tibi quidem quod satis esset, paucis uerbis (ut mihi uidebar) responderam. Concesseras enim nullo in malo mortuos esse.

EXPLICATIO.

Est hæc ἐπιδιόρθωσις & excusatio plixioris disputatiōis: ad dialogi decorū pertinens.

CCCLXXXI.

CCCLXXXI. SENTENTIA.

Sed eam ob causam contendi, ut plura dicerem: quòd in desiderio & luctu hæc est consolatio maxima (nullo in malo mortuos esse.) Nostrum enim & nostra causa susceptum dolorem, modicè ferre debemus: ne & nosmetipsos amare uideamur. Illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in ijs malis, quibus uulgò opinantur.

Lugentur mortui, quòd malè habere putantur.

EXPLICATIO.

Hinc maiores nostri tot lustralia & piacularia sacra instituerunt, tot sacella, tot templa, tot monasteria, tot collegia sacerdotum condiderunt: eaque ratione opes Ecclesiasticæ in immensum creuerunt. Nos uerò quo in statu defuncti sint, optima quæque sperantes & optantes, diuinæ prouidentiæ & misericordiæ committamus. Ea certè quidem, quæ mortem consequuntur, ab anteacta uita maximè pendent. Quæ si pia honestaque fuit, & diuino cultui, & hominum charitati dedita: si pro uirili, quicquid cum religione & humanitate pugnat, cauit, bona spes est, mortem ei uitæ fore consimilem. Qui uerò per omnem ætatem omnibus suis libidinibus petulanter indulserunt: & iura diuina hu-

Lustralia sacra.

Fine bono claudi uita probata solet.

humanaq; audacissimè uiolarūt: etiam atq; etiam uerendum est, ne in extremo agone simulent potius, quàm præstent ueram pœnitentiam. Neq; tamen de ullo desperandum est, cùm Christus latroni in cruce pendenti paradisum promiserit.

CCCLXXXII. SENTENTIA.

Nostrum & nostra causa susceptum dolorem modicè ferre debemus: ne nosmetipsos amare uideamur (scilicet potius quàm defunctos.)

EXPLICATIO.

Nunc plerique sua quàm mortuorū causa magis dolent.

Plerique sua causa dolent potius quàm mortuorum: quòd utilitatibus & uoluptatibus, quas ex illis capiebant, destituti sint. Sic rustica uaccam deplorat, propter decessionem lactis: delicata muliercula Melitaū catellum, quòd eius blanditijs & lusibus careat. Sæpè etiā, ut Mimus ait, hæredis fletus sub persona risus est. Sed φιλαυτία *hæc, natura insita omnibus, Ciceroni dissimulanda esse uidetur, ac moderanda. In Lælio idem ait: Grauiter suis incommodis angi, non amicum (cui nihil mali accidat) sed semetipsum amantis esse.*

CCCLXXXIII. SENTENTIA.

Διαλογικὰ καὶ ἐπιλογικά.

Hanc excutere opinionem mihimet radicitus uolui: eaq; de causa fui fortasse lon-

longior. A. Tu longior? non mihi quidē. Prior enim pars orationis tuæ faciebat, ut mori cuperem: posterior, ut modò nō nollem, modò nō laborarem. Omni aūt oratione illud certè perfectū est, ut mortem non ducerem in malis.

EXPLICATIO.

Sunt hæc & dialogica & epilogica: atque ut suprà, ita etiam nunc, fructum huius disputationis ostendunt.

CCCLXXXIIII. SENTENTIA.

Num igitur etiam rhetorū epilogum desideramus?

EXPLICATIO.

Epilogus habet aut ἀπαρίθμησιν ἢ ἀνακεφαλαίωσιν, *id est, enumerationē & repetitionē præcipuorū argumentorū: quibus interdū noua quædā addūtur: aut* αὔξησιν, *id est, amplificationem locosq; communes: aut* παθοποιΐαν, *quæ accusatori est* δείνωσις *(exaggeratio facinoris & inflammatio iudicum) & cum ea* ἐκβολὴ συνηγόρων καὶ ἐλέου *defensori,* ἐλεεινολογία *(commiseratio.) Atq; hæc* παθητικὰ *sunt.* Τὸ ἠθικὸν *uerò (leniores affectus) in exordiis & genere demonstratiuo & deliberatiuo maximè ualent. Hic uerò epilogus nihil aliud est, nisi amplificatio, sumpta à te-*

Perorationum discrimina.

Epilogus Tusculanæ, amplificatione constat.

à testimoniis diuinis & humanis: quibus declarare instituit, mortem uel summum esse bonũ, uel malum certè non esse. Sed cùm gentium dij (ut Dauid affirmat) dæmonia fuerint: quantũ illorũ oraculis sit tribuendum,
Diabolicæ fraudes. *apparet. Videntur illi quidem in miseros sui cultores & mendaciis & cædibus grassati, multos ad consciscendam sibi necem impellere uoluisse. Cicero certè fabulas & fabellas ista uocare non dubitat.*

CCCLXXXV. SENTENTIA.

An iam hanc artẽ planè relinquimus.

EXPLICATIO.

Eloquẽtia est popularis. *Eloquentia in liberis ciuitatibus, quas δημοκρατίας uocant Græci, dominatur. Eo aũt tẽpore Romana respublica neq; legib. neq; oratorũ artibus, sed unius Cæsaris uoluntate & nutu regebatur. Quare arti oratoriæ dare operã, occupatiõis supuacaneæ esse uidebatur.*

CCCLXXXVI. SENTENTIA.

A. Tu uerò istam (artẽ oratoriã) ne reliqueris, quã semper ornasti: & quidem iure. Illa enim (si uerè loqui uolumus) te ornauerat. Sed quí nã est iste epilogus? Aueo enim audire quicquid est.

EXPLICATIO.

Eloquẽtia (ut alibi dicit) ornat eos, penes quos

quos est: & uicissim ab illis ornatur: ut sit inter artes & artificũ præclara opera, quib. hominũ studia et admirationes excitãtur, mutua quædam gratia & ἀντιπελάργησις. Ornauit porrò eloquentiam Cicero habendis in foro, in Senatu, pro Rostris, scribendisq́; orationibus: totq́; uoluminibus de arte dicendi edendis. Vicissim autem & ipse ab arte oratoria ornatus est: cùm homo nouus, amplissimos quoq́; honores in summo terrarum orbis imperio, summis ciuium studijs, dicendi uim & suauitatem in eo admirantium, facilimè consequeretur.

Eloquentiam Cicero & ornauit, & ab eâdem ipse quoq; ornatus est.

CCCLXXXVII. SENTENTIA.

M. Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte: nec uerò ea fingere ipsi, sed Herodoto autore, alijsq́; pluribus. Primum Argiuæ sacerdotis Cleobis & Biton filij prædicantur: nota fabula est. Cùm enim illam ad solenne, & statum sacrificium curru uehi ius esset, satis longè ab oppido ad fanũ, morarenturq́; iumẽta: tunc iuuenes ij, quos modò nominaui, ueste posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserũt. Ita sacerdos aduecta in fanum, cùm currus esset ductus à filijs, precata à Dea dicitur,

Cleobis & Biton.

citur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset à Deo: pòst, epulatos cũ matre adolescentes, somno se dedisse, manè inuẽtos esse mortuos. Simili precatiõe Trophonius & Agamedes usi dicuntur: qui, cùm Apollini Delphis templum exædificauissent, uenerantes Deum, petierunt mercedem non paruam quidem operis & laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini: quibus Apollo se id daturum ostẽdit post eius diei diem tertium: qui ut illuxit: mortui sunt reperti. Iudicasse Deum dicunt, & eum quidem Deum, cui reliqui Dij concessissent, ut præter cæteros diuinaret, mortem esse optimum homini.

Tropho-nii & Agamedes.

EXPLICATIO.

Socratica precãdi ratio.

Hanc precandi rationem (ut alibi dictũ) in Alcibiade probat Socrates longa disputatione, citato in eam sententiam disticho:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις
καὶ ἀνεύκτοις (λαλκε.
Ἄμμι δίδου: τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπά

Quod Thomas Morus sic conuertit:

Da bona, siue rogere Deus, seu nulla rogeris:
Et mala, siue rogere, nega, seu nulla rogeris.

Vel,

Vel. Et pcul à nobis mala quæq; petẽtib. aufer. Nobis autem sanctißima & sapientißima et saluberrima precandi formula ab ipso Christo præscripta est: qua omnium legitima uota & necessitates cõtinentur. Nec ullum eius precationis uerbum est, quin plura mysteria contineat: ut Viues præter alios in libello excitandi animi ad pietatem, eruditè diserteq; ostendit. Viuis explicatio precatiõis dominicæ.

CCCLXXXVIII. SENTENTIA.

Fertur etiam de Sileno fabella quædam: qui cùm à Mida captus esset: hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regẽ, non nasci, homini longè optimum esse: proximũ autem, quam primùm mori. Qua est usus sententia in Cresphonte Euripides: Silenus à Mida captus. Euripides uitæ mortem antepeonit.

(τας) domũ,
Nã nos decebat cœtus celebrãtes (πανηγυρίζον
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ uitæ uaria reputantes mala:
At, qui labores morte finisset graues,
Omnes amicos laude, & lætícia exequi.

EXPLICATIO.

Priorem partem Christus, de Iuda Ischariote agens, approbat (quæ quidem approbatio multos disputationum labyrinthos homini curioso potius, quàm in diuina rerum huma- An ho[...] nõ nameli.

humanarum administratione acquiescenti posit extruere) posterior uerò distinguenda uidetur, ac potius danda opera, ut nos nec natos esse nec uixisse pœniteat. Quod ita consequemur: si pietati modestiaq; constanter operam dederimus: omniq; officio pro uirili per omnem ætatem fungentes, æquo animo, quicquid acciderit, tolerauerimus. In utroq; certè (& nascendo & moriendo: etsi prius in nostra potestate non est) diuinæ uoluntati æquo & alacri animo parère debemus: atq; istam Sileni sententiam paulò diligentius expendere: quæ primùm est ἀσύςατ@- atq; absurda. Quomodo enim potest homo esse, qui nondum natus est? aut quid ei bonum malum'ue esse potest: qui non modò nihil sentit: sed ne in natura quidem rerum est? Nisi fortè barbatum illum, & cornigerum capripedemq; Bacchi magistrum

Danda est opera, ut nos nec natos esse, nec uixisse pœniteat.

Sileniæ sententiæ improbatio.

Inflatū hesterno uenas (ut semper) Iaccho
Sanguineis ebuli baccis minioq; rubentem

Pythagoricæ μετεμψυχώσεως non ignarum fuisse dicas. Quæ si uera esset: nemo non illi facilè assentiretur, præstabilius esse, aut nunquam à Superis discedere, aut quàm primùm ad eosdem reuerti. Deinde isto dicto prouidentia diuina reprehenditur: à qua constitutum est,

est, ut homines certis temporibus & nascantur & moriantur: ne terra inculta iaceat: & ut in infimo quoque Mundi loco sit animal, à quo diuina maiestas agnoscatur, colatur & celebretur. Etsi autem uita humana plena est nõ tantùm calamitatum & miseriarum: sed etiam flagitiorum & scelerum: & ij qui hanc lucem uiderunt, in periculo uersantur æternæ condemnationis: in Dei tamen immutabili uoluntate, quocunq; euentu est acquiescendum: eoq; magis, quòd mala ista pleraq; ab humana improbitate proficiscuntur: & beata immortalitas hominibus non minus est proposita (modò amplecti eam uelint) quàm æternum exitium. Quæ cùm ita sint: iste Silenus, quisquis fuit, planè more diabolico (atq; adeò ipsum fuisse diabolum existimo) Dei opera calumniatus est: eoq; illius sentẽtiæ nullo modo assentiendum: sed ardentibus uotis & incitato studio elaborandum est: ut, hac uita, qualis ea cunque est, è Dei præscripto acta, ad cœlestem patriam contendamus, & ad hunc scopum referamus omnia: remis uelisq; diabolica oracula fugientes: quibus tãtam turbam omnis generis hominum esse deditam, quidam scripsit: ut è solis ueneficis tantus conscribi posset exercitus, qui si du-

cem

cem idoneum haberet (quem uerò ducem ipso diabolo meliorem inueniant?) uel cum rege potentissimo posset iusta acie dimicare.

CCCLXXXIX. SENTENTIA.

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris. ait enim Terinęum quendam Elysium, cùm grauiter filij mortem mœreret, uenisse in Psychomantium, quærentem quę fuisset tantæ calamitatis causa: huic in tabellis tres huiusmodi uersiculos datos:

Psychomãtij de ĩmatura morte responsum.

Ignaris homines in uita mentibus errant:
Euthynous potitur fatorum munere læto,
Sic fuit utilius finiri ipsiq́, tibiq́.

His & talibus autoribus usi, confirmant causam, rebus à dijs immortalibus iudicatam.

EXPLICATIO.

Psychomantion ad uerbum est, animæ diuinatio: quando (ut opinor) Manes eliciuntur. Sed hic loci nomen est: de quo nihil mihi constat, sit'ne antrum Trophonij & Amphiarai? an aliquod aliud diaboli ludibrium intelligendum?

CCCXC. SENTENTIA.

Ignorãtia & pœnitentia humana.

Ignaris homines in uita mentibus errant.

EX

EXPLICATIO.

In plerisque nimis uera sententia. Itaque fit, ut quò quisque longius ætate processerit: eò magis errata, delicta, & peccata sua et agnoscat & ipse condemnet, αὐτοκατάκριτος γινόμενος, ut D. Pauli uerbo utar. Hac caligine & imbecillitate humani ingenij, Academici impulsi, omnem certitudinem & assensionem nimis petulanter sustulerunt. Cicero uerò hypothesin ad thesin transtulit. In Græco enim est.

Ἤρου νήπιε ἠλύσιε φρένας ἐξαπατηθείς.

(Interrogasti stolide Elysi animo decepto, uel errore quodam animi inductus.) Excusi codices habent φρένας ἀνδρῶν: quæ lectio neque uersum absoluit, neque sententiam perficit. Itaque in eius locum ἐξαπατηθεὶς substituendum esse iudicaui. Si quis uerò melius aliquid nactus fuerit: candidè cõmunicet: intereaque coniecturam meam boni consulat. ἐξαπατηθεὶς ἀντὶ τοῦ ἀνδρῶν, substitutum.

CCCXCI. SENTENTIA.

Euthynous potitur fatorum munere læto.

EXPLICATIO.

Græcus Pentameter est:

Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ.

Vnde

Vnde fortasse legendum, letho, *substantiuè. Vt sit,* potitur letho, *id est, mortuus est:* munere fatorum, *id est, decreto fatali. Quia in fatis illi fuit mori adolescentem.* μοιρίδιον χρέ@, *fatale debitum à Græcis appellatur* ὁ θάνατ@. *Si quis autem mauult intelligere,* potitur fatorum munere læto, *id est, hilari & felici: de Euthynoo in sedes beatas per mortem translato: non repugno.*

Potiri letho, pro, mori.

CCCXCII. SENTENTIA.

Sic fuit utilius finiri ipsiq; tibiq;.

EXPLICATIO.

Multis parentib. liberûm mors est uita utilior.

Græcus Hexameter est:

Οὐ γὰρ ἔλω ζώειν αὐτῷ καλὸν, οὔτε τοκεῦσι.

(neq; enim erat uiuere ipsi bonum, neq; parentibus.) Et hæc sententia plurimorum suspirijs & lachrymis comprobatur. Quàm multorũ enim parentum senectutem affligunt tum prodigi, immorigeri, flagitiosi ac perditi liberi: tum morbosi & calamitosi? qui in cunis et suo & illorum bono fuissent extincti. Adolescẽtibus autem danda est opera, ut uita ipsorum tam ipsis, quàm parentibus, magistris, amicis, patronis, ciuibus, toti denique generi humano iucunda sit & fructuosa: & (quo nihil optabilius) grata & accepta Deo.

Adolescentes uiuunto utiliter.

CCCXCIII. SENTENTIA.

Alcidamas quidam Rhetor antiquus inprimis nobilis, ſcripſit etiam laudationem mortis, quæ cõſtat ex enumeratione malorum humanorum.

EXPLICATIO.

Idem ille tractauit argumentum, quod Hegeſiæ ὁ ἀποκαρτερῶν, & Platonis Axiochus. Habet & Aphthonius enumerationem incõmodorum puerilis ætatis: & Eraſmus quadã epiſtola idem argumentum (ut fuit ille uir admirabili & diuino ingenio) omnium copioſiſſimè et ornatiſſimè eſt perſecutus. Quòd ſi quis contrà uitam laudare uelit (quod quidem ad animi tranquillitatem aptius eſt: ad neceſſitatem degendæ uitæ, quoad Deo uiſum fuerit, accommodatius) ei & mala mortis, antecedentia, coniuncta, conſequentia extenuanda, tranſlatione adhibita, & bona humana enumerãda erunt, atq; amplificanda. Vitæ laudandæ ratio.

CCCXCIIII. SENTENTIA.

Cui (Alcidamanti) rationes eæ, quæ exquiſitiùs à philoſophis colliguntur, defuerunt: ubertas orationis non defuit.

EXPLICATIO.

Aliud ergo eſt ſcientia philoſophica, aliud

Eloquētiæ popularis, & philosophicę scientiæ discrimen. *eloquentia popularis: illa causas rerum abditas scrutatur & explicat: hæc exemplis & ornamentis uerborum ac sententiarum, multitudinis assensionem aucupatur.* Rationes. *Rationes intelligendæ sunt eæ, quas hactenus cognouimus: ut sunt, siue aerius, siue igneus sit animus, sursum eum ferri, non deorsum. Mentē, cuius tanta celeritas sit, tanta uis, & amplitudo, & proprius motus, non constare ex elementis: sed diuinæ cuiusdam & immortalis esse naturæ. Mortem aut extinguere omnem sensum, proptereaq; malū non esse: aut transferre mentem in cælos, eoq; summum esse bonum: & id genus alia.*

CCCXCV. SENTENTIA.

Rhetores & laudant & fortunatos iudicāt eos, qui ꝑ patria oppetierunt. Claræ uerò mortes pro patria oppetitæ, non solùm gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ uideri solent. Repetunt ab Erechtheo: cuius etiam filię cupidè mortem expetiuerunt pro uita ciuium: Codrum, qui se in medios immisit hostes famulari ueste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio: quòd oraculum erat datum, si rex interfectus esset: uictrices Athenas fore. Menæceus uerò nō prętermittitur, qui, oraculo edito, largitus est patriæ suū sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam

molandam iubet, ut hostium sanguis eliciatur suo. Veniunt inde ad ꝓpiora Harmodius in ore & Aristogiton: Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas uigent. Nostros nō norūt, quos enumerare magnum est: ita sunt multi: quibus uidemus optabiles fuisse mortes cum gloria.

EXLPICATIO.

Laudant rhetores uiros bellicosos: & rectè quidē: si uirtus & summū bonū est (ut plerique philosophi disputant) & si ea melius collocari nō pōt, q̄ in patriæ cōseruationē: & si uirtutis præmiū gloria rectè ꝓhibetur. Sed habet genus demonstratiuū multa παρ' ἱστορίαν, dissimulationes uitiorū, uirtutū amplificationes: & pleraque ꝓficiscuntur ex adulatione, placendique studio: aut ad minuendū necessariorum defuncti luctū, aut ad imitationē rerū gestarum referuntur. Mortes autem pro patria oppetuntur, uel in legationibus (etsi enim legati iure gentium uiolandi non sunt: tamen tyranni, Dei hominumque contemptores, ius illud sæpè parui faciunt, iuris etiam speciem obtendentes, quòd non legatorum, sed hostiū loco sint habendi) uel in acie, uel in seditione, uel superstitione quadam, ad placandos

Laudationes habent multa παρ' ἱστορίαν.

Mortes ꝓ patria oppetitæ.

Deos Manes hominis alicuius eximij interitu: quò calamitas, à tota gente auersa, in hostes transferatur. Lex Mosaica talia καθάρματα καὶ περιψήματα habuit, hircos & tauros: cæteræ gentes, ut Idumæi, & Græci, & cõplures aliæ, instinctu malorum dæmonum, ad ἀνθρωποθυσίας, desperatis omnibus alijs remedijs, decurrerunt. Nonnullis uerò & uiris & mulieribus (ut noster autor ait) optabiles mortes fuere cum gloria: qui cupidè mortem expetiuerũt pro uita ciuium: qui largiti sunt patriæ suum sanguinem: qui duci se immolandos iusserunt, ut hostium sanguis eliceretur suo. Heroica certè ista sunt, & hominum perpaucorum. Plus enim plerosq; φιλαυτία mouet, quàm κοινωφέλεια. Rectè igitur subijcit.

καθάρματα.

ἀνθρωποθυσίαι.

CCCXCVI. SENTENTIA.

Quæ cùm ita sint: magna tamen eloquentia est utendum: atq; ita, uelut superiore è loco, cõcionandum: ut homines mortem uel optare incipiant, uel certè timere desistant.

Nec Periclea eloquentia mortis metum plerisq; extorserit.

EXPLICATIO.

Neutrum horum sapienter fieri constanterq; potest, sine afflatu Spiritus sancti, certã

æternæ

æternæ uitæ spem in animis hominū excitantis. Nam alioqui apud plerosq; & natura insitus uitæ amor, & horror mortis (accedente præsertim Inferorum metu) omni eloquentia, omni loco superiores, dominantur. Verba, ita concionandum, ut *&c.* μετ' ἐπιπάσεως *accipienda sunt: eam adhibendā esse eloquentiam, quæ permoueat animos hominum: cuiusmodi Periclea fuisse traditur: quem dicebant concionantem, tonare & fulminare, & solum in auditoribus aculeum relinquere solere: hoc est, ita homines afficere, ut non conquiescerent, antequam illius monitis & consilijs obtemperassent.*

CCCXCVII. SENTENTIA.

Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci: quid optabilius? Sin autem perimit ac delet omnino: quid melius, quàm in medijs uitæ laboribus obdormiscere? & ita conniuentem, somno consopiri sempiterno.

EXPLICATIO.

Dilemmatis huius, nimium præcipitis atq; ancipitis, raucam obstreperamq; cantilenā, aures magis obtundentem, quàm animos firma consolatione permulcētem, iam penè plus Dilemma ad nauseā repetitum.

 millies

millies audiuimus. Estq́ hoc argumentū insi-
Exemplū ἐπιμονῆς. *gne exemplum ἐπιμονῆς, quam commorationem Latini dicūt, uaria elocutione, diuersisq́ in locis ea probatione repetenda atq́ inculcanda, quæ causam maximè continet: cuius à se poni seorsim exemplum, ut cæterarum figurarum, negat Cornificius. Neq́ uerò mirum fuit, accidisse quod scribit Iuuenalis:*

Esse aliquos Manes & subterranea regna:
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lauantur.

Legerant illi iam ea, quæ Diodorus Siculus
Aegyptiorum cōsuetudo ad fabulam Inferorū detorta. *scribit de consuetudine Aegyptiorum: apud quos cadauera hominū trans paludem quandam uehi solerent, ibiq́ constitui iudicia, mortuusq́ accusari & defendi. Qui si uir probus fuisse uideretur: laudari, & honorificè sepeliri soleret: ὡς τὸν αἰῶνα διατρίβειν μέλλων καθ' ᾅδου μετὰ τῶν εὐσεβῶν, εἰς τὴν αἰώνιον οἴκησιν μετασὰς (ut qui apud Inferos ætatem cum hominibus pijs acturus esset, in æternam illam habitationem translatus.) Sin improbatus à iudicibus fuisset: uituperari publicè, & abijci insepultum. Hāc historiam Orpheus deprauasse fertur: atq́ commentus esse, talia quædam apud Inferos sub terra fieri. Scribit & Plutarchus in uita Thesei, ætate Herculis, regem*

gem fuisse Molossorum, qui diceretur ἀϊδωνεὺς *(Orcus siue Pluto) eius uxor* δημήτηρ *(Ceres) filia* κόρη ἡ περσεφόνη *(Proserpina) palus regiæ illius uicina,* ἀχερουσία*: canis quidã maximus & terribilis, Cerberus: cui obiectus fuerit Pirithous, filiam regis rapturus: Theseus uerò, adiutor illius raptus, in uinculis à rege asseruatus, donec Herculis intercessione liberaretur. Tales igitur fabulas fuisse derisas: nõ est mirum: ut quas ex historiæ deprauatione ortas esse cõstaret. Sed ea, quæ Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & Christus ipse de æternis impiorum supplicijs dixerunt, eodem habere loco, non est Christiani hominis: sed extremæ prauitatis & impietatis: cui experienda erunt ea, quæ credere, maturaq́; pœnitentia cauere noluerunt. Est autem tota uita Christiani hominis nihil aliud, nisi perpetuaq quædam pœnitentia, id est, agnitio prauitatis naturæ suæ, & errorum, delictorum, flagitiorum, scelerũ detestatio: & fiducia misericordiæ diuinæ, propter Christi meritum, omnib. fide eam amplectẽtibus, ꝓmissæ: & singulare studiũ omnibus Dei præceptis obtẽperandi: quorũ summa est: amare Deum super omnia: & alterum sicut semetipsum. Quibus in rebus si sedulò elaboraremus: quàm beata*

Historia, tem Aidonei, regis Molossorum.

Sacra oracula eodẽ habere loco, quo fabulas poetarum, extremæ impietatis est.

Christiani hominis tota uita, pœnitentia est.

esset uita hominum: quàm tranquilla: Nec enim uacaret nobis de curiosis, superuacaneis, & inexplicabilibus quaestionibus rixari: & propter opinionum dissidia, capitales suscipere inimicitias, atq; aduersarijs (sic enim perperam appellantur ij, qui dissentiũt à nobis) perniciem & exitium machinari. Sed ad Ciceronem redeamus: cuius sempiterni somni laudatio sic accipienda est, ut uitae miserijs et Inferorum fabulis, κατὰ τὸν δεύτερον πλοῦν (ut Graeci dicunt) id est, proxima ratione anteponatur: non ut ἁπλῶς & per se immortalitati praeferatur. Nam suprà ipse Cicero Epicureae ψυχοκτονίας iactantiam exagitauit & derisit.

Vera pietas rectè agẽdo magis, quàm acutè disputando magis est occupata.

Sõnus sempitern⁹ nõ immortalitate, sed aeterna misería potior.

CCCXCVIII. SENTENTIA.

Mors inde fleta luctu ꝯfae pstat.

Quod si fiat, melior Ennij, quàm Solonis oratio. Hic enim noster,

Nemo me lachrymis decoret (inquit) *nec funera fletu*
Faxit. —

At uerò sapiens ille, *(amicis*
Mors mea ne careat lachrymis: linquamus
Maerorẽ, ut celebrẽt funera cum gemitu.

EXPLICATIO.

Contentionem quandam instituit inter epitaphia Solonis & Ennij: Latiniq; poëtae ma-

magnanimitatem Græci legislatoris mollicia anteponit. Ac Ennius suum officium spectauit in contemnendo luctu: quod est magni animi & sapientis. Quid enim ad defunctũ attinet, siue fleant siue rideant superstites? Solon uerò suorum munus atque officiũ considerauit, quæ sunt φιλοστοργία καὶ εὐχαριστία. Nam ita leuiter ferre obitum uel parentum uel necessariorum suorum uel præstantis in republica & Ecclesia uiri, habet (in hominibus præsertim ineruditis, & affectu potius quàm ratione uiuentibus: quæ maxima mortalium pars est) habet igitur, inquam, ista facilitas nescio quam significationem animi uel stulti, uel barbari atque ingrati. Postulare autem lachrymas & dolorem, est hominis nimium se amantis, & ab affectu puerorum & muliercularum non abhorrentis.

Ἀστοργία uel stulti uel ingrati animi signum.

CCCXCIX. SENTENTIA.

Melior Ennij quàm Solonis oratio.

EXPLICATIO.

Quia alterius, magnitudinem animi præ se fert: altera nescio quid puerile atque effœminatum habet, ut modò dictum est. Ennij epitaphium integrum extat in libello de se-

nectute: cuius hæc ætiologia, cum poetica uanitate coniuncta, affertur:

—Cur? uolito uiuu' per ora uirûm.

Ennius æquè ineptus atq; Solon.

Itaque nescias uter sit ineptior? Is'ne quem lachrymæ suorum: an uerò ille quem gloria consoletur? cùm neuter sensum eorum, quæ post obitum eius futura sint, habiturus esse uideatur: aut, ut sentiat (hac enim de re olim etiam dubitatum est) curaturus, quæ in terris fiunt: siue ad Superos ascēderit, siue ad Inferos descēderit: maiorib. utiq; uel bonis, uel malis occupatus. Nisi fortè Hesiodi probetur sententia: qui affirmat, triginta esse millia geniorum, id est, animorum, qui ex humanis corporibus excesserint, qui indefesso studio terras perlustrent, mortalesq́; tueantur. Consimilis opinio est quorundam etiam de Diuis tutelaribus certorum locorum atq; hominū.

Hesiodi 30000 heroes.

CCCC. SENTENTIA.

Denunciatio mortis diuinitus.

Nos uerò si quid tale acciderit, ut à Deo denunciatum uideatur, ut exeamus è uita: læti & agentes gratias pareamus, emittiq́; nos è custodia & leuari uinculis arbitremur: ut aut in æternam, & planè in nostram domum remigremus: aut omni sensu molestiaq́; careamus.

EX-

EXPLICATIO.

Canitur & hic cantilena superior: non quidem uoce cuculi, aut asini, sed luscinia & oloris: uerbis sanè optimis & elegantissimis, sum maq; figurarum uarietate, tanquam auro et gemmis exornatis. Ob qua Ciceroni concessum est, eadem dicere sæpius: idq; non modò sine fastidio & reprehensione, sed etiam magna cum delectatione & approbatione. Diuina autem ista denunciatio non fit more Homerico:

Cantilena lusciniæ τῆς ποικιλο δέρου.

Ἑρμείου πεμφθέντος ἐϋσκόπου ἀργειφόντου:

aut (quemadmodum Iudæi de Mose fabulantur) per angelum mortis, qui cum Mosi moriendum esse diceret, ille responderit: Os meum domino locutum est: oculi mei dominum uiderunt, aures loquentem audiuerunt. Quomodo ergo moriar? Tum angelum defensione ista uictum, pomum quoddam letiferum Mosis naribus admouisse, quòd non & olfecisset Deum: cuius odore Moses expirarit. Non igitur, inquam, talis est diuina mortis denunciatio: sed fit, uel per diuinum quoddam somnium: cuiusmodi uisum Cyro dormienti obiectum fuisse scribit Herodotus: cui uir proceriore statura, & augustiore uultu quàm humano

humano, dixerit: Συσκευάζου κῦρε, ὡς ἀπιτέον ἤδη σοὶ ἐς θεοὺς *(para te, Cyre, Iam enim ad deos est tibi abeundum) uel per morbum corporis, doloremq́; animi insanabilem: uel per statum rei siue publicæ siue priuatæ intolerabilem. Nos uerò Christiani huiusmodi rebus non ad* αὐτοχειρίαν, *sed ad pœnitentiam, ad tolerantiam, ad diuinæ opis implorationem, ad liberationem expectandam uocari arbitremur: & liberandi aut liberati, læti gratias agamus. Corpus autem à Platone atque aliis, custodiam, carcerem, uincula, compedes animi, interdum etiam diuersorium & hospitium dici, notum est: qua de re pluribus egimus in expositione Catonis maioris: citato etiam oraculo quodam: quod extat in uita Apollonij Tyanei, à Philostrato descripta. Remigratio porro in æternam domum planeq́; nostram è Pythagorico dogmate sanè magnificè dicitur. Sed Christus seruator negat, quenquam ascendisse in cælum, præter eum, qui descenderit, filium hominis. Scimus igitur cælū patere nemini, nisi is aperuerit, qui in ædibus patris sui multa esse conclauia affirmat. Iam appendix illa:* aut omni sensu molestiaq́; careamus: *quàm est (ac frustra quidem) sceleratis optabilis: tam est uerè piis iure*

Corpus animi carcer.

Remigratio in æternam domum.

iure meritoq́; deteſtabilis. Quantum enim inter ἀθανασίαν καὶ ἀναισθησίαν intereſt? quanta ἀβελτερία, immortalitatem & interitum ſempiternum, eodem penè loco habere: & ad hunc ab illa tam ſubitò tranſuolare? ac uelut ex altiſsimi ætheris luce fulgētiſſima in Tartareas tenebras præcipitari? Hæc Ciceronis inconſtantia & hæſitatio, monere nos debet, quantum ſit philoſophiæ, in rebus ad animorum ſalutem pertinentibus, tribuendum: ut eam ſcilicet, diuinis innixi oraculis, nihil aliud, quàm ἀμφισβητήσιμον quoddam ὄναρ iudicemus, ipſius Socratis, principis Philoſophorum autoritatem ſecuti. Quod ſequitur.

Ἀναισθησία fruſtra optatur ab impiis: piis eſt deteſtabilis.

Ciceronis inconſtantia nos doceat, oraculis, non ratiunculis, nitendum eſſe.

CCCCI. SENTENTIA.

Sin autem nihil denunciabitur, eo tamen ſimus animo, ut horribilem eum diem aliis, nobis fauſtum putemus.

Mors homini cordato in horas expectanda.

EXPLICATIO.

Hunc habet ſenſum: mortem in horas expectandam eſſe: etiamſi corpus rectè ualeat: animus hilaris ſit atque alacer, fortunæ denique & publicæ & priuatæ ſaluæ atque incolumes. Sentētia porro hæc Ciceronis ad certam ſpeciem aſtringatur, hoc modo: Chriſtiani

Inflexio uerborum Ciceronis.

ni eo debent esse animo, ut horribilem mortis diem impiis, sibi faustum putent.

CCCCII. SENTENTIA.

Nihilq; in malis ducamus; quod sit uel à Diis immortalibus, uel à Natura, parente omnium, constitutum.

EXPLICATIO.

Natura (ut sæpe iam dixi) nihil aliud est, nisi uis & ordo rerum diuinitus institutus in elementis, stirpibus, animantibus, cœlis, geniis denique cœlestibus. Mors autem neque à Diis immortalibus, nec à Natura constituta est: sed inuidia Diaboli (Deo libertati uoluntatis humanæ non aduersato, nec suum munus eripiente) peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors. Cuius effectrices causæ pessimæ cùm sint: quid in ea boni esse possit? ac potius quid mali non insit? Fit tamen mors bona piis hominibus ού κατ' αὐτὸν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, ut Aristotelicè loquamur. Illud quidem ἀξίωμα probatur: quicquid à Deo immortali naturæ autore constitutum est, non esse in malis ducendum. Et hoc de prima creatione rerum rectè dicitur. Mors autem à Deo constituta est, ut

Mors bona nō est, nec à Natura constituta.

pœna

pœna esset peccati, idq́ destrueret, hominémque (modò ipse uellet) ad uitam perduceret meliorem. Mors à Deo constituta, ut pœna esset.

CCCCIII. SENTENTIA.

Non enim temerè, nec fortuitò sati & creati sumus: sed profectò fuit quædam uis, quæ generi consuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod, cùm exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum.

EXPLICATIO.

Magno ex affectu eruperunt hæc uerba, & ex altissima cogitatione humanæ miseriæ, diuinæq́ prouidentiæ atque clementiæ: quæ, nisi maxima esset, siq́ aliqua post obitum supplicia restarent apud Inferos: uerissimum illud Homeri haberetur: Prouidentiæ & clementiæ diuinæ profunda consideratio.

Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

(nihil imbecillius tellurem alere homine inter omnia, quæ in terra & spirent et serpãt.) Et summæ esse impietatis pariter & dementiæ uideretur, contrahere matrimonia, & procreare sobolem, æternùm in Pyriphlegethon- Absurda, quæ Inferos sequi uidentur.

thonte cruciandam. Bonæ istæ (ut uulgò putant) rationes permultos decipiunt qui Dei quasi patrocinium suscipientes, negant, eum esse tyrannum: qui maximam et potissimam generis humani partem, ad perniciem & cruciatus sempiternos condiderit, paucissimos beata immortalitate donaturus. Quantula enim pars orbis terrarũ à nominis Christiani hominibus tenetur? & inter hos ipsos quotusquisq; reperitur, qui nomini suo respondens, uitam Deo dignàm agat? Itaq; multitudine improborum freti, plerique securè indulgent affectibus & libidinibus suis: quicquid uel de extremo iudicio, uel de suppliciis Inferorum dicitur & scribitur: commenta & fraudes monachorum & sacrificulorum esse putant: siue ad aucupium nummorum & potentiæ, siue ad coercendam uulgi petulantiam ac ferocitatem comparatas. Et extant sanè huiusmodi sententiæ & Græcorum & Latinorum literis consignatæ: quarum nonnullas suprà exposuimus. Et tradit Valerius Maximus libro 1. capite 1. In lapidea quadam arca inuentos fuisse libros reconditos Latinos septem de iure pontificũ: totidemq; Græcos de disciplina sapientiæ. Qui aliqua ex parte cùm ad soluendam religionem pertinere

Angustiæ regni Dei.

Homines securi.

Impiæ sententiæ.

tinere uiderentur: senatusconsulta cremati fuerint. Sic alij (ut est apud Diodorum Siculum) censent, Minoem à Ioue, Lycurgum ab Apolline, Mosem ab Iehouá se leges accepisse, quò ea sacrosancta haberentur, simulasse. Audiuntur etiam infimæ plebis uoces blasphemæ & execrabiles: à quarum cõmemoratione etiamsi animi & aures piorũ hominum abhorrent: tamen eas, ut tanquã pestifera Sirenũ cantilena & lethiferũ carmẽ obturatis auribus prætereantur, in animum certè minimè admittantur, præscire utile est adolescẽtibus. Negant alij uel diabolum tam nigrum esse, quàm pingatur: uel Inferos tam æstuosos, quàm dicantur. Pœnas enim illas omnino oportere esse tolerabiles. Alij non utique anseribus conditum esse cœlum, dictitant: alij sacrificulos arctißima diabolo necessitudine coniunctos uideri: cuius & infinitam potentiam, & regnum amplißimum tantopere celebrent: alij apertè effutire non dubitant, quando quis de re parum comperta uerba faciat, perinde esse ac si de Deo concionetur: alij, ubi mortuus fuero: ero, inquiunt, mortuus: hoc est, nullus ero, quippe sensus omnis expers: &, Mihi morienti totus Mundus commoritur: hoc est, neque cœ-

Voces blasphemæ.

lum, neque terra iam quicquam ad me pertinebit: &, Homo cùm moritur, tum est eius extremus dies, hoc est, nullum aliud iudicium restat, actum de illo & conclamatum est: etsi dicta hæc posteriora etiam alium habere sensum possunt. Scripsit & uir doctissimus Remundus Sebundius eruditum

Theologia naturalis. *dialogum Theologiæ naturalis: quo tamen negat, hominem, qui finitus sit, finito, eóque breuissimo tempore, infinitè peccare posse: quamuis infinitæ maiestati diuinæ læsæ, pœnæ infinitæ & æternæ debeantur. M. Antonius*

Aeterna peccandi uoluntas. *Natta uerò in impiis æternam peccandi uoluntatem, æternis coercendam esse pœnis, affirmat. Nec tamen desunt belli (si Diis*

Machiaueli cœlum. *placet) & faceti homunculi: qui Machiauellum, scelerum magistrum, & perniciosum principum assentatorem, secuti, se Inferos cœlis anteponere, ioco scilicet, dicāt: quòd cœlum non nisi pauculos uetulos monachos, & superstitiosas aniculas habeat: apud Inferos uerò maxima frequentia degant pontifices, reges, Cæsares, principes, & infiniti bellissimi homunculi, & mulierculæ elegantissimæ. Milites autem sibi & ad Superos & ad Inferos patere aditum negant: quòd neutri clangorē tubarū, & tympanorū sonitū, & armorū stre-*

ſtrepitũ, & tormẽtorũ bellicorũ tonitrua ferre poßint. Deſtinatũ uerò ſibi eſſe pratũ quoddam Peppelij amœniſsimũ (id pratũ, ut apparet, in cãpi Elyſij ſucceßit locũ) in quo poculis extractisq́; menſis, & formoſiſsimarũ puellarũ fruẽtes amplexib. uitã degant optatiſsimam. Nec alius ferè Turcorum paradiſus eſt. Ita Cares iſti, quos Iſocrates communes omnium hoſtes appellat, & de quibus Lucanus ſcribere non dubitauit: Militum Peppelij pratum.

Nulla fides pietasq́; uiris q̃ caſtra ſequũtur:
Venalesq́; manus: ibi fas ubi maxima merces:
ludunt in re ſeria, riſumq́; rident Sardoniũ. Noſtro ſic uiuitur æuo.

Sed quid dicta impiorum hominum perſequor? cùm uita & mores maximæ partis, tã ſummorũ quàm infimorũ, tam doctorũ quã idiotarum, nihil ferè aliud ſit, niſi hypocriſis, ſophiſtica ſycophantia, tyrannis, furtum, latrocinium, fraus, luxus, ſentina ſcelerum & flagitiorũ omniũ? Quare adoleſcentes ſumma ope niti debent, & diuinã opem uotis ardentibus continenter implorare: ne Epicureis iſtis cogitationib. ſermonibus, ſcriptis, exẽplis in fraudem capitalem atque inexpiabilẽ inducantur: ſed illis conſtantis animi firmiſſima fide opponant τὴν δικαιοκρισίαν τοῦ θεοῦ (iuſtum Dei iudiciũ) & dictum Ieſu Chriſti Adoleſcentes aduerſus Epicureos armati ſunto.

seruatoris nostri: IBVNT ELECTI IN VITAM SEMPITERNAM: CONDEMNATI VERO IN IGNEM AETERNVM: *reiectis omnibus humanis ratiunculis & disputationibus: eámque uitam agant, ut spem beatæ immortalitatis habere poßint. Multitudo peccantium nemini peccanti patrocinatur: nec uideo quid leuamenti aut solatij afferat societas suspendij, naufragij, incendij, aliorúmue communium & ineluctabilium calamitatum.* Τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ᾽ οὐ μέλει (*sua quenque, ut Pindarus ait, mala premunt: aliena parum curantur.) Laborum quidem & periculorum communicatio cum multis, nonnihil leuat & confirmat animos: dolorum uerò & infortuniorum nequaquam: sed potius mœrorem & desperationem auget: cùm & sua mala sentiunt, & aliena uident, neque quicquam opis uel afferre ipsi aliis, uel ab aliis expectare possunt. Apud Comicum Pamphilus, nescio quam constantiæ laudem captans, rogat:* QVIS TIBI VIDEOR? *Ei respondet Charinus* παρὰ προσδοκίαν: AEQVE MISER ATQVE EGO.

Societas laborum & periculorũ leuat animos: non calamitatum.

CCCCIIII. SENTENTIA.

Portum potius paratum nobis & perfugi-

fugium putemus, quò utinam uelis pasſis peruehi liceat. Sin reflantibus uentis reijciemur: tamen eodem paulò tardius referamur, necesse est.

EXPLICATIO.

Vita hic nauigationi & exilio, mors portui & asylo comparatur. In quam sententiam extat elegans epigramma Græcum: Vita, nauigatio & exiliū: Mors portus & asylum.

Πλοῦς σφαλερὸς τὸ ζῆν: χειμαζόμενοι γὰρ ἐν αὐτῷ
 Πόλλακι ναυηγῶν πταίομεν οἰκτρότερα.
Τὴν δὲ τύχην βιότοιο κυβερνήτειραν ἔχοντες,
 Ὡς ἐπὶ τοῦ πελάγους ἀμφίβολοι πλέομεν:
Οἱ μὲν ἐπ' εὐπλοΐην: οἱ δ' ἔμπαλιν: ἀλλ' ἅμα πάντες
 Εἰς ἕνα τὸν κατὰ γῆς ὅρμον ἀπερχόμεθα.

Quos olim adolescēs utcunque uerti, hoc modo:

Vita ratis fragilis: miserè iactamur in illa,
 Sæpeque naufragiis sæuius atterimur.
Cumque leuis dubiā uitā Fortuna gubernet
 Ambigui ferimur non secus atque mari.
Hos fouet aura: graues illos urſere procellæ:
 Portus at unus, iners regia Ditis erit.

Ciceronem autem uitæ pertæsum potius hæc scribere, quàm desiderio uitæ sempiternæ, ex toties repetitis de immortalitate dubitationibus apparet: nec tamen sibi manus afferre uoluisse: εἴτε φιλοψυχοῦντα, εἴτε μεταβολὰς Cicero uitæ pertæsus, afferre sibi manus noluit.

ἐλπίζοντα, εἴτε μὴ δέον εἶναι τοῦθ' ἡγησάμενος (*siue amore uitæ, siue quòd mutationem speraret, siue quòd nefas id esse duceret*) *sed uel fortunæ imperium, uel Parcarum forpicem expectasse. Et quidem in Græciam nauigaturus, Antonio iam rerum potiente, reflantibus uentis reiectus, & passis uelis (ut eius uerba usurpem) ad M. Antonij sicarios peruectus, portum illum mortis & perfugium, ultrò porrecto iugulo, & seruis suis pro se pugnare prohibitis, reperit: cùm diceret, ferendum esse, quod iniqua fortuna cogeret: coruis lecticam circumuolantibus, & indignam uiri præstantissimi necem uel præsagientibus, uel quasi commiserantibus, eúmque protegentibus:*

Cicero quodam modo suũ diuinauit interitum.

Hic finis Tullij fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Romã oppressã & deleta uidentẽ
Iura: tyrannorũ dominante libidine passim.

CCCCV. SENTENTIA.

Cõmunis miseria beat neminẽ.

Quod aũt omnibus necesse est: id'ne miserum uni esse potest?

EXPLICATIO.

Non certè, sed omnibus æquè. Ipsum enim necessitatis nomen est molestissimæ significationis: ut & Græcus pentameter affirmat, cuius sententia est:

Esse

Esse coacta etenim cuncta, molesta solent. Sed hac de re suprà diximus. Neque tamen debemus uel peculiarem fortunam postulare, uel communem recusare: ut alibi sapienter præcipit. Sumus enim eadem mortalitatis conditione sati oẽs: unà peccauimus: unà pœnas toleremus. Illud potius curandũ est, ut portũ paratũ nobis & perfugiũ in cœlis reperiam⁹. Quod nihil aliud est, quàm inprimis regnũ Dei quærere. Quòd si faceremus: etiã in terris aliquo modo beati essemus. Nam in hac uita uiri sapientissimi & sanctissimi ferè aut contemnuntur (quod facilè illi ferũt, non repugnanter) aut etiam (quod est multò acerbius, toleratuq́ difficilius) ignominiosè crudeliterq́ tractantur. Sed his (ut præclarè Hugo scripsit) MORS est exitus de carcere: finis exilij: laboris consummatio: omnium onerum depositio: debiti naturalis solutio: omnium periculorum euasio: reditus ad patriam: ianua ad ueram uitam: ingressus ad gloriam. Impij uerò siue Epicurei, siue Academici, quali dilemmate nitantur, cùm dicunt aut saltem cogitant: se post mortem, aut nihil, aut beatos fore: ipsi uiderint. Nam diuina quidem oracula dilemma continent longè aliud: Hominem

Spe finis dura ferenda.

Hugo de morte.

Dilemma Epicureũ.

Dilemma Christianũ

post obitum fore aut beatissimum aut miserrimum pro acta uita, & fidei suæ ratione.

CCCCVI. SENTENTIA.

Habes epilogum, ne quid prætermissum, aut relictum putes. A. Ego uerò. Et quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem. M. Optimè, inquam. Sed nunc quidem ualetudini tribuamus aliquid.

EXPLICATIO.

Optãdum est, ut sit mẽs sana in corpore sano, inquit Iuuenalis. Ego addo ex Platone Optandum est, felix sit ut emigratio nostra. Sed Demonicus nescio quis, quasi in sola temperantia posita sit, & non infinitis aliis casibus lædatur ualetudo, parum piè parumq́ sapienter uota reÿcit, curam postulat, his uerbis: ὑγιείην εὐχαῖς παρὰ θεῶν αἰτέονται ἄνθρωποι. ταύτην δὲ τὴν δύναμιν ἐν ἑαυτοῖς ἔχοντες οὐκ ἴσασιν. Ἀκρασίῃ δὲ τἀναντία πρήσσοντες, αὐτοὶ προδόται τῆς ὑγιείης τῇσιν ἐπιθυμίῃσι γίγνονται *(Sanitatem precibus à Diis expetunt homines: nec animaduertunt, penes sese facultatem eam esse. Sed cùm per intemperantiam ipsi ualetudinem lædant: libidinibus suis proditores fiunt sanitatis, id est, sanitate se priuant.) Hippocra-*

Valetudo non tãtùm cura & tẽperãtia cõstat: sed & precibus est opus. Demonici cuiusdam sententia.

pocrates tria saluberrima esse scribit: ἀκορίην τροφῆς, ἀοκνίην πόνων, καὶ σπέρματος οὐσίης συντήρησιν (edere & bibere citra satietatem; laborare sedulò, sed citra defatigationem: & semen naturale cõseruare.) Idem inquit, πόνοι, πότοι, ὕπνοι, σιτία, ἀφροδίσια, πάντα μέτρια. πᾶν γὰρ τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει (labores, somni, cibi, potiones, res uenerea, omnia deniq; moderata sunto. Omne enim immodicum est naturæ inimicum.) Cicero autem noster extremo secundo de officijs: Valetudo, inquit, sustentatur noticia sui corporis: & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant aut obesse: & continentia in uictu omni atq; cultu, corporis tuendi causa: & prætermittendis uoluptatibus. Postremò arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent, id est, medicorum, quos Xenophon ἀκεστὰς ἱματίων ἐρρωγότων appellat. Vetere autem prouerbio, maturè fieri senes iubemur: si diu uelimus esse senes: hoc est, senili prudẽtia religionem colere, gulæ & inguinibus imperare: cauere pericula.

Hippocratis 3. saluberrima.

Ciceronis præcepta sanitatis.

CCCCVII. SENTENTIA.

Cras autem, & quot dies erimus in Tusculano (ociosi) agamus hæc (id est, tractemus philosophica, quæ nos reddant

firmiores aduersus metum mortis) & ea potissimum, quæ leuationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatū: qui omni è philosophia fructus est uberrimus.

EXPLICATIO.

Breuiter hic denunciat, quæ libris ijs qui sequuntur, expectanda sint. Ac philosophi, Stoici inprimis, in id pro uirili (arrogantiús ne dicam, an stultius?) incubuerunt: ut hominem sapientem (quem quæsiuerunt illi, non repererunt) è dominatu fortunæ ereptum, in Deum quendam transformarent: qui bona omnia à semetipso peteret, ac ne Iouem quidē iratum (hac enim impudenti hyperbola utebantur) extimesceret. Etsi autem uerum est, summum bonum in animo esse collocatum: summum tamen bonum non est ipse animus, sed animi sanctificati autor & hospes, Deus Optimus Maximus. Verùm hæc Theologorū sunt: etsi Plato locis compluribus idem disputat: eaq́ de causa, non prorsus sine ratione à Græcis diuinus fuit appellatus. Peripatetici autem, id est, Aristotelis sectatores, non ἀπάθειαν, id est, uacuitatem à perturbationibus, ut & negatam, & non satis utilem homini:

Stoicorū stultus conatus beandi sapientis.

sed

sed μετριοπάθειαν, id est, leuationem ægritudinum, ac moderationem affectuum probauerunt: ad quam quò quisq; propius accesserit: eò sanè maius in studijs operæ precium fecerit. Notetur hoc pronunciatum: Omni è philosophia esse fructum uberrimum, ea quæ leuationem habeant ægritudinum, formidinũ, cupiditatum: ut & Isocrates dicit, animi institutionem ad bonos mores, præstantißimã esse philosophiæ partem, (τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας ἐστὶ τὰ ἠθικά.) Vulgò autem omnem liberalem doctrinam, non ad animi culturam, sed ad quæstum (pauperibus sanè necessarium: sed altius ascendendum est) referunt homines seruilibus præditi ingenijs: cùm ueræ philosophiæ omnisq; liberalis doctrinæ præcipuus finis sit cognitio ueritatis, actio uirtutis (à qua nec eloquentia segreganda est) & animi tranquillitas: quæ esse nulla potest, nisi & mens uero iudicio gubernetur, & appetitus obediens rationi præbeatur. Ita fit, ut magistros & doctores multos, paucos uerò uiros bonos & sapientes habeamus: cùm studia maximæ partis ad quæritandum uictum, & ad altiorem dignitatis gradum consequendum referantur. Neque uerò hæc, pauperibus necessaria reprehendo:

Omni è philosophia fructus uberrimus est animi tranquillitas.

Falsus studiorũ scopus non facit uiros bonos.

Ad falsum scopū accedunt malæ artes.

illud ferendum non est, quòd plerique pessimis artibus ista consequi student: pietatis, uirtutis, eruditionis nulla, tanquam Megarensiū, aut exigua certè habita ratione. Etsi autem (ut Camerarius ait) aliunde (id est, è sacris literis) petenda remedia sunt, quibus in hoc morbo (metu mortis) & similibus percurentur animi nostri: hæc tamen Ciceroniana etiam, uelut ad præparationem quandam assumamus: quibus mansuefacti, illi curationi (Theologicæ) prudentius obsecundent: neque in his cognoscendis operam ludi putemus, in hac uerborum elegantia: bonitate sententiarum: compositionis uenustate: splendore atque copia exemplorum. Quæ ut non reddiderint nos aduersus mortem firmiores: aliquid tamen eruditiunculæ contulere nobis, & auxere prudentiolam nostram. Hæc Camerarius: cuius eruditissimos commentarios, ut & Georgij Vallæ, & Beroaldi, & Fabricij, & Sturmij (si quando prodierint) studiosos accuratè legere, utilius fuerit, quàm me post tot Homeros Iliadem scribere. Nostra tamen tot sententiarum & argumentationum ἐνδείξεις καὶ ἐπικρίσεις, id est, indicationes atque censuræ (modò ne arrogantius uideatur hoc uocabulum) adolescentiæ fortassis & animaduersionem

Camerarij cōmendatio horum librorum.

Aliorum etiam commentarij sunt legendi.

nem excitabunt, iuuabuntq́ memoriam, & acuent iudicia: quæ ut omnibus libera semper fuerũt: ita nec mihi uitio uertendæ erunt hæ notationes, nõ ab ullo prauo affectu, sed à simplicis ueritatis studio profectæ, & candidè libereq́ expositæ. Sum natura φιλαλήθης καὶ παῤῥησιαςής (ueritatis & in dicendo libertatis amans) nec aliud lingua promptum, aliud pectore clausum gero:

Nullius addictus iurare in uerba magistri: neq opinionum neq affectuum seruus. Hæc κατὰ πλάτωνα εὐήθεια (Platonica simplicitas) cui placet: me utatur, licebit: mancipia profanæ autoritatis nihil moror: neq pluris illos facio, quàm illi me.

MORTIS CONTEMPTVS.

Nemo libens moritur. Fugiũt animãtia letũ.
Vita iuuat uolucres longior, atq feras.
Sed sapientis amor non uita, sed optima uitæ
Est uia: quæ mortis temperat una metũ.
Ergo mori quisquis secura mente laborat:
Sit pius: officij nocte dieq́ memor.

FINIS PRIMI LIBRI.

I. ACCESSIO AD TVSCVLANAM PRIMAM.

QVAESTIONES, PRIMI libri Tusculanarum disputationum summam breuiter complectentes.

Examinator. Quid tractant libri quinque Tusculanarum quæstionum siue disputationum?

Auditor. 1. *Primus est de contemnenda morte.*

2. *Secundus de tolerando dolore.*

3. *Tertius de ægritudine lenienda.*

4. *Quartus de cæteris affectibus moderandis.*

5. *Quintus, uirtutem ad bene beateq́; uiuendum se ipsa contentam esse, docere instituit.*

E. Cur quæstiones inscribuntur?

A. *Quia quæritur, Sit'ne mors malum? Sit'ne contemnenda? & cur? & quo-*

quomodo? & sic de cæteris.

E. Cur uerò disputationes?

A. *Quia in utranque partem disseritur de propositis quæstionibus, confirmando & confutando, ueritatis indagandæ studio.*

E. Quis finis est istarum disputationum?

A. *Remouere metum mortis & doloris: lenire ægritudinem: affectus reliquos moderari: ut uir sapiens beata uita potiatur.*

E. Potest'ne quisquam in hac uita id consequi?

A. *Sapientia humana fortasse molestias animi potest minuere: & cauere, ne quis suapte culpa sibi calamitates accersat. Sed Lactantius rectè scribit, Philosophos deorsum quærere, quod in sublimi quærere debuissent.*

E. Primus liber quot partes principes habet?

A. *Tres, procemium, disputationem ipsam, quæ dialogo constat, & epilogum.*

E. In procemio quid potissimùm agit Cicero?

A. *Inuitat & hortatur Romanos suos, ad capessendum sapientiæ studium.*

E. Qui-

E. Quibus argumentis?

A. 1. *Primùm à facultate, quòd excellentibus ingenijs præditi, Græcis eam quoq; laudē poßint præripere.*

2 *Deinde ab utili, hoc eſt, à dignitate philòſophiæ: qua omnium artium, quæ ad rectam uiuendi uiam pertineant, ratio & diſciplina contineatur.*

3. *Deniq; à facili & iucundo: quòd ipſe philoſophiam illuſtrarit: & de maximis quæſtionibus copiosè ornateq; diſſeruerit.*

E: Quæ eſt ſumma primi libri, & diſputationis de contemnenda morte?

A. *Nititur autor imperfecta diuiſione: mortem aut tollere omnem ſenſum: & mortuo, nihil ſentienti, malum eam eſſe non poſſe: quamuis non ſit cùm fuerit: nihilò magis, quàm antequam natus eſſet: aut animum, corpori ſuperſtitem, uitam cœleſtem adipiſci.*

E. De pœnis autem Inferorum quid ſentit Cicero?

A. *Inferos, contra ſacrarum literarum autoritatem, portenta pictorum & poëtarum appellat: quæ nulla ſit anus tam delira, ut extimeſcat.*

A. Cur

E. Cur uerò?

A. *Neque enim animũ siue aërius sit, siue igneus, descendere, in terram cadentibus corporibus: sed sursum potius, propter leuitatẽ, & ardorem, & celeritatem, ascendere.*

E. Animum ergo sentit esse immortalem?

A. *Optare potius uidetur, quàm certò persuasum habere: non satis fidens suis rationibus. Quas antequam exponat: quid & mors sit? & quid animus? disputat.*

E. Quæ sunt illæ?

A. *Sanè complures: utinam æquè firmæ.*

E. Quæ princeps illarum est?

A. *Autoritas maiorũ, qui defunctis tam religiosa iura tribuerint: & consensio nationum atq; gentium: quæ, ut Deum esse, ita animos etiam esse immortales credant.*

E. Quid incommodi habet istud argumentum?

A. *Quòd eádem autoritate maiorũ, & nationum, Inferi, uariæq; superstitiones, flagitia item & scelera nefaria, pene infinita, probari possent. Neq; enim ullus est omnium*

nationum, de rebus uel diuinis uel humanis consensus talis, qui lex naturæ statui possit: alijs alia (ut docent historiæ) tam in religione, quàm ciuilibus moribus & institutis uel laudantibus uel detestantibus.

E. Nulla ergo est philosophiæ certitudo?

A. *Est aliqua certis in rebus: si præsertim autoritate diuinorum oraculorum, tanquã tibicinibus, fulciatur. Ad legem igitur & ad oraculum. Alioquin enim, ijs qui (ut ait Esaias) uentriloquos & pro uiuis mortuos consulunt: ea dicent illi, in quibus nihil erit auroræ. Sed, his omissis, Ciceronem & auditorem (quisquis ille fuit) differentes audiamus, nulla censura interposita: quod in ipsa operis explicatione mediocriter esse præstitum, confidimus.*

Auditor. Quid est mors?

Marcus. *Vel discessus animi à corpore: uel animi unà cum corpore occasus atque extinctio.*

A. Explica priorem partem?

M. *Qui discedere animum censent; alij statim*

statim dißipari; alij diu permanere, alij semper.

A. Quid est animus? aut ubi? aut unde?

M. *Magna dissensio est.*

1. *Alijs cor ipsum animus uidetur.*

2. *Empedocles animũ esse censet cordi suffusum sanguinem (τὸ περικάρδιον αἷμα.)*

3. *Alijs pars quædam cerebri uisa est animi principatum tenere.*

4. *Alij in corde, alij in cerebro dixerunt animi esse sedem & locum.*

5. *Romani animum animam, id est, flatũ seu spiritum nominarunt.*

6. *Zenoni Stoico animus ignis uidetur.*

7. *Aristoxenus harmoniam dicit (esse animum) & sic ex corporis totius natura & figura, uarios motus cieri, tanquam in cantu sonos.*

8. *Xenocrates & Pythagoras, animum numerum esse dixerunt: cuius uis in natura maxima esset.*

9. *Plato triplicem finxit animi naturam, cuius principatum (rationem, τὸ ἡγεμονικὸν) in capite, sicut in arce, posuit: & duas partes*

separare uoluit, iram & cupiditatem (τὸ, τὸ θυμῶδες καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν) quas locis disclusit: iram in pectore: cupiditatem subter præcordia locauit.

10. *Apud Dicæarchum (qui ne condoluisse quidem animo unquam uidetur, qui animum se habere non sentiat) Pherecrates quidam Phthiota, senex, à Deucalione ortus, ait, animi nomen totum esse inane: uimq́ omnem eam, quà uel agamus quid, uel sentiamus; in omnibus corporibus uiuis æquabiliter esse fusam: nec separabilem esse à corpore: quippe quæ nulla sit: nec sit quicquam, nisi corpus unum & simplex: ita figuratum: ut temperatione naturæ uigeat & sentiat.*

11. *Aristoteles quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens: & sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat, nouo nomine; quasi quandam continuatam motionem & perennem.*

12. *Democritus leuibus & rotundis, corpusculis efficit animum concursu quodam fortuito.*

A. Quam'nam ex istis probas?

M. *Harum sententiarũ quæ uera sit, Deus aliquis uiderit: quæ uerisimilima, magna quæstio est.*

A. Non

A. Non ergò eas diiudicas?

M. *Imò, si animus est corpus, interibit cum reliquo corpore. Si anima est (flatus siue spiritus) fortasse dissipabitur: si ignis, extinguetur. Si est Aristoxeni harmonia: dissoluetur. His sententijs omnibus nihil mors pertinere ad quenquam potest. pariter enim cùm uita sensus amittitur. Non sentientis autem, nihil est, quod in ullam partem intersit. Reliquorũ sententiæ (Platonis præsertim liber de animo) spem afferunt, posse animos, cum è corporibus excesserint, in cælum, quasi in domicilium suum, cum nunc domi alienæ sint, peruenire.*

A. *Ego uerò nescio quomodo, dum illum lego, assentior: cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cæpi cogitare: assensio omnis illa elabitur. Et tamen animos, si maneant, beatos esse concedo, si intereant: non esse miseros: quoniam ne sint quidem.*

M. Quid ex isto sequitur?

A. *Mortem malum non esse: quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus: aut non miseros, sensu carentes. Sed quibus autoribus docebis animos remanere post mortem?*

M. *Optimis (quod in omnibus causis & so let & debet ualere plurimum) & primùm quidem omni antiquitate: quæ quò propius aberat ab ortu & diuina progenie: hôc melius fortaßis, ea quæ erant uera, cernebat.*

A. Quid uerò sentiebant prisci illi?

M. *Vnum illud erat eis insitum, esse in morte sensum (mortuos sentire) neque excessu è uita sic deleri hominem ut funditùs interiret: sed mortem quandam quasi migrationem (esse) commutationemq́; uitæ: quæ (uita) in claris uiris & fœminis, animis dux in cælũ soleret esse: in cæteris humi retineretur, & permaneret tamen.*

A. Vnde id intelligi licet?

M. 1. *È Pontificio iure & cerimoniis sepulchrorum.*

2. *Totum propè cælum non'ne humano genere completum est? (Intelligendi sunt Dij ueterum & nomina stellarum.)*

3. *Visis quibusdam (id est, spectris quæ Φάσματα Græci dicunt) sæpè mouebantur: hisq́; maximè nocturnis (somnijs) ut uiderentur ij, qui uita excesserant, uiuere.*

4. *Om-*

4. Omnibus curæ ſunt & maximæ quidē, quæ poſt mortem futura ſint: ut ſatio arborum, quæ alteri ſeculo proſint, declarat: & Reipublicæ curatio, etiam in poſterū, & procreatio liberûm, & adoptio filiorum: & teſtamentorum diligentia: & ſepulchrorum monimenta atque elogia: & natura eorum, qui ſe natos ad homines iuuandos, tutandos, conſeruandos arbitrantur: & ij qui ob Rempublicam interficiuntur.

A. Quid inde colligis?

M. *Naturam ipſam de immortalitate animorum, tacitam iudicare. & inhærere in mentibus quaſi ſeculorum quoddam augurium futurorum. Ideoq; & poëtæ & opifices & philoſophi poſt mortem nobilitari uolunt. Veriſimile autem eſt (cum optimus quiſque maximè poſteritati ſeruiat) eſſe aliquid, cuius is poſt mortem ſenſum ſit habiturus.*

A. Debet ſanè ſpecimen naturæ capi ex optima quaq; natura. Sed quid uulgus de immortalitate ſentit?

M. *Quis eſt qui ſuorum mortem non eò lu*

geat, quòd eos orbatos uitæ commodis arbitretur? idq́ sentire.

A. Ista uerò immortalitas, orbata uitæ commodis, quanti tandem æstimanda est?

M. *Vt Deos esse, natura opinamur: qualesq́ sint, ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur, consensu nationum omnium: qui omni in re lex naturæ putandus est. Quæ uerò in sede maneant, qualesq́ sint? ratione discendum est: cuius ignoratio finxit Inferos uanasq́ formidines, quas auxerunt poëtæ.*

A. Qui nam primi scripserunt de immortalitate animorum?

M. *Pherecydes Scyrius, Pythagoras, Plato.*

A. Cur negas animos descendere ad Inferos?

M. *Quia perspicuum debet esse, eos, cùm è corpore excesserint, siue illi sint animales, id est spirabiles, siue ignei, in sublime ferri, præsertim cùm nihil sit animo uelocius: nullaq́ celeritas sit, quæ possit cum animi celeritate cōtendere.*

A. Quid

A. Quid inde concludis?

M. *Animos siue dißipentur, procul à terra id euenire: siue permaneāt, & conseruent habitum suum: iunctos ex anima tenui, & ex ardore Solis temperato, ubi regionem aeris humidam & caliginosam superarint, ignibus insistere, & finem altius se efferendi facere: ubi nulla re egentes alantur & sustententur ijsdem rebus, quibus astra.*

A. Ideóne beati erunt?

M. *Profectò beati erimus, cum, corporibus relictis, & cupiditatum & æmulationum erimus expertes: totosq́ nos in contemplandis rebus perspiciendisq́ ponemus. Præcipuè verò cognitione rerum cœlestium, eaq́ pulchritudine fruentur ij, qui tum etiam, cum, has terras incolentes, circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.*

A. At quomodo uidebunt ista sine oculis?

M. *Imò, nos ne nunc quidem oculis cernimus ea quæ uidemus. Neq; enim ullus est sensus in corpore: sed uiæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares à sede animi perforatæ: qui & uidet, & audit, & iudex solus*

est rerum dissimilimarum, quas mente comprehendimus, ut coloris, saporis, caloris, odoris, soni.

A. Sed quid Epicurus ait?

M. *Homines, cũ tempus mortis uenerit, totos esse perituros. Quod ut ita sit (nihil enim pugno) quid habet ista res aut lætabile aut gloriosum? Nec tamen mihi sanè quicquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis uera sententia.*

A. Cur Epicureis incredibilis animorum uidetur æternitas?

M. *Quòd nequeunt, qualis animus sit, uacans corpore, intelligere & cogitatione comprehendere.*

A. Tu uerò quid sentis?

M. *Animum eos intelligere qualis sit, ne in ipso quidem corpore: quæ conformatio? quæ magnitudo? qui locus? Si enim quod nunquam uidimus, id quale sit, intelligere non possumus: certè & Deum ipsum & diuinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus.*

A. Ita-

A. Ita'ne homini negatum est, animo ipso animum uidere, ut oculo semetipsum?

M. *Cum Apollo monet, ut* SE QVISQVE NOSCAT, *nosse animum iubet, quod diuinum est. Nam corpus quidem quasi uas est, aut aliquod animi receptaculum. sed si, qualis sit animus, ipse animus nesciat: dic quæso, ne esse quidem se sciet? ne moueri quidem se?*

A. Quæ est Platonis de motu animi ratio?

M. *In Phædro ait Socrates: quod semper ui sua, nõ aliena, mouetur, id æternum est: quia nunquam deseritur à se. Quis autem est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Ex quo efficitur æternitas.*

A. Quod est aliud immortalitatis argumentum?

M. *Præter uitã & appetitũ (quorũ illa cum stirpibus, hic cum bestiis homini cõmunis est) habet memoriam, & eam infinitam rerum innumerabiliũ. Quam quidẽ Plato recordationẽ esse uult superioris uitæ & plurimarũ* 1.

re-

rerum cognitionis, quas animus, cum se col-
legerit atque recrearit, tum cognoscat remi-
2. *miniscendo. Quid? illa uis quæ tandem est,*
quæ inuestigat occulta: quæ inuentio atque
3. *excogitatio dicitur? Quis primus (quod*
Summæ sapientiæ Pythagoræ uisum est) om-
4. *nibus rebus imposuit nomina? Quis dissipa-*
tos homines congregauit, & ad societatem
5. *uitæ conuocauit? Quis sonos uocis, qui infini-*
ti uidebantur, paucis literarum notis termi-
6. *nauit? Quis errantium stellarum cursus, pro*
gressiones institionesq; notauit? quas Ar-
chimedes ita in sphæram illigauit, ut tardi-
tate & celeritate dissimilimos motus una re
7. *geret conuersio. Omnes magni: etiam superio*
res, qui fruges, qui uestitum, qui tecta, qui cul
tum uitæ, qui præsidia contra feras inuene-
8. *runt: à quibus mansuefacti & exculti, à ne-*
cessariis artificiis ad elegãtiora defluximus.
9. *Quàm diuina uis est poeseos & eloquentiæ?*
10. *Philosophia uerò, omnium mater artium,*
inuentum & donum Deorum, nos primùm
ad illorum cultum, deinde ad ius hominum
(quod situm est in generis humani societate)
tum ad modestiam, magnitudinemq; animi
erudiuit, eademq; ab animo, tanquam ab o-
culis caliginem dispulit: ut omnia supera, in-
fera,

fera, prima, ultima, media, uideremus. Prorsus hæc diuina mihi uidetur uis, quæ tot res efficiat & tantas: nec animorum ulla in terris origo inueniri potest.

A. Cur uerò?

M. *Quia, quicquid illud est, quod sentit, quod sapit, quod uult, quod uiget, cæleste & diuinum est: nec inuenietur unquam unde ad hominem uenire possit: nisi à Deo, eamq́ ob rem æternum sit necesse est.*

A. Vbi igitur aut qualis est ista mens?

M. *Qua facie quidem sit, aut ubi habitet: ne quærendum quidem est. Non ualet tantum animus, ut sese ipse uideat. At, ut oculus, sic animus, sese non uidens, alia cernit. Vim certè suam, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem uidet. Hæc magna, hæc diuina, hæc sempiterna sunt. Vt igitur Deum, quem non uides, agnoscis ex operibus eius: sic ex memoria rerum & inuentione & celeritate motus, omniq́ pulchritudine uirtutis uim diuinæ* MENTIS *agnoscito.*

A. Quæ dicis opera Dei?

M. *Opificium cœli & terræ admirabile, & homi-*

hominis (qui est quasi contemplator cœli ac Deorum, ipsorumq́ cultor) utilitati agros omnes, & maria parentia.

A. Vtinam possis dicere, quo in loco sit animus.

M. *Credo equidem in capite: & cur credã, multa afferre possum. Sed ubi ubi sit, certè quidem in te est.*

A. Quæ est ei natura?

M. *Propria puto & sua, cui nihil sit admixtum, nihil concretum, nihil coagmentatũ, nihil duplex. Quod cũ ita sit: certè nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur.*

A. Quis fructus est istius de immortalitate persuasionis?

M. *Id declarauit Socrates, qui cum penè in manu iam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, uerùm in cœlum uideretur ascendere.*

A. Eadémne conditione sunt animi soluti corporibus?

M. *Socrates ita censebat, itáque disseruit, duas*

duas esse uias, duplicesq́ cursus animorum, è corporibus excedentium. Nam qui se immanibus uitiis contaminassent, & totos libidinibus dedidissent: quibus cæcati, uel domesticis uitiis atque flagitiis se inquinassent: uel in Rep. uiolanda, fraudes inexpiabiles concepissent: iis deuium quoddam iter esse: seclusum à concilio Deorum. Qui autem se integros castosq́ seruauissent: quibusq́ fuisset minima cum corporibus contagio: seseq́ ab his semper seuocassent: essentq́ in corporibus humanis uitam imitati Deorum: his ad illos à quibus essent profecti reditum facilem patere.

A. Qui uerò fit ut de hoc multi dubitent?

M. *Quia idem nobis accidit diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpè usu uenit; qui acribus oculis solem intuentur, ut aspectum omnino amittant: sic mentis acies, seipsam intuens nonnunquam hebescit: ob eámque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans,* MVLTA ADVERSA REVERTENS *(reuerens) tanquam ratis in mari immenso, nostra uehitur oratio.*

A. Cum

A. Cum aliquando ſcripſeris, hanc uitam mortem eſſe, eamq; lamentatus ſis: licétne ſibi necem conſciſcere?

M. *Vetat dominans ille in nobis Deus, iniuſſu nos hinc ſuo demigrare. Cum uerò cauſam iuſtam Deus ipſe dederit: ne ille medius fidius uir ſapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit; nec tamen illa uincula carceris ruperit (leges enim uetant) ſed tanquam à magiſtratu aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo euocatus atq; emiſſus exierit. Tota enim philoſophorum uita (ut ait idem Socrates) commentatio mortis eſt.*

A. Non ſatis aſſequor quænam illa ſit.

M. *Cum à uoluptate, id eſt, à corpore, cum à re familiari (quæ eſt miniſtra & famula corporis) cum à Rep. cum à negocio omni ſeuocamus animum: quid tum agimus, niſi animum ad ſeipſum aduocamus, ſecum eſſe cogim⁹, maximeq; à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum non quicquā aliud eſt, quàm emori diſcere.*

A. Perdifficile iſtud eſt.

M. *Eſt profectò. Quare hoc cōmentemur, diſiun-*

disiungamusq; nos à corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti uitæ simile: quò cum uenerimus, tum denique uiuemus: & cum illuc ex his uinculis emissi feremur: minus tardabitur cursus animorum.

A. Equidem, cum uitæ miserias
cogito, nihil malo quàm
has res relin-
quere.

M. *Veniet tempus, & quidem celeriter: siue retardabis, siue properabis. Volat enim ætas.*

A. *Cum ista cognouerim tantum abest ab eo, ut malum mors sit (quod mihi dudum uidebatur) ut uerear, ne homini nihil sit non malum aliud certè: sed nihil bonum aliud potius: siquidem uel Dij ipsi, uel cum diis futuri sumus. (Hactenus absoluta est confirmatio immortalitatis animorũ: quam Inferorum confutatio antecessit: nunc confutatio earum sententiarum sequitur, quæ animos quasi capitis condemnant.)*

M. *Quid refert? Adsunt enim qui hæc non probent.*

A. Me uerò nemo de immortalitate depellet.

M. *Laudo id quidem: etsi nihil nimis oportet confidere. Mouemur enim sæpè aliquo acutè concluso: labamus, mutamusq; sententiam: clariorib. etiã in rebus inest aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit: simus armati.*

A. Sanè quidem: sed ne accidat, prouidebo. Qui autem sunt qui hæc non probent?

M. *Cateruæ ueniunt contradicentium Epicureorum: &, deliciæ meæ, Dicæarchus, in libris Lesbiacis, uult efficere, animos esse mortales. Stoici autem usuram nobis largiũtur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper, negant.*

A. *Miror equidem, Stoicos, quod tota in hac causa difficilimum est, suscipere,* POSSE ANIMVM MANERE CORPORE VACANTEM: *illud autem, quod non modò facile ad credendum est, sed eo concesso quod uolunt, consequens, id uerò non dare, ut* CVM DIV PERMANSERIT NE INTEREAT.

M. *Panætius uult (quod nemo negat) quicquid natum sit, interire: nasci autem animos:*

mos: quod declaret eorum similitudo, qui procreentur: quæ etiam in ingeniis non solùm in corporibus appareat. Alteram autem affert rationem, nihil esse quod doleat, quin id ægrum quoque esse possit. Quod autem in morbum cadat, id etiã interiturum. Dolere autem animos. Ergo etiam interire.

A. Quomodo ista refelli possunt?

M. *Quia sunt ignorantis, cum de animorum æternitate dicatur, de mente dici: quæ omni turbido motu semper uacet: nõ de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ, libidinesq́ uersentur: quas is, contra quem hæc dicũtur, semotas à mente & disclusas putat.*

A. De similitudine uerò quid respondes?

M. *Cum magna uis sit ad habitum mentis, in iis, quæ gignuntur in corpore (ea autem sunt, quæcunq; sunt, quæ similitudinem in corporibus faciant) nihil necessitatis afferre, cur nascantur animi similitudinem: quæ magis apparet in bestiis: quarum animi sunt rationis expertes. Iam permulti sunt facie bonorum patrum, uita omnium perditorum ita similes, ut sint facilè deterrimi.*

A. Ita est. Sed tamen, si (ut isti uolunt) animi non remaneant post mortem, mali quid affert ista sententia?

M. *Fac animum sic interire ut corpus. Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est. Vbi igitur malum est? quoniam nihil tertium.*

A. At ut mori malum non sit: num ne moriendum quidem esse, miserum putandum?

M. *Id uerò est, perueniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur.*

A. *Ego uerò Epicharmi sentētiam sequor:* EMORI NOLO: SED ME ESSE MORTVVM, NIHILI AESTIMO. *Nam ipse animi discessus à corpore non fit sine dolore.*

M. *Vt credam ita esse: quàm est id exiguum? Et falsum esse arbitror, & fit plerunque sine sensu: nonnunquam etiam cum uoluptate. Fit enim ad punctum temporis.*

A. *Sed illud angit, uel potius excruciat, tantas fortunas morte dimittere, tanta gloria, tanta dignitate orbari: & discessus ab omnibus iis quæ sunt bona in uita.*

M. *Vidè*

M. *Vide ne à malis dici uerius possit. Quid ego nunc lugeam uitam hominum? Verè & iure possum. Sed quid necesse est, cum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, uitam efficere deplorando miseriorem? Multos certè & domesticis & forensibus solatiis, ornamentisq; priuatos, si antè occidissent, mors eos à malis non à bonis abstraxisset. Nec malè ait Callimachus, multò sæpius lachrymasse Priamum, quàm Troilum.*

A. *At non omnes propagatione uitæ in Priami aut Pompeij calamitates incidunt. Metelli sperat sibi quisq; fortunam.*

M. *Proinde quasi aut plures fortunati sint, quàm infelices: aut certi quicquam sit in rebus humanis, aut sperare sit prudentius, quàm timere? Multa profectò morte effugiuntur, etiamsi non euenerint, tamen quia possunt euenire.*

A. Nónne uerò carere mortuos uitæ commodis est miserum?

M. *Si mortales animi sunt: dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Cum autem carere sentientis sit, nec*

sensus in mortuo sit: ne carere quidem in mortuo est.

A. At idipsum odiosum est, sine sensu esse.

M. *Odiosum, si id esset carere. Cum uerò perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit, quid potest esse in eo odiosum? qui nec careat, nec sentiat?*

A. *Deterrét ne sapientẽ mors (quæ propter incertos casus quotidie imminet: propter breuitatem uitæ nunquam longè põt abesse) quo minus in omne tempus Reip. suisq́; consulat, & posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere?*

M. *Mors (cuius imago somnus est, quã quotidie induis) nec ad uiuos pertinet nec ad mortuos. Alteri nulli sunt: alteros non attingit. Licet tamẽ etiã mortalẽ esse animũ, indicantẽ, æterna moliri: non gloriæ cupiditate (quã sensurus non sit) sed uirtute: quã necessariò gloria (etiãsi tu id nõ agas) cõsequatur.*

A. Sed ante tempus mori miserum est.

M. *Pellantur istæ ineptiæ penè aniles. Quod tandem tempus? naturæ ne? At ea quidem dedit usuram uitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. Quid igitur est quod querare,*

re, si repetit cum uult? Ea enim conditione acceperas. Quæ uerò ætas longa est? Aut qd omninò homini longũ? Nónne modò pueros, modò adolescẽtes, incursu à tergo insequẽs, nec opinãtes assecuta est senect⁹? Quod quia ultra nihil habemus, longum dicimus.

A. Cur eorum, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur?

M. *Quia nihil est ꝑfectò homini prudẽtia dulcius: quã (ut cætera auferat) affert certè senectus. Sed oĩa ista, perinde ut cuiq; data sunt, ita ꝓ rata parte, aut longa aut breuia dicũtur. Confer nostrã longissimã ætatẽ cum æternitate, in eadem propemodũ breuitate, qua illæ ad Hypanim bestiolæ, quæ* ἐφήμεραι καὶ ἡμερόβια *dicuntur, reperiemur.*

A. Qua uerò ratione, istas, quas dicis, ineptias contemnemus?

M. *Si totam uim benè uiuendi, in animi robore ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum contemptione & despicientia, & in omni uirtute ponamus. Nec enim cuiquam bono mali quicquã euenire potest nec uiuo nec mortuo: nec unquam eius res à Diis immortalibus negligentur. Etiam exemplis uirorum fortium, atq; adeò mulierum quoq; plurimis confirmari debemus.*

 Sunt

A. *Sunt qui, si antè mors aduentet, quàm Chaldæorum promissa consecuti sint, spoliati magnis quibusdam bonis, illusi destitutiq́ sibi uideantur.*

M. *Nobis uerò, si expectando & desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur: proh dij immortales, quàm iter illud iucundum esse debet: quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit?*

A. De humatione uerò & sepultura quid sentis?

M. *De tota hac ratione, unum tenendum est, ad corpus illam pertinere: siue occiderit animus siue uigeat. In corpore autem perspicuum est, uel extincto animo, uel elapso nullum residere sensum. Quantum autem consuetudini famæq́ dandum sit: id curent uiui: sed ita, ut intelligant nihil ad mortuos pertinere.*

A. Quando mors æquissimo animo oppetitur?

M. *Cum suis se laudibus uita occidens consolari potest. Nemo parum diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus est munere: cui nihil iam acquiritur, cumulatis uitæ officiis: cum fortuna bella fortasse restant: nec tam cumulus bonorum ei iucundus esse*

esse potest: quàm molesta decessio.

A. De gloria uerò quid sentis?

M. *Dixi iam, eam etsi nihil in se habeat, cur expetatur: tamen uirtutem tanquã umbram sequi: id quod testantur clarorum uirorum historia. Quorum similitudinem aliquã qui arripuerit: non eam fama populari, sed uera bonorum laude metiens: fidenti animo (si res ita feret) gradietur ad mortẽ: in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognouimus. Secundis uerò suis rebus uolet etiam mori.*

A. *Expecto iam huius disputationis epilogum. (Epilogus hic partim est* αὐξητικὸς, *rationes hactenus expositas, autoritate & diuina & humana exaggerans: partim* ἀναμνηστικὸς, *cum præcipuum confirmationis argumentum, in memoriam auditori reuocet.)*

M. *1. Dÿ ut Iuno, ut Apollo, ut Silenus, mortem summum bonum iudicarũt. Psychomantium uerò hos etiam uersus cuidam caussam quærenti mortis filÿ sui, edidisse fertur:*

Ἤρου, νήπιε ἠλύσιε φρένας ἐξαπατηθείς.
Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ,
Οὐ γὰρ ἔην ζώειν καλὸν αὐτῷ μήτε γονεῦσι.

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euthynous potitur fatorum munere letho:

Sic fuit utilius finiri ipsiq; tibiq;.

2. *Alcidamas quidam rhetor antiquus, atq; imprimis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis: quæ constat ex enumeratione malorum humanorum.*

3. *Claræ mortes pro patria oppetitæ, non solùm gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ uideri solent. Repetunt Erechthei filias, Codrū, Menœceum, Iphigeniam Aulidensem, Harmodium & Aristogitonem Leonidam, Epaminondam. Romanos uerò enumerare magnum est: ita sunt multi: quibus uidemus optabiles fuisse mortes cum gloria.*

4. *Ennius melius quàm Solon*

Nemo me lachrymis decoret (inquit) *nec funera fletu*

Faxit.—

A. Cur uerò, cum hæc ita sint, homines mortem uel optare non incipiunt, uel certè timere desistunt?

M. *Miror & ipse. Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci: quid optabilius? Sin autem perimit ac delet omnino: quid melius, quàm in medijs uitæ laboribus obdormiscere, & ita cō niuentem, somno consopiri sempiterno?*

A. Sed

A. Sed mors à pleríſq; longè adhuc abeſſe putatur?

M. *Ab hominibus utiq; imprudentibus: quos nec natura humanæ fragilitas, nec quotidiana funera, mortalitatis ſuæ admonent. Nos uerò, ſi quid tale acciderit, ut à Deo denunciatum uideatur, ut exeamus è uita: læti & agentes gratias pareamus, emittiq; nos è cuſtodia & leuari uinculis arbitremur: ut aut in æternam & planè in noſtram domum remigremus: aut omni ſenſu moleſtiaq; careamus.*

A. Quid ſi nihil denunciabitur?

M. *Eo tamen ſimus animo, ut horribilem eum diem alijs, nobis fauſtum putemus.*

A. Pauciſsimi profectò id faciunt.

M. *Facerent omnes, ſi nihil in malis ducerent, quod ſit uel à dijs immortalibus, uel à natura, parente omnium, cõſtitutum. Quod autem omnibus neceſſe eſt: id ne miſerum uni eſſe poteſt?*

A. At pleriq; temerè graſſari mortem opinantur: nosq; naſci in miſeriam ſempiternam.

M. *Non ita eſt: nec fortuitò ſati & creati ſumus: ſed profectò fuit quædam uis, quæ generi*

neri consuleret humano: nec id gigneret aut aleret, quod, cum exantlauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis & perfugium putemus: quò utinã uelis passis peruehi liceat. Sin reflantibus uentis reijciemur, tamẽ eodẽ paulò tardius referamur necesse est.

Hæc summa est Ciceronianæ disputationis de morte: de qua quid sentiendum uideretur: in commentariolis nostris liberè quidẽ, sed sine arrogantia, & sine præiudicio cuiusquam, exposuimus. Adolescentum uerò est in omni lectione potissimùm obseruare, quibus de rebus agatur? & quibus ea rationibus & quàm firmis comprobentur. Hic enim lectionis fructus est, ut de rebus rectè iudicetur. Quæ uerò ad ornandum & delectandum accedunt, ut sunt historiæ, fabulæ, exempla, sententiæ poëtarum, & aliorum autorum: ea quoq; in memoriæ thesaurũ reponenda sunt. Dictionis autem elegantia, & apta connexio rerũ uerborumq́; tantisper curanda est, dum ita fuerimus Ciceronianæ orationi assuefacti, ut uel dicturis uel scripturis ea in linguã & calamum ultrò ueniant, quæ quàm minimùm abhorreãt à Latini sermonis puritate.

II. AC-

II. ACCESSIO AD TVSCVLANAM PRIMAM, EPITOME DISPVTATIONIS Demetrij Cydonij de contemnenda morte.

ἈΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ,
id est,

Breuis enumeratio eorum, quæ à Cydonio de contemnenda morte differuntur.

I. *Πρότασις, propositio libri est*, MORTEM, *id est, animi à corpore secessum* ESSE CONTEMNENDAM.

II. *Ἀνθυποφορά, triplex, uel ἀντιπρότασις ἀντιφατική.*

MORS EST METVENDA.

1. *Quia tollit omnes uoluptates.*
2. *Quia destruit naturam hominis uniuersam.*
3. *Quia tradit supplicijs Inferorum.*

III. *Hæc aduersarij firmamenta, ordine labefactantur & euertuntur.*

Prima refutatio ἀντιφατική, κατὰ περιτροπήν.

1. *Mortem non quia acerba sit, esse malũ: sed,*

sed, quòd summum malum, stultitiam & improbitatem, tollat, bonam esse habendam.

2. In eo utitur tripartita diuisione uoluptatum.

α'. Mors non tollit, sed perficit uoluptatem cõtemplationis: quæ & summa est, & hominis maximè propria.

β'. Vt mors tollat etiam concessas à Deo & natura (si legitimè utare) uoluptates corporis, quæ sensus demulcent, non eò mala est.

Quia procreationis uoluptas, non ipsius procreantis causa est instituta: ad quam nemo sanus, ob fœditatem & noxam, accederet: nisi naturæ stimulis urgeretur: sed ob speciei propagationem. Ab ea ergò seruitute mors hominem liberans, beneficio potius afficit, quàm maleficio.

Eodemq; modo, cibi & potionis, & domicilij & uestimenti, similiumq; rerum usu necessario (qui præsertim tot tantisq; laboribus & molestijs plerisq; constet) liberari, bonum est non malum.

γ'. Superuacaneæ uoluptates quæ gulæ, inguinibus, luxui, uarijsq; libidinibus & nugis seruiunt: cum turpissimæ sint, & homine indignissimæ: gratia debetur morti, à tanta peste uoluptarios liberanti.

CON-

CONCLVSIO PRIMI criminis.

Aut sine ulla exceptione, quæuis uoluptas summum bonum statuenda est (quod cum legibus tum diuinis tum humanis, omniq́ ratione pugnat) uirtus autem ipsa, & sapientia & scientia contemnetur, & uenditatio quædam atq́ ostentatio esse dicetur: aut mortis etiam aliquem esse usum, est statuendum, tollentis è medio homines insanabiles.

SECVNDA REFVTATIO ἀντιφατική.

Mors non destruit uniuersam naturam: sed animum, meliorem hominis partem, libertati suæ restituit.

Hoc loco traduntur argumenta immortalitatis animorum, minimè profectò contemnenda: sic tamen probanda, ut maior tribuatur autoritas sacris literis: quæ Christiano homini sunt instar omnium demonstrationum, quæ firmißimæ habentur. Est autem FIDES *donum Dei: idq́ contingit ijs, qui Deum syncerè orant: omniaq́ uitant, quæ sciunt Deo displicere: contraq́ summum studium habent pietatis omnisq́ officij.*

PRI-

PRIMVM ARGVMENTVM A differentia cæterorum animalium per cōgeriem.

Vita, motu interno, sensu, homo brutis nō est inferior: mente & ratione, sensuum duce, superior. Vis autem rationis cernitur.

1. In Dei cognitione, cultu & adoratione.

2. Inuestigandi ueri studio.

3. Exercitatione uirtutis.

4. Legum latione, constitutione Reipublicæ, remuneratione uirtutis, pœna scelerum.

5. Artium tam uoluptati quàm necessitati seruientium excogitatione. Hic enumerantur, ædificia, uestes, lecti, uehicula, uasa, instrumenta, supellex. Sed Cicero his rebus effectum esse dicit, ut infinita esset pecuniæ cupiditas. Itaq; hoc argumentum solertiam quidem humani ingenij arguit: sed idem superbiam, luxum, improbitatem etiā demōstrat.

6. Libertate & uarietate uoluntatis & actionum.

7. Non tàm uiuendi quàm benè beateq; moriendi studio.

8. Philosophia, Mathematis, dicendi artibus. Vnde concluditur, naturam hominis ita esse comparatam, ut non tantùm spectet necessitates

cessitates corporis aut uoluptates. Sed aliquid amplius & longè maius propositum habeat.

9. Τῷ κοινωνικῷ, id est, solicitudine & curatione inferiorũ & æqualium: imperio in beluas & homines latissimè patente (id quod diuinæ cuiusdam dignitatis nõ obscurum sit argumentum) & populi obædientia & oppetenda morte pro populo.

10. Amore libertatis & actione cõtrariorum. Quæ res homini suppeditentur à prærogatiua rationis.

11. Rationi appetitum obædientem præbendo, & naturalibus desiderijs repugnando. Hinc dici τοὺς σώφρονας καὶ φρονίμους, ἐγκρατεῖς καὶ ἄρχοντας ἑαυτῶν.

ENVMERATIO EORVM IN quibus rationi paret appetitus.

Abstinentia cibi & potionis: fuga libidinis: repreßio iracundiæ: benefacere inimicis: castigare corpus, fame, siti, ærumnis, præcipitio, laqueo, gladio, &c. quæ res apertißimum indicium sint, animum ratione præditum, nõ tantùm diuersum quiddam esse à corpore: sed etiam ius & potestatem habere perdendi corporis, si ita uisum fuerit.

CONTENTIO SEV COMPARATIO hominis cum beſtijs.

Natura animantium, ratione remota, nihil habet, quod impetum reprimat: proptereaq́; modis omnibus ſuas cupiditates explere ſtudent.

Hinc exiſtit αἰθυποφορά.

Etſi generi animantium omnium ſit à natura tributum: ut ſe uitam corpusq́; tueantur, declinentq́; ea quæ nocitura uideantur: omniaq́; ad uiuendum neceſſaria inquirant: id tamen nihilo magis, quàm ſtirpium ordinem, aut ſagittæ impetum, cōſilio & ratione: ſed naturæ potius ſtimulis atq; neceſſariò fieri: quæ rationis humanæ amplitudinem & uarietatē nulla ex parte aſſequatur: ut quæ propria ſit hominis, ſolaq́; contraria & intelligat & agat.

Alia αἰθυποφορά, ab abſurdo.

Ratio non eſt corpus:

1. *Alioqui enim neq; moueret corpus neq; totum peruaderet.*
2. *Haberet magnitudinem pro ratione corporum.*
3. *Cum ſecaretur corpus & ipſa ſecaretur.*

4. *Non*

4. Non intelligeret uniuersalia sed particularia tantùm.

5. Non rerum corporis expertium contemplatione tantoperè caperetur.

CONCLVSIO KAT' ἀνακεφαλαίωσιν.

Cum ergò sit incorporeus animus humanus: cum imperet corpori, idq́ arbitratu suo moderetur: & quo magis ab eo recesserit, eò sit perfectior & sapientior: cum omni motu careat: nec à suapte improbitate, aut alio contrario corrumpatur: cum à solo Deo sit ortus: & immortalitatem naturæ ipsius impulsu desideret: cum sensibus utatur non magistris & dominis, sed ministris & discipulis: immortalem eum esse consentaneum est.

TERTIA REFVTATIO.

Propter supplicia Inferorum, mortem non esse extimescendam.

I.

In hac utitur primum cõcessione: omninò pœnas esse dãdas improbitatis et luxus post obitũ: eãq́ sententiã cõfirmat cũ autoritate sapiẽtum, tũ principio naturali: quod diuinæ iusticiæ,

S 2 *sum*

summum & perfectißimum imperium obtinenti, conueniat, ut sceleratos supplicio afficere, ita uirtutem remunerari.

II.

Deinde negat mortem esse causam suppliciorum: eamq; transfert in malè actam uitam: malamq; conscientiam, inde ortam: adhibito argumēto à pari & absurdo: si, inquit, supplicia morti imputari fas est: eidem & præmia piorum accepta sunt referenda. Cauillatio accusatorum est παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον. *Quam tamen autor per inuersionem admittit: mors, inquit, adeò malum non est, ut & bonum sit: cum & improbitati modum statuat: & uirtutem præmijs ornet. Sed reuera neutrum horum mors facit: acta uita uel miseriæ uel felicitatis causa est. Mors tamen est ueluti ianitrix, fores & Inferorum & cælorum pandens: per quas, pro suis quisq; meritis, ingredi necesse habebit. Hic locus illustratur similitudine maleficorum: repetito argumento* παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον.

III.

Subiungit comminationi suppliciorum, lege diuina promulgatæ, consolationem: etiam flagitiosis & consceleratis spem esse ueniæ: modò

modò maturè resipiscant: hoc est, & agnoscāt uitiositatem suā, & exhorrescant iram Dei: eiusdemq́; clementia freti sint: & eius praeceptis, ope sancti spiritus implorata, parēre studeant. Sed longè praestat ab ineunte aetate operam dare, ne quid poenitendum committas, quàm ut saepius poenitētiam agere sit necesse. Et hoc intelligatur, de grauioribus peccatis, quae fiunt contra conscientiam. Nam leuiora ex incogitantia, & humana infirmitate orta, innumerabilia & infinita sunt. Qua de causa & in symbolo Apostolico profitemur, nos credere REMISSIONEM PECCATORVM: *eandemq́; in precatione dominica perpetuò flagitamus. Sed hic locus est Euangelij proprius: & cum hic obiter attingatur (liber enim hic scriptus est, non tam ad erudiēdos Christianos, quàm ad profanos homines conuincendos) à Theologis prolixè tractatur: nec unquam satis, perterrefactis hominibus inculcari potest. Securi uerò, & in omni licentia luxuq́; uiuentes, & somno uitiorum consopiti, tonitru legis sunt excitandi, & Tartarei fulminis metu ad poenitentiam impellendi. Hoc enim est* ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. *Iussit enim ipse Christus primùm praedicari poenitentiam, id est, mu-*

tationem animi in melius,& uitæ morumq́ emendationem: ac tum demum subiungi remißionem peccatorum.

IIII.

Sequitur ἀδυπαθεία. Atqui difficile est, relictis uoluptatibus continenter uiuere. Hāc refutat autor 1. Increpatione ignaui & effœminati animi, eiusdemq́ stulti: qui mauult perpetuò trepidare, quàm nugas missas facere, spemq́ habere uitæ melioris. 2. Contentione uoluptatum terrenarum & cœlestium: periculosarum & tutarum, exiguarū & maximarum, breuium & æternarū: quibus perfruātur ij, qui cum Deo, unico & summo bono, coniungantur. 3. In summam contrahit causas metuendæ mortis: quas inscientiam immortalitatis animorum, et stultam de solius bruti corporis uoluptatibus persuasionem esse affirmat. 4. Adhortatur ad amplectendam ueritatem: cuius compotes fiamus, si animus à rebus corporeis ad incorporeas reuocetur, id est, à terrenis ad cœlestes: & ad odio prosequendas turpes & immodicas corporis uoluptates: quibus in rebus qui sedulò elaboret: eum adeò mortem non reformidaturum: ut & maximè desideraturus sit,

tan-

tanquam eam, quæ aditum ad summum bonum patefaciat. Habet hic liber sanè disputationes aliquot ex intima philosophia depromptas: quas ut tardiora & minus expolita ingenia non satis intelligant: omnes tamē ab adolescentia his de rebus cogitare, est utilissimum: & ea quæ nunc obscuriora uidentur: maturior ætas atq; doctrina uberior illustrabit: accedente præsertim diligenti repetitione eorum, quæ hactenus tractata sunt.

OBSERVATA POST impressionem.

Pagina 7. uersiculo 2. pro undecim fortè legendum decem. 100.23 &c. lege sic. In primis enim hoc traditur, pronunciatum omne (sic, mihi in præsentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si inuenero melius) id ergo est pronunciatum, quod aut uerum, aut falsum esse dicitur. 101 dele in fine marginis, Epicuri impudentia. 114.8 dele uerbum Sunt ab initio. 216. lege esse. & ibidem 6. ἀνατονόμαςθ. 240.17 lege, εὐθυμίαν. 252 transfer postrema marginalia ad uersiculum ab initio columnæ illius octauum. 302. lege in marginalibus Superioris pro superiori. Est tamen hoc in plurimis exemplaribus correctè impressum. 406.3. lege forma genus diuisim. 407. Verba duo postrema in margine posita, Sapientißimus uidelicet ac Homerus, in marginẽ paginæ proximè sequentis transfer, & prius è regione uersiculi primi, posterius octaui loca. Nam sapientißimus ad Platonem non Homerum referri debet. 473. dele in fine marginis LAZARI LIBER. Cætera, si qua leuiuscula occurrant, ut si l pro i positum sit, quòd accidit pag. 339 in margine, lector benignus facilè uidebit & sine offensione leget.

RERVM PRAECIPVARVM, IN HOC I. QVAEST. TVSC. M. T. C. Libro, ab Hier. Vuolf. explicato, occurrentium, breuis Index.

C

M

 prodesse

R

S

stellae:

FINIS.

